BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XXV
B
67
NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

XXV.
B.
67.

PHILOSOPHIÆ, AC MATHEMATICÆ TOTIVS INSTITVTIO,

Cum Aſſertionibus diſputatis, & vario genere Problematum.

Ad uſum Studioſæ Iuventutis.

Authore

P. PETRO GALTRVCHIO,
AVRELIANO, Societ. IESV.

LOGICA & PHILOSOPHIA MORALIS.

VIENNÆ AVSTRIÆ,
In Bibliopolio IOANNIS BLAEV,
M D C LXI.

VERBO INCARNATO IESV CHRISTO.

VERBVM *Logicum noſtrum tibi (* ô PATRIS ÆTERNI LOGICA SAPIENTIA*) quia jure eſſe ſe agnoſcit tuum, ideq́ dicat, devovetque, ut à quo habet hoc ut prodeat primùm, id & ab eo conſequatur, ut vel emanet uberiùs, vel prorumpat audaciùs. Hæreret Logica nimirum noſtra, nec non in ſiccis atque ſiticuloſis areſceret argumentationibus, niſi tibi jungeretur uni; Tibi inquam Verbum Increatum verborum omnium flumini fœcundiſſimo, Tibi & citatiſſimo torrenti rationum, & ſcientiæ omnis fonti uberrimo perennique. Hocce freta præſidio, citatiùs curret illa, æquabiliùs fluet, copioſiùs redundabit. Gaudet nempe creatum verbum jungi Increato, quod cùm capi nequeat, incipit fieri Verbum infans in tempore, quo ſine eſſe non poteſt Verbum Logicum noſtrum & ſine quo vix poteſt intelligi*

Verbum Increatum. Invium nempe in principio latebas verbum, quis adiret? Viam te feciſti in tempore, quis non inveniat? Loquebaris tu quidem, ſed interiùs, quis audiat vocem? Aperiebas theſaurum ſcientiæ, ſed in abſcondito; quis recludat? Sonum hîc & verba ediditi, homines palam docuiſti; cujus aures, cujus mens non capiat vocalem facundiam? Quærit igitur hoc Verbum Logica noſtra, quo uno Deus omnia eloquitur, quærit debile & humanum, potens divinúmque: illa te (DIVINA SAPIENTIA) *tali Verbo præſide, tali Verbo auſpice ac tutore, verborum deſpiciet inanem copiam; Et ſi Verbum hoc arcanum verba noſtra firmarit, quo uno Deus firmavit omnia, Verbo omnem comprehendemus, Verbo omnem explicabimus veritatem.*

AD LECTOREM.

ID mihi hoc in opere fuit potiſſimùm conſilii, ut ſtudioſam juventutem perfacili methodo, & quàm breviſſimè ad omnem Philoſophiam informarem. Quare propoſitis quæſtionibus variis ac problematis quæ agitari ſolent, argumentorum genera omnia, & varias urgendi rationes intexui, ne qui, mediocriter exercitati, inter Diſputandum, inopiâ laborarent. Quin ita rem univerſam hanc pertractavi, ut ad Theologiam, & ad Phyſiologiam Medicorum, illi in anteceſſum juvari poſſint, qui ſeſe his artibus dedere aliquando, abſolutâ Philoſophiâ, meditantur. Neque verò partem Philoſophiæ oppidò nobilem, Mathêſim prætermiſſam volui: ſicque illius partes ſingulas, quantùm Philoſopho ſatis eſt, explicui, ut artem hanc totam brevi, nec ægrè aſſequi unuſquiſque valeat, tum maximè, ſi periti alicujus viri, à quo veluti manu ducatur, in variis praxibus inſtituendis operam adhibuerit.

Porrò ſtudui brevitati; ut labori parcerem tuo; tum ut faſtidium, quod in juventute eſt delicatiſſimum, levarem utcunque. Multa quippe quæ in aliis redundant, & ſuâ nimietate officiunt, am-

putavi, imitatus Chymiſtas, qui ex mixtis corporibus, quæ ſunt exquiſitiſſima, rejectis inutilibus excrementis, ſeligere vulgò amant. Odi enim vitioſam aliquorum abundantiam, quæ non doctos faciat, ſed ſimulet, animoſque ubi diu vexaverit, priùs atterat ac debilitet, quàm acuat. Nec raro ſanè contingit, ut cùm illud profuſum ac redundans philoſophandi genus preſſeris, nihil ſolidi ferè quidquam exprimas.

Quam tamen ſequor brevitatem, hæc, ut ſpero, nihil quidquam lucis detrahet, quemadmodum diuturno uſu, & magno auditorum concurſu commodóque ipſe expertus ſum. Neque verò etiam in eâ deſiderabis pugnantium inter ſe & diſcrepantium opinionum intelligentiam. Cujuſque enim ſententiæ principia & conſectaria, partim ex diligenti notatione rerum in quibus plus momenti ſit, partim ex eorum quæ objiciuntur confutatione, nullo negotio erues. Certè, vix ulla in Diſputationibus, quas tot annis habui bene multas, gravior paulò difficultas occurrit, quâ non defungerentur facillimè, quicunque ſcripta attentiùs perlegiſſent.

Acceptas vulgò, & probatas opiniones ſum amplexus; ſic tamen, ut alias quas paſſim tradunt in ſcholis, non dam-

nem:

nem: & ſicubi has voces, *contra Scotiſtas*, *contra Thomiſtas*, invenies, noli hæc ideò dicta interpretari, quòd minùs reverenter agam cum illarum opinionum fautoribus. Iſta enim duntaxat addidi, ut ea, quam impugno, ſententia, cùm tam luculentis nitatur authoribus, ſuam & videatur habere probabilitatem. Suarii imprímis ac Leſſii authoritate in Morali ſum uſus, víxque alios prætereà citavi ullos, cùm inſtar omnium eſſe poſſint. Quis enim non ultrò aſſentiatur doctiſſimis hominibus, juxta & ſanctiſſimis, quibus certè laudandis os illud ſuum fatidicum impenderunt non ſemel Romani Pontifices. Atque ut Suarium taceam, cujus quaſi Panegyriſta ac præco voluit eſſe Orbis univerſus, cui non auditum eſt Sixti V. tum Pauli V. ac demum Vrbani VIII. nunquam ſatis æſtimandum de Leſſii doctrinâ & ſanctitate judicium?

Iam inde ab annis pluſquam quinque, acceptâ Superiorum facultate, opus hoc typis mandare decreveram, & quoniam mihi per vires publicè docere ampliùs non licebat, hoc qualicunque munere juventuti etiam abſens prodeſſem. Sed me ab eâ mente, tum variæ, quibus diſtinebar occupationes; tum eximiæ quæ in lucem nuper prodierant, virorum utique doctiſſimorum eâdem de re lucubratio-

nes, tantùm non revocarant. Verùm cùm plures, ego, eáſque & ſuâ varietate ac novitate non injucundas partes, de quibus nihil egerunt ipſi, amplexùs ſim, quæ ad pleniorem Philoſophiæ cognitionem, plùs forſan adjumenti ſint & opis allaturæ, inchoatum opus non modò non abjeci, ſed conſtanter proſequi tandiu conſtitui, donec totum typis denique excuderetur. Faxit Deus, ut in majorem ipſius laudem, & communem juventutis, cujus cauſsâ plurimùm ſemper volui, utilitatem cedat.

F A-

FACVLTAS
R. P. PROVINCIALIS.

EGo LVDOVICVS CELLOTIVS *Provincialis* SOCIET. IESV *in Provincia Franciæ, juxta conceſſum eidem Societ. Privilegium à Regibus Chriſtianiſſimis Henrico* III. 10 *Maji*, 1583. *Henrico* IV. 20 *Decembris* 1606. *&* *Ludovico* XIII. 14 *Februarii* 1611. *quo bibliopolis omnibus prohibetur, ne libros ab ejuſdem Societatis hominibus compoſitos abſque Superiorum Permiſſu imprimere poſſint ac divendere, Permitto* IOANNI CAVELIER *Typographo Regio Cadomenſi, nec non Collegii noſtri Regiomontani in eâdem urbe Bibliopolæ, ut opus quod inſcribitur*, Philoſophiæ ac Mathematicæ totius inſtitutio &c. *Authore* P. PETRO GALTRVCHIO AVRELIANO, SOC. IESV, *ab ejuſdem Societ. Theologis recognitum & approbatum imprimere, ac divendere poſſit. Datum Cadomi, die* 28 *Maji, anni* 1656.

LVDOVICVS CELLOTIVS.

Approbatio Doctorum.

Nos infrà ſcripti Doctores Theologi in Academiâ Cadomenſi, teſtamur legiſſe opus, quod inſcribitur *Philoſophiæ ac Mathematicæ totius inſtitutio, &c.* Authore R. P. Petro Galtruchio Aureliano, Societ. Iesu, prælo digniſſimum & utiliſſimum, nihil continens alienum à Fide Catholica. In quorum Fidem ſubſignavimus Cadomi, die vigeſimâ ſextâ menſis Maji, anni milleſimi ſexconteſimi quinquageſimi ſexti.

Le Marchand. Th. Davge.
R. Verel.

Clavdivs Le Grand Sacræ Theologiæ Doctor, Profeſſor, nec non ad approbationem librorum ab Illuſtriſſimo Reverendiſſimoque Baiocenſi Epiſcopo deputatus, teſtor me legiſſe opus, cui titulus eſt, *Philoſophiæ ac Mathematicæ totius inſtitutio, &c.* Authore R. P. Petro Galtruchio Aureliano, Societ. Iesv, in quo nihil deprehendi quod non ſit Fidei Catholicæ & bonis moribus conſonum. In quorum fidem ſubſcripſi, ipſumque opus prælo dignum judicavi. Datum Cadomi, die ſecundâ Iunii 1656.

C. Le Grand.

PRÆ-

PRÆFATIO AD VNIVERSAM PHILOSOPHIAM.

Philoſophiæ definitio: Partes: finis atque utilitas: origo: interitus: inſtauratio.

PHILOSOPHIA *eſt rerum naturalium, tum rerum Divinarum, Angelicarum, atque humanarum cognitio, quæ naturæ lumine haberi à nobis poteſt.*

QVÆ definitio bona eſt, quia complectitur ea omnia cognitionum genera, quæ in Philoſophia, quam vulgò profitemur, tradi ſolent. Et verò, ne quid dicam de Mathematicâ, agitur in Philoſophiâ, primò, de naturâ, & proprietatibus rerum corporearum, quas naturales vocant; Item in ea parte Philoſophiæ, quam Metaphyſicam nuncupant, diſputatur non modò de ente in communi; ſed etiam in particulari de natura, attributis & operationibus entis increati; tum præterea de naturâ, facultatibus, atque operationibus Angelorum, ac denique quod ſpectat res humanas, primò, Logica Practica, ſeu Dialectica tradit modum, quo dirigatur noſter intellectus in ſuis operationibus exercendis: cujuſmodi quidem operationum naturam & proprietates contemplatur ea Logica, quam appellamus propriè ſcientificam. Secundò autem Moralis naturam ſummi boni, & finis ultimi, tum actus humanos, & virtutes quibus à nobis comparetur, conſiderat. Differt porrò Philoſophia ab aliis facultatibus, ex proprio cognoſcendi modo,

quòd rerum illarum omnium intelligentiam vi diſcurſus naturalis aſſequatur.

ITAQVE *Philoſophiæ finis eſt, primò, rerum omnium naturalium cognitionem tradere; tum hoc pacto viam aperire ad rerum Divinarum ſcientiam; quæ ſunt noſtri intellectus perfectiones, atque ornamenta longè præſtantiſſima. At præterea continuâ ratiocinandi exercitatione formatur, perficiturque intellectus humanus, ut de re quacunque faciliùs tutiúſque judicare poſſit; iſque eſt alius, & maximè inſignis Philoſophiæ fructus.*

ILLIVS *origo prima in Deum Op. M. refundenda eſt, qui primis humani generis parentibus, in ipſo mundi naſcentis exordio, inter alia naturæ gratiæque dona conceſſam illam innatamque eſſe voluit, quam ad poſteros deindè transmitterent. Et verò, ſic decuit tantos Orbis totius Principes, his omnium ſcientiarum præſidiis eſſe inſtructos, quò non modò publicæ rei cum dignitate proſpicerent, ſed & mortales etiam univerſos ad Dei cognitionem, & amorem commodiùs promoverent. At quæ poſtmodum fuit hominum impietas, & ſcelerum omnium colluvies, tam fœdos in errores, atque in tantam ignorationem prolapſi ſunt, ut oblivioni tradita Philoſophia penè omnis evanuerit.*

EXTITERE *tamen complures ingenio præſtantes viri, qui ſuo labore, ac ſtudio vindicare illam abinteritu, & ſuo ſplendori reſtituere conati ſunt. Et quidem inter antiquos reliquis præſtiterunt Pythagoras, Zeno, Socrates, Plato, Ariſtoteles, nonnullique alii; quorum diſciplinæ multi rerum addiſcendarum cupidi ſe ſe crediderunt: ſed quia non omnes eamdem in ſequendis dogmatis tenebant viam, partium contentione diſtracti varias in ſectas diſceſſerunt; ex quibus alii Academici, Stoïci alii; alii Peripatetici, Cynici alii; alii Epicurei, alii*

Sceptici, & Pyrrhonii vocabantur. Sceptici, & Pyrrhonii de rebus omnibus ambigi tantùm poſſe arbitrabantur, ſemperque erant dubii.

CYNICI *autem vitæ inſtituto ſic nominabantur, quòd eſſent in cavillationibus more canum mordaces contra vitia; hoſque inter eximius fuit Diogenes.*

EPICVREI *ab authore Epicuro nomen trahebant: dicuntur illi negaſſe providentiam, quâ mundus adminiſtraretur, ac voluptati omnino, vitæque deliciis indulgendum putabant.*

NOBILISSIMI *autem philoſophorum omnium extitere, primò, Academici, quorum princeps fuit Plato, atque hujus quidem auditores ita nominati ſunt, quòd eos doceret in Academiâ, qui erat locus prope Athenas ſic appellatus. Secundo loco præcelluere Stoïci, ſic nominati* ἀπὸ τῆς στοᾶς *à porticu, quem in locum diſputandi gratiâ ſolebant convenire. Hos inter celeberrimus fuit Zeno. At extiſtit demùm Ariſtoteles, qui diſcipulorum turbâ circumfuſus, cum ſoleret diſputare inter deambulandum, Peripatetici nomen cum ſectatoribus accepit.*

PLATONEM *plurimi olim etiam ex Sanctis Patribus; jam vulgò Ariſtotelem, ut veriſſimè omnium ſentientem ſequuntur Philoſophiæ ſtudioſi propè univerſi; unde & huic illuſtrando operam dederunt viri cumprimis ingenio, & eruditione præſtantes non pauci, cujuſmodi ſunt inter antiquiores Alexander, Porphyrius, Boëtius, deinde Averroës, qui ob præſtantes commentarios, quos edidit in Ariſtotelem, nominatus eſt Commentator. Ac denique ex noſtris D. Thomas Ariſtoteli adhæſit præcipuè, tum recentiores innumeri ſanctiſſimum Doctorem imitati, Peripateticæ Philoſophiæ nomen quoque dederunt: quinetiam vix ulla eſt Schola in Orbe Chriſtiano, in quâ non doceatur Ariſtoteles,*

ſancitúmque eſt non ſemel decreto Senatus Pariſienſis non paucis ab hinc annis, ne quis in Gallia, vulgò ſequeretur dogmata diſciplinæ illi Peripateticæ contraria.

Quanquam inter ipſos Peripateticos non parva eſt ſententiarum diſcrepantia, cùm plerique Ariſtotelem diverſo modo interpretentur, ſuáſque in opiniones ex locis hinc inde avulſis cogant. Quinetiam alii ſectis quibuſdam ſic adhæſerunt ut ne apicem mutare audeant. Cum autem vivendi, ſic & philoſophandi optima ſit ratio quæ ab extremis æquè refugiat, ita noſtrorum anteceſſorum authoritatem venerari debemus, ut quod monet expendamus, audiamuſque rationem; iſtudque præſtare, Deo bene juvante, conabimur.

INTRODVCTIO AD LOGICAM, ET MORALEM.

De facultatibus & operationibus animæ.

CAP. I. *Facultates animæ in communi.*

QVONIAM ſub hæc prima Philoſophiæ initia tam frequens ſermo eſt de potentiis, de habitibus, atque operationibus animæ rationalis; tum de illarum objectis, ac diſtinctione; Philoſophiam nemo ingredi poteſt, qui aliquâ ratione terminos iſtos non comprehenderit.

Suppono igitur corpora quæcunque viventia, quòd vivant id habere ab anima, per quam animantur: *Anima enim eſt cauſa, ſeu principium quo vivimus, movemur, ſentimus, intelligimus, &c.* Triplexque omnino genus animarum vulgò admittitur. Nam primò, alia dicitur ſolùm vegetativa; ut in plantis. 2. Alia eſt vegetativa, ſimul ac ſenſitiva, ut in brutis animantibus. 3. Denique alia eſt vegetativa, & ſenſitiva ſimul, ac rationalis, ut in homine.

Supponendumque eſt 2. Animas illas, perinde ac ſubſtantiam omnem creatam habere ſibi realiter ſuperadditas potentias, ſeu facultates, per quas operationes ſuas exerceant. Quare

DICO I. Anima vegetativa habet præcipuè

facultatem nutritivam, per quam intus ſuſceptum alimentum tranſmutetur in ſubſtantiam corporis viventis. At

Dico II. Anima ſenſitiva propter operationum diverſitatem ſibi propriam, longè majorem habet facultatum apparatum. Ac primò quidem habet facultates, ſeu potentias cognoſcitivas, tùm internas, tum externas quæ propriè appellantur ſenſus, unde & ipſa denominatur anima ſenſitiva. Senſus externi ſunt quinque, ad diverſa objectorum ſenſibilium genera percipienda comparati; nimirum viſus ad lumen & colores: auditus ad ſonos; olfactus ad odores; guſtus ad ſapores; tactus denique ad calorem, frigus, aliáque ejuſmodi. Ex ſenſibus internis præcipuè eſt imaginatio, & memoria ſenſitiva.

2. Præter potentias ſenſitivas, habet quoque facultatem in corde reſidentem, per quam materiale bonum appetit, malúmque refugit quando per imaginationem repræſentatur. Illa autem potentia vocatur appetitus ſenſitivus, qui eſt ſedes, & principium elicitivum earum affectionum, ſeu motuum, quos vulgò Philoſophi appellant paſſiones, aut perturbationes; quales ſunt amor, odium, ſpes, timor, triſtitia, gaudium, &c. *de quibus in Morali.*

3. Denique anima ſenſitiva habet potentiam loco-motivam, unde procedit motus localis ille, quo animal fertur à loco ad locum.

Dico III. Animæ rationalis facultates propriæ ſunt intellectus, & voluntas libera. Intellectus eſt potentia cognoſcitiva, quæ verſatur non tantùm circa res materiales, ſed etiam & ſpiritales; triplexque habet operationis, ſeu cognitionis genus. Primò enim rem ſibi re-

præ-

præſentat abſque affirmatione, aut negatione; quæ vocatur, *ſimplex apprehenſio*, vel *prima intellectus*, ſeu *mentis operatio*, quia præſupponitur ad alias. 2. Aliquid affirmat, aut negat de alio; quæ dicitur *ſecunda operatio*, & *judicium*. 3. Infert unum ex alio, quæ eſt *tertia operatio* ſeu *ratiocinatio* & *diſcurſus*.

Voluntas eſt facultas per quam bonum, ſive materiale, ſive immateriale repræſentatum ab intellectu proſequimur, malúmque refugimus: unde illas habet affectiones perinde ac appetitus ſenſitivus, nempe amorem, odium, triſtitiam, gaudium, &c. Vocatur appetitus rationalis ſeu intellectualis, quia fertur in illud ſolummodò objectum, quod repræſentatur ab intellectu; quomodo per proportionem appetitus ſenſitivus non fertur in objectum, niſi quod repræſentatur per imaginationem. Dicitur etiam appetitus ſuperior, quia illi ſubjicitur ſenſitivus, qui eam ob cauſam vulgo appellatur inferior, debetque regi à ſuperiore, ut docetur in Morali: item dicitur voluntas libera, habetque illam prærogativam ſupra appetitum ſenſitivum, qui nobis cum brutis communis eſt, quod poſitis omnibus requiſitis ad agendum, poſſit agere aut non agere.

N o t. Animam rationalem in eo cæteris præſtare non modò quòd earum perfectiones in ſe contineat, quia ſimul eſt vegetativa & ſenſitiva, ſed quia præterea eſt rationalis; item quia eſt ſpiritualis & immortalis.

N o t. 2. In ea talem eſſe connexionem inter potentias ſenſitivas & intellectualem, ut per ſe, in hoc quidem vitæ præſentis ſtatu, nihil cognoſcat per intellectum, quod aliquâ ratione priùs non fuerit cognitum per ſenſum: quo

pacto

pacto vulgò ajunt, nihil eſſe in intellectu, quod non fuerit in ſenſu.

CAP. II. *Facultates, & habitus Animæ rationalis.*

FACVLTAS ſumitur tum pro quocunque habitu, tum pro naturali potentia, qualis eſt voluntas & intellectus.

DICO I. Voluntas, atque intellectus humanus hoc habent aliquo modo ſibi proprium, ut per actus ſuos acquirant facilitatem in operando: quod ſatis ipſa per ſe declarat experientia. Namque in exercendis aut virtutum, aut vitiorum actibus, voluntas ad ejuſmodi actus ſimiles poſtea eliciendos redditur longè promptior, expeditiorque. Et ſic de intellectu. At neceſſe eſt facilitatem illam oriri ab aliquâ qualitate, quæ per actus frequentatos in his potentiis relinquatur, perficiaturque. Quam quidem qualitatem *habitum* vocant: ſoletque definiri: *Qualitas facilitans potentiam naturalem ad operationem ipſi propriam.* Sic philoſophus per habitum multiplicem ſcientiæ quem habet, poteſt diſputare de naturâ, & proprietatibus rerum. Sic pictor per habitum pingendi, poteſt efficere tabellas: ſic Architectus domos, &c. Hîc autem ſermonem non facio de habitibus ſupernaturalibus, qui non acquiruntur, ſed potiùs ab ipſo Deo in nobis infunduntur; nec tantùm facilitant, ſed etiam ſunt ſimpliciter neceſſarii ad operandum. Loquor ſolùm de habitu naturali, qui naturaliter per noſtros actus acquiritur;

DICO II. Ex illis habitibus, alii ſunt in voluntate, qui dicuntur aut virtutes, aut vitia; ſeu habitus vel virtutum moralium, vel vitiorum, unde denominamur vel vitioſi, vel præditi virtute,

tute, & viri moraliter boni. Alii autem ſunt in intellectu ipſum inclinantes, ſeu facilitantes ad aliquod genus cognitionis. At

Dico III. Habituum intellectualium diverſa ſunt genera. Nam primò, alii vocantur habitus primorum principiorum, per quos comprehendo, & in promptu habeo prima ipſa principia; cujuſmodi ſolent appellari primæ veritates, ſeu propoſitiones, quæ primò & per ſe, id eſt, ſine ullo diſcurſu, ſed per ſolam terminorum penetrationem, ſeu majorem attentionem ſunt notæ. Vt quando ajunt *Quodlibet eſſe, vel non eſſe* Vocantur principia, quia ex illis ſolent deduci per diſcurſum multæ aliæ cognitiones.

2. Ex habitibus intellectualibus alii nuncupantur propriè ſcientiæ, per quas elicimus cognitiones ſcientificas. At cognitio ſcientifica, eſt cognitio parta per diſcurſum certum, evidentem & neceſſarium in materia ſpeculativa, qui diſcurſus vocatur *demonſtrativus*, aut etiam *demonſtratio*; unde & ſcientia omnis propriè dicta, ſolet appellari facultas demonſtrativa.

3. Habitus ſapientiæ illi ſunt, per quos judicatur de rebus ex primis, altiſſimiſque principiis.

4. Habitus artis ille eſt, per quem poſſumus aliquod opus efficere ex præceptis, non in ordine ad hominis bona vel mala. Huc adde quòd per habitum artis poſſumus certa & evidenti ratione operis ipſius rectitudinem demonſtrare. Quamobrem definitur ab Ariſt. *habitus cum vera ratione effectivus.* Contra autem

5. Eſt habitus prudentiæ, quem ſcribit *eſſe vera cum ratione activum circa hominis bona vel mala*, id eſt electivum circa ea, quæ hominem red-

reddunt moraliter vel bonum, vel malum.

6. Eſt habitus opinionis, per quem de re judicamus ex diſcurſu probabili.

7. Habitus fidei humanæ eſt de ea cognitione quæ nititur alicujus, vel aliquorum hominum dicto, & authoritate.

8. Habitus erroris illi ſunt per quos judicamus falſum, ex ratione ſolùm apparenter vera, &c.

DICO IV. Ex illis habitibus, quinque primi vocantur *virtutes intellectuales, juxta Ariſt. 6. ad Nic. c. 3.* quia ſemper inclinant ad verum, nunquam ad falſum. Ita nemo errare poteſt per ſcientiam. Nemo utens præceptis artis, aut prudentiæ, poterit opus exercere non rectè; & ſic de aliis. Opinio verò, aut fides humana, ſaltem aliqua, poteſt inducere in errorem. Item

DICO V. Virtutes illæ intellectuales, (excepto habitu primorum principiorum) ſunt diſcurſivæ. Quia eliciunt cognitionem ex diſcurſu. Item

DICO VI. Illi habitus qui ſunt virtutes, dividuntur quoque in *Speculativos*, & *Practicos.* Speculativus ille eſt, per quem elicimus ſpeculationes, ſeu cognitiones ſpeculativas. At cognitio ſpeculativa ea eſt, per quam rei alicujus veritatem contemplamur in ea ſiſtendo, non autem ulteriùs tendendo ad opus; unde & dicitur cognitio propter ſe, quia non dictat modum operandi, nec conſequenter eſt ordinata ad opus. Talis dicitur ea cognitio omnis, quæ eſt de natura & proprietatibus rei alicujus. Item res illa dicitur materia ſpeculativa, quia nihil de ipſa dictatur operandum.

NOTANDUMQUE eſt ex Ariſt. 6. *Metaph. ſub initium*, inter ſpeculativos habitus, qui dicuntur

cuntur virtutes, numerari duntaxat habitum primorum principiorum, ſapientiam & ſcientiam; duos alios vocat practicos.

Habitus practicus ille dicitur, qui eſt ad praxim, aut cognitiones practicas. Praxis eſt operatio humana, quæ per directionem facultatis operantis exercetur; ſicque ab opere naturali differt. Præcepta & regulæ quæ ad praxim dirigunt, ſunt propoſitiones aliquæ univerſales de modo operandi. Harum quæ in nobis eſt cognitio, dicitur Idea, ſeu notitia practica, de ſe ad praxim ordinata, in quo differt à cognitione ſpeculativa, quæ, ut modò ajebam, eſt propter ſe.

Not. Conſequenter materiam habitus & cognitionis practicæ, eſſe rem operabilem quatenus operabilis eſt. Item

Not. 2. *Ex Ariſt. loco mox citato*, practicos omnes habitus diſtingui in *effectivos*, & *activos propriè*, id eſt, *electivos* circa hominis bona, vel mala; docetque omnem effectivum, ſeu factivum, eſſe artem; activum autem propriè dictum, eſſe prudentiam; cum etiam velit omne propriè dictum agibile, idem eſſe ac eligibile. Quare

Not. 3. Artem diſtingui eſſentialiter à prudentia, quòd hæc ſit electiva, & dirigat electiones circa hominis bona, vel mala. Non enim ex eo differunt eſſentialiter, & adæquatè, quòd ars relinquat, aut non relinquat opus poſt ſe, ut poſtea dicam, cum multæ artes non relinquant opus poſt ſe: in quo conveniunt cum prudentia; neque idcirco dicuntur activæ, juxta Ariſt. niſi impropriè. Item

Not. 4. Ex artibus ſcientiiſque habitualibus alias dici partiales, quæ nimirum ſunt de aliqua

re

re particulari; aliæ autem dicuntur totales, quæ ex illis partialibus conflantur. Qualis eſt v. g. Logica, Phyſica, &c.

CAP. III. *Objectum actus, tum habitus, aut potentiæ alicujus.*

OBJECTUM alicuius facultatis eſt id quod illi objicitur; ſeu id in quo, vel cognoſcendo, vel proſequendo, aut fugiendo occupatur. Aliudque eſt materiale, aliud formale.

DICO autem I. Objectum materiale eſt res ea circa quam verſatur, poteſtque illi eſſe commune cum aliis facultatibus. At

DICO II. Objectum formale eſt ratio, ſeu formalitas aliqua ſub quâ redditur alicujus facultatis proprium. v. g. Lignum idem eſt objectum materiale circa quod poteſt verſari viſus, tactus, &c. Item ars ſtatuaria, ædificatoria, &c. At ſub ratione viſibilitatis, ſeu quatenus eſt quid viſibile, dicitur objectum viſus; quatenus eſt tactile, objectum tactus; quatenus eſt formabile in ſtatuam, eſt objectum artis ſtatuariæ; quatenus ex eo fieri poteſt domus, eſt objectum artis domificativæ; quatenus eſt corpus naturale conſtans ex materia & forma, eſt objectum ſcientiæ Phyſicæ: quomodo & homo quatenus eſt conſtans ex corpore & anima, eſt ſimiliter objectum Phyſicæ; quatenus eſt animal ſanabile, eſt objectum Medicinæ; quatenus eſſe vel bonus, vel malus moraliter poteſt, & diſponi ad ultimum finem, eſt objectum ſcientiæ moralis, &c.

NOTANDUMQUE eſt illud dici objectum formale *ſub quo*: nam aliud dicitur objectum formale *propter quod*; eſtque illa ratio propter quam potentia movetur determinatúrve ad

actum,

actum, unde & appellatur motivum formale. Ita ſe habet ratio propter quam aſſentior alicui veritati, ut medius terminus in ſyllogiſmo. Ita ratio propter quam appeto tale objectum, vocatur objectum formale propter quod, & motivum appetitionis meæ; & ſic de aliis:

Dico III. Objectum materiale in artibus idem eſt, ac ſubjectum circa quod operantur; vocaturque ab aliis ſubjectum operationis, aut ſubjectum attributionis, ut diſtinguatur à ſubjecto inhæſionis, purà à potentia naturali in qua reſidet ille habitus artis. Quod etiam de ſubjecto ſcientiæ dici poteſt, habet enim illa ſubjectum ſuum inhæſionis, nempe intellectum, in quo reſidet; tum ſubjectum attributionis, qualis eſt res ea, de qua aliquid demonſtrat.

Notabis verò artem conſiderari vel quatenus eſt effectiva operis; vel quatenus eſt diſcurſiva, ſeu quatenus poteſt reddere rationem de opere ſuo, illiuſque rectitudinem demonſtrare. At

Dico IV. Ars quatenus eſt diſcurſiva, habet pro objecto concluſiones, tum principia ex quibus illas concluſiones deducit: tumque medius terminus erit objectum formale propter quod.

Notandumque eſt illud etiam vocari objectum artis cognoſcendum; nam aliud præterea eſt objectum artis faciendum, nempe ipſius opus.

Dicò autem V. Artis, ut effectiva eſt, objectum formale eſt opus ipſius proprium, quatenus operabile ex præceptis. Prob. Quia illud dicitur objectum formale artis, quod eſt ipſius ſpecificativum, & conſequenter diſtinctivum à quacunque alia facultate; ut poſtea explicabo.

Atqui

Atqui tale eſt opus ipſius proprium, quatènus operabile ex præceptis. Ergo eſt ipſius objectum formale. Nota. Sermonem eſſe de opere quatetenus eſt operabile; nam aliunde poſſet conſiderari quatenus eſt talis naturæ, & ſic diceretur eſſe objectum alterius facultatis, & quidem ſcientificæ. Vt poſtea videbitur.

NOTABIS etiam dici operabile ex præceptis; alioquin ſi fieret non ex præceptis, ſed vel inſtinctu naturæ, vel ſolo diſcurſu naturali, non eſſet opus artis, ſic enim favus apum, aut hirundinis nidus, non dicitur propriè opus artis. Item

NOTABIS facultatem hujuſmodi operativam ex præceptis vocari artem, undequaque ſint illa præcepta quibus utitur, ſive tradita ſint fide divina, aut humana; ſive ſint propria artis, id eſt ab ipſa inventa & demonſtrata; ars enim perinde illa præcepta ſibi ſubordinat ad opus proprium perficiendum.

DICO VI. Objectum illud formale artis dividitur in adæquatum, & inadæquatum. Adæquatum eſt illud totale quod cadit ſub artis effectionem. Inadæquatum vero eſt tantum pars illius adæquati, ut in Architectura quadratio lapidum ad domum ædificandam.

Item præterea dividitur in primarium, & ſecundarium. Primarium illud eſt quod primò & per ſe intenditur, ut in Architecturâ conſtructio domus. Secundaria illa ſunt quæ ad primarium de ſe ordinantur, ut quadrare lapides, calcem parare, &c.

NOTABIS autem objectum illud formale artis, ſeu opus artis dici etiam finem ipſius artis intrinſecum, ad quem videlicet intrinſecè ordinatur. Nam finis artis extrinſecus ille eſt, ad quem opus ipſum ordinatur; quomodo conſtru-

ſtructio domus ordinatur ad commodam, aut jucundam habitationem. Quinetiam

N o t. 2. Præter finem artis, dari etiam finem artificis, ſeu operantis per artem; eum ſcilicet finem, quem operans pro ſuo libero arbitrio poteſt intendere, puta lucrum, gloriam, &c.

C A P. I V. *Facultatum, & actuum ſpecificatio.*

A C t v s, potentia, & habitus ita ordinantur ad objecta ſibi propria, ut non poſſint eſſe niſi propter illa objecta; ſicque ab ipſis pendent, ut ſi eſſent impoſſibilia, impoſſibiles quoque eſſent potentiæ & habitus, qui per ſuos actus dicuntur ad illa tendere. Ita facultas videndi, & viſio eſſet impoſſibilis, ſi eſſet impoſſibilis color & lumen; & ſic de aliis. Dicuntur autem ſpecificari ab objectis, quia ſunt talis ſpeciei, id eſt, talis naturæ, tum quia ſunt ad objecta talis ſpeciei, & naturæ. Quare

D i c o I. Illi actus ſunt diverſæ ſpeciei, qui ſunt ad diverſa ſpecie objecta. Sic viſio albi & nigri ſunt diverſæ ſpecie viſiones: ſic intellectio, per quam mihi repræſento hominem, eſt diverſæ ſpeciei ab ea, per quam mihi repræſento ſolem, &c. Idem per proportionem de habitibus, exiſtimandum eſt. Nam ille habitus, per quem poſſum demonſtrare Solem eſſe majorem terra, differt naturâ ab eo habitu per quem poſſum demonſtrare animæ noſtræ immortalitatem. Sicque etiam

D i c o II. Diverſæ naturæ eſſe illas cognitiones, earumque habitus, etiam de eodem ſubjecto, quando eliciuntur ex diverſis motivis: Vt quando judico animam noſtram eſſe immortalem, vel ex motivo certo & ſcientifico; vel ex motivo tantùm probabili; vel ex motivo

fidei ; illi actus omnes de eodem, ſunt diverſæ naturæ ; & ſpecificantur à diverſo objecto formali propter quod. Item ſic etiam

Dico III. Scientias partiales, & artes etiam partiales, quatenus ſunt diſcurſivæ, ſpecificari ab objecto formali propter quod, habentque pro objecto formali medios terminos, ex quibus infertur concluſio. Prob. Quia ſcientia totalis conflata eſt ex multis partialibus, quæ aliunde non ſpecificantur, neque inter ſe aliunde differunt. At

Dico IV. Scientiæ, aliæque facultates totales ſpecificantur ab objecto formali ſub quo. Sic enim inter ſe diſtinguuntur, indeque ſuam unitatem habent. Vt de Logicâ, Phyſicâ, aliiſque id genus patebit conſideranti.

METHODVS
ET
INSTITVTIO
LOGICÆ.

DISPVTATIO PROOEMIALIS DE NATVRA LOGICÆ.

CAP. I. *De Logica ſpeculativa.*

LOGICA nomen habet à voce Græca λόγος, quæ ſermonem ſignificat tum internum, nempe rationem; tum externum interni expreſſivum, quem & orationem appellant.

Dico autem I. Logica ut ſic, eſt facultas, quæ circa ſermonem, ſive internum, ſive externum verſatur. Hæcque eſt vel naturalis, vel habitualis, ſeu acquiſita. Naturalis eſt vis à natura unicuique inſita, per quam ratiocinari, aliaſque id genus operationes exercere animus poteſt: Acquiſita eſt habitus per quem facilè, & ex præceptis quibuſdam illas operationes exercere infallibiliter poſſumus, ſoletque appellari *Logica practica*, quanquam

Dico II. Alia præterea eſt Logica habitualis propriè *ſpeculativa*, de naturâ & proprietatibus illarum operationum. Probatur, quia habet cognitiones propriè ſpeculativas, id eſt, ſiſtentes in ſolâ veritatis contemplatione, nec per ſe

 ordi-

ordinatas ad opus: ut cùm demonſtro talem eſſe naturam, aut tales proprietates ſyllogiſmi: nam per hoc diſtinguitur cognitio ſpeculativa à practica, quòd illa nihil per ſe dictet faciendum, & conſequenter eſt in materia ſpeculativa, de quâ ſcilicet nihil dictetur faciendum. Quinetiam,

Dico III. Hæc Logica ſpeculativa eſt ſtrictè ſcientia. Probatur. Habet enim cognitiones ſtrictè ſcientificas; nempe demonſtrativas, id eſt, partas per diſcurſum evidentem, & neceſſarium, de objecto propriè ſcientifico, puta de ſyllogiſmo. Hìc ſolùm negant adverſarii ſyllogiſmum eſſe objectum propriè ſcientificum, defectu neceſſitatis ad id requiſitæ ex Ariſtotele. Sed contra

Suppono ſyllogiſmum poſſe conſiderari duobus modis, 1. ſecundùm eſſentiam, ſeu quatenus eſt talis eſſentiæ aut naturæ. 2. In fieri, ſeu quatenus à nobis etiam liberè operantibus habere exiſtentiam poteſt. Dico igitur ſyllogiſmum ſecundùm eſſentiam, eſſe quid abſolutè & ſimpliciter neceſſarium; ſic enim aliter eſſe non poteſt, ſiquidem impoſſibile eſt non eſſe conſtantem tribus propoſitionibus, &c. hujuſmodi; nec minùs eſt impoſſibile, quàm hominem ſecundùm eſſentiam non eſſe animal rationale.

Negant paritatem, & reſpondent, objectum ſcientificum ex Ariſtotele, debere eſſe neceſſarium, & à nobis independens tam ſecundùm exiſtentiam, quàm ſecundùm eſſentiam, nam *6. Eth. cap.* 3. ajunt neceſſarium ſcientificum eſſe de genere illorum, quæ putavit eſſe æterna, & conſequenter quæ à cauſis naturalibus ex neceſſitate fiunt. Sed contra; per accidens eſt, quod objectum illud ſcientificum dicatur

æte

æternum æternitate exiſtentiæ; ſufficit enim ad mentem Ariſtotelis, ut dicatur eſſe æternum æternitate eſſentiæ; id eſt, æternæ veritatis, abſtrahendo ab ejus exiſtentia; quemadmodum aliàs explicabitur. Neque vero ſic rationem objecti ſcientifici attribuit tantùm rebus phyſicis, ſiquidem 1. *Ethic. cap.* 7. Angulum, triangulum, &c. hujuſmodi, vult eſſe non tantùm objecta artis, ſed etiam ſcientiæ; annumeratque non ſemel Geometriam ſpeculativam inter ſcientias, quomodo Practica vulgò inter artes reponitur.

Notandum verò eſt, Logicam hanc ſcientiam de naturâ operationum, & effectuum intellectualium, non tantùm ſumi pro illa quæ vulgò dicitur eſſe pars ſcientiæ Animaſticæ, ſeu de Anima; perinde ac Optica de viſu & viſione, &c. ſed etiam pro illâ quæ eſt v. g. de Syllogiſmo artefacto, qui ſuas habet alias proprietates, nempe infallibilitatem, &c.

Objicies, quod eſt operabile, dicitur potiùs objectum artis, quàm ſcientiæ. *Diſtinguo*, ſi ſumitur ut operabile, id eſt, in fieri, aut ſecundùm exiſtentiam *C.* ſi ſecundùm eſſentiam, *N.*

Inſtabis, operabile eſt contingens; nam poteſt eſſe aliter; ſiquidem poteſt fieri, aut non fieri, cum ſit à nobis liberè operantibus dependens: ergo non eſt neceſſarium, & ſcientificum. ℞. Eſſe tantùm contingens ſecundùm exiſtentiam, non autem ſecundùm eſſentiam.

Inſtabis 2. Syllogiſmus eſt inſtrumentum, & medium eſſentialiter ordinatum ad finem contingentem, nempe ad acquiſitionem ſcientiæ, quæ tantùm fit contingenter. *C.* Ergo ſyllogiſmus eſt contingens ſecundùm eſſentiam, *nego conſequentiam.* Sic enim quod eſt talis natu-

ræ, cum ordine eſſentiali ad aliud, poteſt tantum dici contingens ſecundum exiſtentiam.

Inſtabis 3. Eſt aggregatum per accidens ex multis partibus quibus conſtat, *tranſeat*, hoc non impedit quo minus dicatur eſſe neceſſariò talis naturæ; ut contingit in figuris, quarum proprietates, & naturam demonſtrat Geometria ſcientia.

Inſtabis 4. Eſſentia illa *v.g.* ſyllogiſmi, eſt à nobis liberè operantibus factibilis, nihil enim eſt aliud, quàm talis ordinatio partium, quæ fit à nobis. *C.* Ergo eſt contingens. *Diſt.* In fieri *C.* quatenus eſt talis *N.* ut modò ajebam de figuris Geometricis.

Inſtabis 5. Sequeretur dari quoque ſcientiam de quibuſcunque arte factis, ut de calceo, &c. ℞. Dari poſſet, ſi eorum natura perinde cognoſceretur, ac natura figurarum Geometricarum: ſed viliorum ejuſmodi rerum ſcientia meritò contemnitur, perinde ac in rebus phyſicis ſcientia de muſca & pulice, &c.

Inſtabis 6. Ex Ariſtotele, modus, ſeu inſtrumentum ad acquirendas ſcientias, non eſt ſcientia. *C.* atqui talis eſt Logica. *Diſtinguo,* practica *C.* ſpeculativa, *N.*

Dico IV. Logica practica, & ſpeculativa non ſunt idem realiter habitus. Prob. Quia habent diverſas difficultates ſuperandas, quæ connexionem per ſe non habent: ergo ſunt diſtincti realiter habitus. Prob. Ant. ipsâ experientiâ in omni facultate practica, nam ex eo quòd aliquis ſciat modum rei faciendæ, non ideo poteſt naturam & proprietates illius demonſtrare. Ita ſciens modum faciendi trianguli æquilateri ex arte Geometrica, non ideo poteſt demonſtrare ipſius naturam, & proprietates: qua in re operam

ram ſuam ponit Euclides, aliique. Ita circa numeros verſatur tum practica, tum ſcientifica Arithmetica. Sic etiam in uſu eſt Muſica, tum practica, tum ſpeculativa: illéque eſt ſenſus Ariſtotelis 1 *Eth. cap. 7. jam citato.*

Objicies, qui ſcit naturam ſyllogiſmi, aut trianguli, ex ipſo poteſt facere ſyllogiſmum, aut triangulum. Ergo hæc poſſunt eſſe ab eodem habitu. *Diſt. Ant.* Poteſt per ſe. *N.* per accidens. *Tranſeat.* Sic enim habitus ſpeculativus, ut ajunt, fiet per extenſionem practicus, quatenus ſciens rei naturam, ex eo facilius comprehendit modum illius efficiendæ. At ſciens modum rei efficiendæ, puta circuli, nihil inde habet commodi ad ejus proprietates tam admirabiles explicandas, demonſtrandaſque: ut patet experientiâ. Ergo ad id opus eſt alio habitu realiter diſtincto.

Inſtabis, ſciens tali modo faciendum eſſe ſyllogiſmum; *v. g.* debere conſtare tribus propoſitionibus, intelligo conſequenter talem eſſe illius naturam, quæ eſt cognitio ſpeculativa, nihil videlicet dictans faciendum. *Diſtinguo.* Scis improprie aliquid de illa, *tranſeat*, ſcis propriè, & demonſtrativè, *Nego.*

Habes igitur ex dictis quid ſit Logica. Quomodo præter naturalem, alia ſit duplex, habitualis, ſeu acquiſita. Altera quidem ſpeculativa, & ſcientia propriè dicta; altera vero practica, quæ eſt habitus realiter diſtinctus à ſpeculativa.

CAP. II. *De Logica practica.*

L*Ogica* practica vulgò appellatur Dialectica à verbo διαλέγεσθαι, quod eſt diſſerere, eſt enim ſcientia diſſerendi, quanquam, ut hanc de nomine quæſtionem expediam;

Dico I. Eſt tantùm latè ſcientia, prout nomen ſcientiæ tribuitur cuilibet ferè cognitionum generi, aut habitui cognoſcitivo. Probatur ex Ariſtotele, qui *6. Eth. cap. 9.* enumeratis quinque virtutibus intellectualibus, diſtinctas facit practicas, à ſcientia propriè dicta.

Obji. Eſt facultas demonſtrativa; nam demonſtrat *v. g.* definitionem debere conſtare genere & differentiâ, quia eſt oratio rei naturam explicans. *Tranſeat.* Atqui facultas omnis demonſtrativa, eſt propriè ſcientia. *N.* Nam ſecundùm Ariſt. demonſtratio propriè ſcientifica debet eſſe in materia ſpeculativa, non autem in practica, ut practica eſt. Et vero ubi ſermonem habet de propriè ſcientifica demonſtratione, meminit tantùm earum ſcientiarum, quæ verſantur in materia ſpeculativa, qualis eſt Phyſica, Metaph. &c.

Dico II. Eſt virtus intellectualis. Probatur, quia, ut initio monui, ille habitus intellectûs eſt virtus, qui ſemper inclinat ad verum. Atqui talis eſt logica practica; nam ſemper inclinat ad veram praxim, nunquam ad falſam; cum agat ex præceptis certis atque infallibilibus. At

Dico III. Hæc logica practica, ſeu Dialectica, eſt propriè Ars. Probatur. Quia non eſt prudentia, nempe facultas ad ea eligenda, quæ ſunt homini bona, vel mala, unde vel bonus, vel malus moraliter fiat. Ergo eſt ars. Nam ut habet *Ariſt. 6. Eth. cap. 3. tum 6. Metaph. ſtatim initio*; ex iis habitibus qui dicuntur virtutes intellectuales, duo tantùm illi ſunt practici, ars videlicet, & prudentia: ergo ſi non eſt prudentia, neceſſe eſt ut ſit ars propriè: ſicque illam D. Auguſtinus vocat artem artium, pro-

pter

pter excellentiam operis quod efficit. Sic D. Thomas; ſic D. Ambroſius in hexam. lib. 1. cap. 5. &c.

Objicies, quæ facultas non eſt effectiva, illa non eſt ars, nam *ex Ariſtotele* ars definitur habitus vera cum ratione effectivus, C. atqui logica non eſt effectiva. Probatur minor: eſt potius activa; ſiquidem ejus operatio debet dici actio. Illa enim *ex Ariſt.* dicitur actio, quæ non relinquit opus poſt ſe. Confirmatur. Ideo enim 1. *mag. mor. cap. ultimo*, cytharifatio vocatur actio, quia non relinquit opus poſt ſe; nempe quia opus illius tunc tantùm exiſtit, quando fit, nec poſtea remanet in rerum natura; unde Cythariſtica non eſt effectiva, ſed potiùs activa. Ergo à pari Logica. R. actionem propriè *ex Ariſt. 6. Metaph. cap. 1.* idem eſſe cum electione circa quæ ſunt homini bona, vel mala moraliter. Conſtat autem cytharizationem, aut effectionem ſyllogiſmi talem non eſſe. Ergo Ariſtoteles hîc non ſumit actionem niſi impropriè; quæ nihilominus propriè dicatur effectio; unde & facultas à qua procedit, dicatur effectiva. Confir. Quia *loco mox citato* ait omnem intellectualem virtutem practicam eſſe vel activam, id eſt, electivam circa hominis bona, vel mala; aut propriè effectivam. Vnde manifeſtum eſt hanc debere dici propriè effectivam; cùm, ex dictis, non ſit propriè activa.

Inſtabis 1. Per hoc diſtinguit actionem ab effectione, quod hæc relinquat opus poſt ſe. ℞. Sic diſtingui tantùm accidentaliter; ſeu ſecundùm rationem accidentalem quæ arti ut ſic convenire poſſit. Et verò hîc agit maximè de diſcrimine inter activum propriè dictum, &

inter effectivum artium mechanicarum, quæ ſemper relinquunt opus poſt ſe. Alioquin differentia eſſentialis inter activum propriè, & effectivum, ea eſt quòd activum illud idem ſit ac electivum circa hominis bona, vel mala.

Inſtabis 2. Logica non habet opus artis proprium, ergo non eſt ars. Prob. Ant. quia debet illud eſſe externum & ſenſibile, ut effectio domus, tabellæ, &c. N. Siquidem poteſt opus artis eſſe & internum, aut ſpirituale, cujuſmodi eſt logicum iſtud.

Inſtabis 3. Ex Ariſtotele, ille effectus qui remanet in operante, non poteſt eſſe effectus artis niſi per accidens. Vnde ait Medicum ſanare ſe tantum per accidens. ℞. Sic effectus artis non poteſt eſſe in operante niſi per accidens, quia de ſe abſtrahit ab eo quòd ſit vel internus, ſeu in operante; vel externus: uno verbo, quia tam poteſt eſſe internus, quàm externus.

Objicies 2. Logica docet modos faciendi ſyllogiſmos ſophiſticos, qui inducunt in errorem. Ergo non eſt virtus intellectualis, & conſequenter non eſt ars. *Diſtinguo.* Sophiſmata ſic docet per accidens, ut vitentur *C.* per ſe docet. *N.*

Inſtabis, ſaltem docet ſyllogiſmos probabiles, qui poſſunt in errorem inducere: ergo, &c. ℞. Poſſunt in errorem inducere ratione materiæ, quæ eſt tantum probabilis, *C.* At nego iſtud fieri ratione formæ, quæ ſemper vera eſt infallibiliter: hanc autem ſolùm per ſe ſpectat ars logica: quamobrem etiam docet artificium ſyllogiſmi abſtrahendo ab omni materia in literis Alphabeticis, quæ ſupponunt pro aliqua materia indeterminata; nec tamen illam materiam ſpectat, niſi per accidens: quin etiam

per

per accidens tantum tradit modum diſſerendi probabiliter *in Topicis.*

Notandum verò eſt 1. Artem logicam dici *inſtrumentariam*, quia eſt de ſyllogiſmo, & aliis ſciendi inſtrumentis. Item, dicitur effectiva ex propriis principiis, id eſt, præceptis non tantùm aliunde traditis, putà vel à fide humana, aut divina; ſed à ſe demonſtratis. Item

Notabis 2. Hæc perfectæ artis attributa illi convenire, nempe ut operetur, non ſimpliciter & per modum naturæ, ut brutæ animantes; ſed potius ex ideâ, ſeu cognitione de modo rei faciendæ. Quamobrem habitus ille artis dicitur *vera cum ratione effectivus*. Item vocatur & *docens*, quatenus elicit cognitionem practicam, per quam etiam dirigimur in effectione. Præterea verò dicitur quoque & *utens*, quatenus praxim elicit, ſeu influit in effectionem formæ ſyllogiſticæ.

At quæritur hoc loco, an debeant diſtingui inter ſe realiter illi habitus, tum *docens*, ſeu dirigens praxim, & ſic quaſi moraliter in illam influens, ut ajunt; tum *utens*, & phyſicè praxim ejuſmodi eliciens.

Dico IV. Communis ſententia eſt eundem realiter habitum logicæ artis, pro ſuis formalitatibus, ſeu virtualitatibus diverſis, poſſe diverſa illa munera exercere; ſicque ſecundùm diverſas formalitates habere objectum univerſale cognoſcendum, tum objectum in particulari operandum. Item ſecundùm diverſas formalitates illas influere moraliter per directionem in praxim, tum phyſicè illam elicere. Probatur, quia nulla eſt neceſſitas habitus illos diſtinguendi realiter, ut patebit ex ſolutione objectionum. Confir. Habitus utens realiter diſtin-

ctus, eſt inutilis, ſi poſito habitu logicæ docentis, nulla ſupereſt difficultas ſuperanda per utentem ejuſmodi realiter diſtinctum : atqui nulla ſupereſt. Probatur, quia ſi quæ ſupereſt difficultas ſuperanda, oritur ex parte materiæ, quæ ſuperari ſolùm debet per habitum ſcientificum, qui verſatur circa illam materiam; iſte enim habet omnia ad id requiſita : ergo eſt ſufficiens, & conſequenter logica utens realiter diſtincta foret inutilis.

Objicies 1. Illi habitus docens & utens diſtinguuntur ſpecie, & eſſentialiter C. Ergo realiter : *Nego conſ.* quod idem reſpondetur de gradibus metaphyſicis, in Metaphyſica.

Objicies 2. Vbi ſunt actus ſpecie diſtincti, & diverſæ difficultates ſuperandæ, ibi requiruntur diverſi realiter habitus, ut patet inductione per omnes ſcientias, & artes : atqui ſcire modum rei faciendæ, & illius effectio, ſunt actus ſpecie diſtincti. Ergo, &c. ℞. Non eſſe opus diverſis realiter habitibus, quando illi actus eſſentialem inter ſe connexionem mutuam habent, cujuſmodi eſt effectio artificialis, quæ non eſt niſi ex ideâ : neque iſta idea eſt niſi ad illam effectionem.

Inſtabis 1. Principia & concluſiones connexionem inter ſe habent, cum tamen habitus primorum principiorum, tum habitus concluſionum, (qui dicuntur habitus ſcientiarum, quando concluſio eſt ſcientifica) ſint realiter inter ſe diſtincti : ergo à pari connexio quæ reperitur inter habitum docentem, & utentem, non impediet eorum diſtinctionem realem. ℞. *Nego parit.* Quia principia & concluſiones non habent mutuam inter ſe, & eſſentialem dependentiam. Nam principia ſunt cognitiones quædam

per

per ſe independentes à concluſionibus; nec deſinerent eſſe vera illa principia, etſi ab iis nullæ inferrentur concluſiones: cum è contrà concluſiones per ſe dependeant à principiis; quibus ſublatis nullæ forent concluſiones. Praxis verò artificialis, & cognitio practica, ſic à ſe dependent mutuò, ut ſublato alterutro, alterum non foret poſſibile.

Inſt. 2. Sequeretur pariter logicam practicam, tum ſpeculativam non eſſe duos realiter habitus. *Nego paritatem*: nam cognitio ſpeculativa eſt eſſentialiter propter ſe, nec conſequenter eſt ad praxim ordinata.

Inſtabis 3. poteſt quis ſcire modum faciendi ſyllogiſmi, & tamen laborare in praxi. Ergo ſic opus eſt alio habitu, qui dicitur utens, & praxim eliciens. ℞. Non poſſe hîc eſſe difficultatem ratione formæ ſyllogiſticæ, ſed tantùm ratione materiæ, *v. g.* phyſicæ, de qua fit ſyllogiſmus: at illa difficultas tollitur per habitum, qui eſt de illa materia.

Objicies 3. Poſſunt illi habitus eſſe ſine invicem. Ergo diſtinguuntur realiter. Prob. Ant. Quia poteſt docens eſſe productus, nondum producto utente: ſi nempe fuerit cauſa productiva docentis, puta actus docentis, nondum poſitâ cauſâ productivâ utentis, qualis eſt *v. g.* actualis effectio ſyllogiſmi; nam habitus naturales non producuntur niſi per actus; ut omnes admittunt. ℞. Per actum docentis produci habitum, qui ſimul ſit docens & utens.

Inſtabis 1. Non producuntur habitus, niſi per ſimiles actus. ℞. Id eſt, qui ſimilem habeant perfectionem cum habitibus quos producunt C. At ℞. Actum docentis continere virtualiter perfectionem omnem quæ eſt in ejuſmodi habi-

 tu,

tu, propter eſſentialem connexionem quam habet cum operis effectione, &c.

Inſtabis 2. Ibi eſt prioritas & poſterioritas inter docentem, & utentem, hicque alium ſupponit. Ergo diſtinguuntur realiter, quia illud quod eſt prius, non poteſt eſſe idem entitativè cum poſteriori. ℞. Vtens ſupponit docentem tanquam quid prius ſecundùm rationem C. ſecundùm entitatem N.

Summa præcedentis doctrinæ.

Quæritur 1. Ex dictis quid ſit logica. ℞. *Eſſe facultatem de operationibus mentis, ſeu intellectus.*

Quæritur 2. Qualis ſit illa facultas, an ſcientia, an ars. Ad Reſponſionem, diſtingui debet duplex logica habitualis, ſeu acquiſita, præter naturalem.

Altera eſt ſpeculativa de natura, & proprietatibus operationum intellectualium.

Altera eſt practica, quæ tradit modum, ſeu præcepta ad illas operationes rectè exercendas.

Atque his ſuppoſitis Reſpondetur 1. Logicam ſpeculativam eſſe propriè ſcientiam de natura, & proprietatibus operationum intellectualium.

At Reſpondetur 2. Logicam practicam eſſe artem rectè dividendi, definiendi, ac ratiocinandi. Item Reſpondetur duas iſtas logicas, eſſe duos habitus realiter inter ſe diſtinctos. Item, habitum artis eſſe ſimul docentem, atque utentem; quia ſcilicet per eundem habitum, quis ſimul intelligit modum rei faciendæ; ſimulque poteſt rem illam de facto efficere.

CAP. III. *Subjectum, & objectum formale artis Logicæ.*

SVppono artem logicam eſſe operis effectivam, per aliquam directionem ex præceptis.

Sic autem alii docent dirigi operationes intellectus ad ſyllogiſmi, aut aliorum operum logicorum effectionem, atque ita operationes mentis eſſe ſubjectum directionis Logicæ, ſeu materiam circa quam operatur. At contra.

Dico I. Operationes noſtri intellectus non ſunt ſubjectum logicæ directionis. Prob. Quia potiùs ſunt illius effectus, nec reſpiciunt artem logicam niſi ut cauſam ſui veluti effectivam; vel ſi lubet tanquam ſui cauſam idealem quæ revocari ſolet ad effectivam. Nam directio omnis ad artem pertinens, aliud nihil eſt, quam dictamen quoddam de re facienda, hoc, vel illo modo; ſicque in rem illam influit ut cauſa in effectum: ergo non eſt ſubjectum ipſius directionis. Conf. Quia ſi haberet operationem ejuſmodi tanquam ſubjectum, illam ſupponeret, quo pacto forma omnis ſupponit ſubjectum. At illam non ſupponit, cum potius ſit prior, qua ratione cauſa activa eſt prior ſuo effectu. Conf. 2. Operationes noſtri intellectus non ſunt ſubjectum capax directionis logicæ. Ergo logica illas non ſpectat tanquam ſubjectum ſuum. Prob. Ant. Quia ſubjectum capax directionis logicæ eſt illud quod eſt de ſe indifferens, ſeu indeterminatum ad bene eſſe, aut malè; neque enim alium in finem comparatur directio logica, quàm ut ejuſmodi ſubjectum dirigat; alioquin etiam fruſtra foret. Atqui operatio intellectus eam non habet de ſe indifferentiam; nam illa omnis operatio determinate aut vera eſt, aut falſa; ſiquidem omnis eſt determinate aut conformis, aut difformis objecto ſuo: ergo non eſt ſubjectum capax directionis logicæ. Quare potius.

Dico II. Intellectum ipſum eſſe ſubjectum quod

quod dirigitur ab arte logica, ne in operando aberret. Sicque ajunt vulgò dirigi manum ad rectè ſcribendum, non autem ipſam ſcripturam, quæ potiùs eſt effectus à directione procedens effectivè; ut modò ajebamus: atque ita de aliis.

Notandumque eſt conſequenter, intellectum non tantùm eſſe ſubjectum inhæſionis artis logicæ, ſed etiam & ſubjectum directionis; ſicque intellectum à ſeipſo dirigi, quatenus dum actu operatur, ſe reflectit ad ideam rei faciendæ, cui ſe ſe conformet, ad rectas operationes exercendas.

Objic. 1. Theologi vulgò admittunt in Deo artem *v. g.* faciendi mundi; cùm tamen in eo non ſit indifferentia ad operationem, aut rectam, aut non rectam. Ergo illa indifferentia de ſe non requiritur in ſubjecto artis. ℞. Ars in Deo dicit tantùm ideam operis vel tali, vel tali modo faciendi; eſtque in eo ſpecialis proprietas ratione perfectionis infinitæ, quod habeat ſubjectum infallibile, id eſt, errori non obnoxium. Secus autem eſt de arte noſtra logica, quæ de ſe non eſt comparata niſi ad curandum noſtri intellectûs defectum in ſuis ejuſmodi operationibus exercendis.

Inſt. 1. Poſſunt operationes illæ bene, vel malè fieri. Ergo poſſunt dirigi. *Diſt. Ant.* talis, vel talis numero operatio poteſt bene, vel malè fieri, cum indifferentia ad alterutrum *N.* ſed potiùs cum determinatione ad alterutrum. Quia hæc vel determinatè vera eſt, vel determinatè falſa; unde non eſt capax directionis.

Inſt. 2. Qui ſyllogiſmus fit malè, ille corrigi poteſt, mutando propoſitionum, aut terminorum ordinem. Ergo, &c. *Nego ant.* Tunc enim potiùs fit alter, & novus ſyllogiſmus ex eadem

mate-

materia; quomodo iiſdem ex lapidibus, mutata eorum diſpoſitione, fit altera domus.

Inſt. 3. Quod dicitur ſubjectum rectitudinis, eſt capax directionis, & dirigibile: atqui tales ſunt noſtri intellectûs operationes; dicuntur enim rectæ, & ideo veræ, quia ſunt conformes præceptis logicis. ℟. Non dicuntur dirigi, aut habere rectitudinem, niſi impropriè, ex eo quòd ſunt ab intellectu directo, & conformi præceptis: nam propriè tantùm dicuntur veræ: iſtudque habent non ex conformitate cum præceptis, ſed potiùs cum objecto ſuo; neque aliunde ſolet dici vera cognitio, quàm ex conformitate cum objecto ſuo.

Inſt. 4. Prima operatio non poteſt eſſe falſa, ergo ad eam ſaltem non habet opus directione. *Diſt. Ant.* Non poteſt eſſe falſa phyſicè, & ſpeculativè, ut poſtea explicabitur, *Tranſeat*: poteſt ſaltem eſſe falſa logicè, & practicè, quatenus intellectus non rectè apprehendens terminos, id eſt, neſciens quid ſit genus, ſpecies, & cætera ejuſmodi, non poteſt conſequenter formare legitimam, aut enunciationem, aut argumentationem, &c.

Ob. 2. Illud eſt ſubjectum artis, ex quo fit opus, ut in Architecturâ lapides, ex quibus fit domus: ergo (ut ne ſermo fiat de opere per accidens Logicæ, puta de ſyllogiſmo vocali:) ergo, inquam, partes ſyllogiſmi mentalis, erunt ſubjectum artis logicæ: atqui partes illæ aliud nihil ſunt, quàm variæ intellectûs noſtri operationes: ergo illæ ſunt ſubjectum artis logicæ. ℟. Si ſyllogiſmus ſumitur pro effectu tertiæ operationis, jam non eſt compoſitus, niſi præſuppoſitivè, ut poſtea dicam: ſi autem ſumitur pro aggregato ex tribus mentis operationibus.

℟. In

℞. In eo ordinem non accipiunt, niſi per directionem intellectus.

Inſtabis, ſaltem in illas partes cadit ordinatio logica, per quam inter ſe ordinantur. ℞. Poſita ordinatione intellectus, ſic inter ſe ordinantur.

Notabis verò per accidens eſſe ad artem logicam, quòd iſta rebus phyſicis, aliiſque id genus applicetur, nec conſequenter res eas ex Ariſtotele dici poſſe ſubjectum artis logicæ, niſi per accidens.

Notandumque eſt ſubjectum, ſeu quod idem eſt, objectum materiale artis logicæ, eſſe intellectum ut dirigibilem in ſuis operationibus. At

Dico III. Objectum illius formale, eſt ipſa intellectus directio ex præceptis, unde exiſtant bonæ definitiones, argumentationes, & cætera id genus opera intellectualia. Vel ſi lubet eſt ſyllogiſmi, aliorumque inſtrumentorum ſciendi effectio ex præceptis; vel ſyllogiſmus ut effectibilis ex præceptis; Nam hæc omnia in idem recidunt. Prob. Quia illud debet aſſignari pro objecto formali artis logicæ, quod eſt illius ſpecificativum, & diſtinctivum à qualibet alia facultate. Atqui talis eſt noſtri intellectus directio ex præceptis, unde exiſtant bonæ argumentationes, &c. Neque enim de facto eſt alia facultas, quàm ars logica, quæ hoc præſtet. Item eſt illius opus proprium, nec meliùs poteſt ars ſpecificari, quàm per ordinem ad proprium opus.

Memineris autem ex ſuperiori introductione cap. 3. Aſſ. 5. quemadmodum huc præcepta concurrant tantùm veluti regulæ quædam, ſive tradantur fide Divinâ, ſive aliâ ratione comparentur. Vt quando ſtatuunt v. g. definitionem debere conſtare ex genere & differentiâ. Nam

ſola

ſola operum ejuſmodi Logicorum effectio ex præceptis, eſt propria artis Logicæ; ac proinde principium illius diſtinctivum à qualibet facultate alia; tum etiam conſequenter objectum illius formale & ſpecificativum.

Not. 1. Objectum illius adæquatum, eſſe directionem intellectus in ſuis omnibus operationibus; inter quas primarium locum tenet ſyllogiſmi effectio; unde & quæcunque traduntur in logica ſaltem Ariſtotelica ea in ordine ad effectionem ſyllogiſmi conſiderantur. Quo pacto etiam dicitur finis intrinſecus primarius artis logicæ; nam finis illius extrinſecus, eſt manifeſtatio ignotæ veritatis.

Not. 2. Vocalem *v. g.* ſyllogiſmum fieri quoque per artem logicam, & dici proprium ejus opus, aut formale objectum; ſed tamen eſt tantùm objectum formale, aut proprium opus per accidens, cum per ſe duntaxat ſpectet opus internum noſtri intellectus, cujus vis & artificium in vocali repræſentatur. Ita Geographicarum tabularum deſcriptio dicitur eſſe opus proprium per accidens artis Geographicæ, cum per ſe tantum hac ratione intendat regiones terrarum diverſas quaſi oculis ſubjicere. Quare

Not. 3. Terminos ex quibus vocalis ſyllogiſmus componitur, eſſe tantum ſubjectum per accidens artis logicæ; quia ſunt materia operis illius, quod dicitur illi eſſe per accidens.

CAP. IV. *De neceſſitate artis Logicæ.*

D*Ico* I. Ars Logica non eſt abſolutè, aut ſimpliciter neceſſaria ad quemlibet actum cognitionis ſcientificæ; quando ſcilicet eſt ex diſcurſu in forma evidenti. Prob. Quia non eſt opus habitu logicæ artis ubi nulla eſt difficultas

ſuper

ſuperanda, nec poſſumus errare inferendo unum ex alio. Atqui ubi res, & forma eſt evidens, non poſſumus errare unum inferendo ex alio, neque ibi ulla eſt difficultas ſuperanda. Ergo ubi res & forma eſt evidens, non eſt opus habitu artis logicæ. Prob. min. Vbi eſt evidentia objecti, intellectus ad illius aſſenſum naturaliter determinatur : quare hic inutilis foret habitus. Item nec in eo aſſenſu aberrare poteſt. Nulla enim potentia naturalis aberrare poteſt circa objectum proprium debitè applicatum, ut aliàs probatur, paretque inductione. Nec poteſt objectum intellectûs perfectiori modo applicari, quàm cum evidentia. Ergo in tali caſu circa illud aberrare non poteſt : ergo in hoc caſu non habet opus directione logicâ, ſufficitque ipſi proprium lumen naturale. Conf. 1. In propoſitionibus per ſe notis & evidentibus, ſufficit lumen naturale ad judicandum de connexione prædicati cum ſubjecto ; ut cum ajo, *impoſſibile eſt rem eandem ſimul eſſe, & non eſſe* : ergo à pari ſufficiet idem lumen naturale ad judicandum de bonitate conſequentiæ in ſyllogiſmis ſcientificis, quando per ſe eſt evidens. Prob. Ant. Quia nemo recurrit ad præcepta logicæ, ut certus ſit de connexione illa prædicati cum ſubjecto ; ergo à pari, opus etiam illud non eſt, quando agitur de bonitate conſequentiæ, ſeu connexione conſequentis cum antecedente, ubi eſt evidens. Conf. 2. Vt certus ſim de bonitate illius conſequentiæ, non eſt neceſſe illam à me probari per principia artis logicæ ; alioquin ut certus eſſem de illis principiis, deberent quoque illa probari tum aliis principiis, tum alio diſcurſu, cujus etiam bonitas iterum eſſet probanda ; & ſic daretur proceſſus in infinitum ; niſi dixerimus ſufficere

ficere tandem lumen naturale ubi res nota eſt per ſe, & evidens. Conf. 3. Scribit Ariſt. lib. 2. Elench. à ſe inventa eſſe præcepta artis logicæ, cum tamen ante multi florerent viri ſaltem in rebus Mathematicis ſcientiſſimi: Ergo ſine illis præceptis poteſt haberi ſcientia. Et verò nemo eſt etiam illiteratiſſimus, qui ex eo quòd videat lucem ſolarem, non judicet imperturbabiliter ſe hoc modo rectè inferre, *Ergo Sol ortus eſt*, &c.

Ob. Actus ſcientiæ eſt cognitio parta per ſyllogiſmum certum & infallibilem, cujus bonitatem certo atque infallibiliter cognoſcam. C. Atqui certus eſſe non poſſum de bonitate ſyllogiſmi niſi illam probare poſſim per præcepta logicæ, aut reddere illius rationem. *Nego*. Sic enim certus ſum videri à me lucem meridianam ex ipſa rei evidentia, neque opus eſt illud mihi aliunde probari.

Inſt. Sine arte logica nequidem ſcies quid ſit ſyllogiſmus, aut conſequentia, & in quo poſita ſit illius bonitas; nam hoc ſolùm traditur ab arte logica. Ergo ſine illa judicare non poteris de bonitate conſequentiæ. *Diſt. Ant.* Sine arte logica non ſcio explicitè, & formaliter, ſeu in actu ſignato quid ſint illa C. At ſaltem hoc ſcio implicitè, & virtualiter in actu exercito. Item non ſum certus de bonitate conſequentiæ in actu ſignato, id eſt, per reflexionem & comparationem ad regulas artis. *Tr.* At ſaltem ſum certus in actu exercito, id eſt, quatenus ille actus quem exerceo, propter ſuam evidentiam affert mihi illam certitudinem. Ita ſum certus in actu exercito videri à me lucem meridianam, quamvis aliunde non poſſim explicare quid ſit lux illa, viſio mea, &c.

Inſt. Ex Ariſt. qui ſcit, debet ſcire ſe ſcire.

Conc.

Conc. Atqui contingere id tantùm poteſt ex eo quòd probem bonitatem diſcurſus mei ſcientifici *N.* ſufficit enim quòd me reflectam ad evidentiam mei actus; quomodo ſcio me videre lumen, quatenus me reflecto ad meum actum.

Inſt. Ex Ariſt. Sciens debet ſcire cauſas propter quas res eſt, & cur ita aſſentiatur concluſioni. ℞. Qui infert ortum Solis ex eo lumine quod videt eſſe diffuſum per totum mundum, rectè intelligit luminis diffuſionem eſſe cauſam cur judicet de ſole ortivo. Item connexio evidens quam habet conſequens cum antecedente, eſt cauſa cur illi aſſentiatur.

Inſt. Poſſet aliquis imperitus induci à ſophiſta in errorem, aut in dubitationem rei etiam manifeſtæ, defectu logicæ illius facultatis. ℞. *negativè.* Nam imperitus ille habet ſemper pro certo videri à ſe lumen; potiúſque judicaret latere dolos in argumentatione illa ſophiſtica, quam ideo contemneret.

Inſt. Qui probaret bonitatem conſequentiæ, ille foret magis certus in aſſenſu ſcientifico. Ergo logica conferret ad illius certitudinem. *Diſt.* Foret magis certus extenſivè *C.* quia plures haberet rationes illi aſſentiendi. Nego autem fore magis certum intenſivè, quaſi majorem inde haberet certitudinem. Vt qui videt lucem meridianam, ſufficienter de illa eſt certus; neque illam certitudinem auget ſi quis ad hoc ſuadendum, alias præterea rationes adhiberet.

Inſt. Sequeretur inde artem logicam immeritò dici inſtrumentum ſcientiarum; foret enim ipſis inutilis. Et verò etiam habitus ſcientificus eſt infallibiliter diſcurſivus, alioqui non eſſet virtus intellectualis *Nego* ſequelam illam. Nam

Dico II. Neceſſaria eſt ad ſcientias totales

per-

perfectè acquirendas; putà ad univerſalem Phyſicam, aut Metaph. Sic enim inter philoſophandum, ſæpe occurrunt argumentationes tam obſcuræ, & implicatæ, etiam & ratione ipſius formæ, ut de illarum bonitate certi eſſe non poſſimus ſine logica. Item varia nobis occurrunt ſophiſmata ope illius artis reſolvenda, quibus alioquin induceremur in errorem. Quamobrem Ariſt. 4. *Metaph.* arguit Antiquos ob ignorantiam artis logicæ, cujus defectu multos in errores lapſi ſunt. Et verò, (ut inquit Galenus adverſùs Eraſiſtratum hujus facultatis contemptorem) cùm ex quolibet non ſequatur quodlibet; ſciendum eſt imprimis philoſopho, quid ex re quaque ſequi debeat; eóque nomine D. Auguſt. ſcribit hanc eſſe artem artium; ut jam monui.

AD LECTOREM.

QVÆ in tradendâ Philoſophiâ ſolent hic miſceri quæſtiones De ente rationis, de ente univerſali, & categorico, quia ſunt Metaphyſicæ, illas nolui proprio ex loco revellere, ut ſcribendo ſervarem ordinem naturæ. Quanquam fateor alium communiter eſſe doctrinæ ordinem. Sed in legenda, & perdiſcenda Philoſophia, pro tuo libito hic hærere potes, dum interim ſubrogato Metaphyſicæ tomo, des operam iis diſputationibus, quas in ea reperies De diviſionibus entis in communi : De ente rationis, de ente univerſali: De ente ſubſtantiali & accidentali, ipſiuſque entis analogia; tum de ente categorico; ut tandem ad has quæſtiones logicas regrediaris ſervata communi docendi methodo.

TRA-

TRACTATVS
DE
OPERATIONIBVS LOGICIS,
SEV
INTELLECTVALIBVS,

DISPVTATIO I.
De earum Natura, Numero, & ſignis in communi.

CAP. I. *Numerus, & natura operationum intellectualium.*

DICO I. Tres ſunt diverſæ intellectus, ſeu mentis noſtræ operationes. Prob. Quia per triplex genus operationis verſari circa objectum poteſt. Primò, ſimpliciter ſibi repræſentando unum, vel multa, ſine affirmatione, aut negatione: quæ dicitur prima, tum ſimplex apprehenſio. Secundò, aliquid de alio, vel affirmando, vel negando. Quæ dicitur judicium, & ſecunda intellectus operatio. Tertiò, aliquid ex alio inferendo, quæ eſt ratiocinatio, ſeu diſcurſus. Nec dicas; *numerare, ordinare, comparare, &c.* Sunt operationes ab illis diſtinctæ: ergo plures ſunt quàm tres. ℞. Confundi partim cum prima; & partim cum ſecunda operatione. Comparare enim eſt per reflexam cognitionem conſiderare connexionem, aut habitudinem unius cum alio, vel cum affirmatione, vel ſine affirmatione. Ordinare, eſt referre aliquid ad aliud: numerare autem, eſt unum diſponere poſt aliud, facta reflexio-

flexione ad prioritatem, & poſterioritatem, &c.

Notandumque eſt illas operationes certum inter ſe habere ordinem ex natura rei, ut ſecunda primam, tertia utramque præſupponat neceſſariò. Nam ut intellectus de re aliqua judicet, debet prius vel plures & diverſos conceptus apprehendere ſubjectum & prædicatum; id eſt, ea quæ denominantur ſubjectum, & prædicatum. Item, facta comparatione unius cum alio, deprehenditur connexio, vel repugnantia quam inter ſe habent. Vnde intellectus tandem determinetur ad ferendum judicium, vel affirmando, vel negando; quæ operatio dicitur quoque, vel aſſenſus, vel diſſenſus. Quomodo etiam præſuppoſitis illis omnibus, tum primis, tum ſecundis operationibus, intellectus facta reflexione ad connexionem conſequentis & antecedentis, illi aſſentitur per judicium quod vocant illativum, ſeu tertiam mentis operationem. Quare

Dico I I. Illæ omnes operationes ſunt qualitates formaliter ſimplices, puta ſimplices actus aſſenſus, vel diſſenſus; nec dicunt multa, aut compoſitionem ex multis, niſi præſuppoſitive. Quomodo ſecunda operatio præſupponit multas ſimplices operationes, perinde ac tertia multas ſecundas. Probatur illa ſimplicitas ſecundæ operationis. Quia hæc non eſt tantùm conceptus ſubjecti, ut ajunt, & conceptus prædicati: alioquin ſic dicerentur tantùm fieri multæ ſimplices apprehenſiones, non judicium. Supereſt igitur eſſe actum ſimplicem qui cadat ſupra totum quod enunciatur.

Obji. *ex Ariſt.* In iis operationibus reperiri veritatem ob compoſitionem conceptuum. Ergo in iis ſupponit compoſitionem conceptuum. *Diſt.* præſuppoſitivè *Tr.* formaliter *N.*

Inſt. Tam in illis debet eſſe compoſitio formalis ex multis, quàm in enunciatione vocali, ſiquidem ſunt ſimiles, tanquam ſignum & ſignificatum. *Diſt*. Similes ſunt repræſentativè, ſeu objectivè; quia ſunt de eodem objecto. *Tr*. Nego eſſe formaliter ſimiles: ſicque per plures voces enuncio, quod uno actu ſimplici mihi in intellectu repræſentatur.

Inſt. Secunda operatio dicitur compoſitiva, aut diviſiva. Ergo non eſt ſimplex *Diſt. Ant*. Talis eſt formaliter *N.* virtualiter *C.* quatenus aſſerit, aut negat unum de alio.

Dico III. Idem per proportionem exiſtimandum eſt de tertia operatione: nam hæc præcisè, & formaliter ſumpta aliud nihil eſt quàm judicium conſequentis, ut conſequens eſt, ſeu aſſenſus conſequentis propter connexionem quam habet cum antecedente; nec dicit alias operationes niſi præſuppoſitivè. Quanquam ut aliàs dicam, non ea ſola eſt ratio ſumendæ ratiocinationis & diſcurſus.

CAP. II. *Veritas operationum intellectualium.*

V*Eritas* omnis poſita eſt in aliqua conformitate, aut conformabilitate, ut loquitur D. Th. Nam alia eſt veritas formaliter, quæ eſt in conformitate: alia autem objectivè, pro re conformabili. Item veritas eſt triplex: primò enim eſt tranſcendens, quomodo ens omne verum eſt, propter conformitatem quam habet cum Ideâ Divinâ, *ut explicatur in metaph.* Item, eſt veritas *locutionis*, cùm locutio eſt conformis menti loquentis, huicque opponitur *mendacium*. 3. Eſt veritas *cognitionis*, quando eſt conformis objecto. At veritas cognitionis dicitur vel incomplexa, & per modum puræ repræſentationis; quando

quando nihil affirmatur, aut negatur de alio, nullumve eſt judicium; alioquin vocatur veritas complexa; qualem reperire eſt in ſecundâ operatione. At

Dico I. Prima intellectus operatio non habet niſi veritatem incomplexam: ut patet ex proximâ obſervatione.

Dico autem II. Prima operatio omnis circa objectum ſimplex, eſt vera, nunquam falſa; ſicque accipiendus eſt Ariſt. Prob. Quia illa ſolùm cognitio eſt falſa, quæ repræſentat aliquid alteri conjunctum, vel ab eo diviſum, quod non eſt conjunctum, aut diviſum. Atqui hoc non reperitur in apprehenſione objecti ſimplicis. Ita quamvis illud quod video repræſentem mihi ut canem, cùm tamen de facto ſit lupus, hæc mea cognitio non deſinit eſſe vera canis repræſentatio; quæ enim non eſt imago lupi, non eſt falſa illius imago, ſeu repræſentatio. Nec dicas ex ea operatione poteſt ſequi falſum judicium; ergo falſa eſt. Item eſt repræſentatio canis ſupponens pro re viſâ, quæ de facto non eſt canis. ℞. Tunc haberi duplicem apprehenſionem, utramque veram, altera eſt rei viſæ, qualiſcunque illa res ſit; altera autem eſt canis; at oritur falſitas ex compoſitione unius cum altera.

Notabis igitur hanc operationem duntaxat circa objectum compoſitum, aut aliquo modo compoſitum, poſſe eſſe falſam, ut quando mihi repræſento hircocervum, apprehendendo aliquid in re, quod non eſt in ipſa re.

CAP. III. *Signa operationum intellectualium.*

SIgnum eſt id quod per ſpeciem ſui quam noſtris ſenſibus ingerit, rem aliam à ſe diſtinctam notificat. Quare ſignum ex natura ſua

reſpectum habet, tum ad rem eam quam ſignificat. ſeu notificare poteſt: tum ad eos quibus notificari debet. At

Signum omne vel eſt naturale, vel morale. Signum naturale eſt illud quod habet ex natura ſua vim rei ſignificandæ: quomodo fumus eſt ſignum naturale ignis; gemitus eſt ſignum doloris, lux matutina, ortivi Solis.

Signum morale eſt illud quod tantum habet vim ſignificandi ex libero hominum inſtituto: morale enim idem eſt ac liberum, ſeu quod eſt dependenter à libera voluntate. Ita res quælibet aſſumi à nobis poteſt ad aliquid ſignificandum; cujuſmodi eſt hedera appenſa pro foribus, ut ſignificetur ibi eſſe vinum vænale: ſic voces humanæ pro libero etiam noſtro inſtituto ſignificant rem vel talem, vel talem: ut nomina tam diverſorum idiomatum rebus impoſita, quæ pro libero hominum inſtituto, ſunt rerum illarum ſignificativa. Quod autem ajunt ab Adamo eſſe animantibus impoſita propria nomina, quaſi ab ipſorum natura petita, & naturaliter ſignificativa. ℞. Eo tantùm ſenſu fuiſſe propria, quod per ea ſingulæ animalium ſpecies deſignarentur: quo pacto apud nos nomina *equus*, & *leo*, eas animalium ſpecies diverſas nobis repræſentant, nec alio modo dicuntur propria ipſorum animalium nomina.

Notabis vero præterea ſignum morale eſſe vel ſpeculativum, vel practicum. Speculativum eſt cujus finis eſt veritas, aut ſola rei cognitio; ut cum ajo Solem eſſe majorem Terra: eſtque illud vel demonſtrativum rei præſentis; vel præteritæ rememorativum; vel prognoſticum futuræ, quomodo luna pallida ſignificat pluviam futuram.

Pra-

Practicum, ſeu effectivum eſt illud quod rem efficit, illam ſignificando. Ita facio te poſſeſſorem hujus libri, cum dico, *do tibi hunc librum.* Ita Sacramenta Eccleſiæ, ſunt ſigna effectiva rei quam ſignificant.

Notandum autem eſt 1. Inter ſigna moralia, ſeu ex inſtituto, præcipuum locum tenere voces humanas, quia nullum eſt ſignum morale quod non ſit locutio humana, vel illam ſupponat: ſic enim mutuis colloquiis inter ſe homines convenerunt, ut tali charactere, tali ſigno, rem hanc, vel illam indicarent. Item

Not. 2. Ideo voces, ſeu loquendi facultatem eſſe homini conceſſam, quia eſt animal ſociabile. Sic enim homo hominem juvat conſilio, doctrina perficit, hortatur ad virtutem, animi ſui conceptus, & ſenſa aperiendo. Nam

Dico I. Voces ſunt ſigna manifeſtativa noſtrorum conceptuum. Prob. Quia per ſui cognitionem, mentem inducunt, ut ejus qui loquitur conceptum in nobis efformemus. Conf. Si enim voces non eſſent ſigna noſtrorum conceptuum, nullum daretur mendacium; ſiquidem mentiri aliud nihil eſt, quam loqui contra mentem, id eſt, verba loqui non repræſentantia noſtros conceptus.

Dico II. Voces ſunt etiam ſigna rerum earum quæ per conceptus repræſentantur. Prob. Quia ſic audiens excitatur ad res ipſas percipiendas quæ vocibus ſignificantur. Imo præcipuum vocis noſtræ ſignificatum, eſt res ipſa; quia voces non ſunt inſtitutæ niſi ut per eas ſignificaretur id quod repræſentatur per conceptum; neque enim voces ſunt ſigna conceptuum, quatenus illi conceptus, ſunt quædam noſtri intellectus operationes, ſed potiùs quate-

nus ſunt repræſentativi rerum. Quare voces habent quidem conceptus pro ſuo immediato ſignificato, non tamen præcipuo. Item rectè ſic dicuntur voces eſſe ſigna ſuppoſitiva rerum: cum enim res ſignificatæ in medium proferri nequeant, utimur vocibus quæ pro ipſis rebus ſupponant.

Notandum verò eſt conſequenter, cùm voces ſint ſigna rerum ſimul ac conceptuum noſtrorum, debere eſſe ſignificativas juxta modum concipiendi noſtrum. Item pro triplici genere operationum noſtrarum intellectualium, debent ſignificare ad modum vel primæ, vel ſecundæ, vel tertiæ operationis. Vnde etiam vox omnis, ſeu ſimplex, ſeu complexa, id eſt, ex multis dictionibus compoſita (quam *orationem* vocant) pertinet vel ad Primam mentis operationem, & vulgò appellatur *Terminus*; vel pertinet ad Secundam, quæ dicitur *Enunciatio*: vel denique ad Tertiam, quæ eſt *Argumentatio*. De ſingulis ordine agendum nobis eſt. Ac primò quidem eſto.

DISPVTATIO II.
DE TERMINIS, ET DE ORATIONE.

CAP. I. *Terminorum diviſiones præcipuæ.*

TErminus eſt dictio extrema propoſitionis, in quam dividitur, tanquam in ſubjectum, vel prædicatum. Quas enim appellant *dictiones* grammatici; à logicis dicuntur *termini*, ex eo quod propoſitionem terminent. Ita *v. g.* in hac propoſitione *Petrus eſt homo*: *Petrus* dicitur *ſubjectum*: *prædicatum* verò eſt *homo*; illamque propoſitionem terminant.

Porrò

Porrò terminus, vel eſt mentalis, qui mente ſolùm concipitur; vel vocalis qui voce exprimitur: iſque vel poſitivus, ſi quid reale ſignificat, ut *homo*; vel negativus, ſi quid non reale, ut *tenebræ*. Item alius eſt quem *categorematicum* appellant, qui per ſe aliquid ſignificat, ut *homo*. Alius autem eſt *ſyncategorematicus*, qui per ſe nihil ſignificat, ſed categorematico adjunctus, illi certum ſignificandi modum tribuit. Vt conjunctiones, adverbia, &c.

Terminus ille *ſimplex & incomplexus* dicitur, ſi eſt tantùm unica dictio, ut *homo*. At dicitur *complexus, & compoſitus*, ſi eſt ex multis, ut *animal rationale*. Item ille terminus dicitur vel *finitus*, vel *infinitus*. Infinitus ille eſt cui præfigitur particula *non*, unde rebus diverſis in infinitum attribui poteſt; ut *non homo*, quod dici poteſt de re qualibet præter quàm de homine. Finitus autem è contra. Præterea terminus *categ.* vel eſt *nomen* vel *verbum*. At, *ex Ariſt.*

Dico I. *Verbum*, eſt vox de ſe adſignificativa temporis, & nota eorum quæ dicuntur de altero. Nempe ea eſt natura verbi, primò quidem ut aliquod genus actionis, aut paſſionis de altero ſignificet; qua ratione *amo v. g.* ſignificat actionem amandi in me; ſicque etiam ſignificat connexionem prædicati cum ſubjecto, ut ſequenti *Diſput.* explicabitur. Eamque ob cauſam dicitur eſſe *nota eorum quæ dicuntur de altero.* At ipſi adjuncta eſt hæc proprietas, quòd ſimul indicet tempus quo res ſignificata fiat; quæ tamen verbi proprietas non eſt inſeparabilis; ut ſequenti etiam diſput. oſtendetur.

Dico II. *Nomen*, eſt vox rei ſignificativa ſine tempore. Neque verò ſignificat aliquod genus actionis, aut paſſionis, cum tempore quo illa

fiat, Vt *lapis*, *homo*, *domus*. Sicque intelligere eſt diſcrimen nominis à verbo.

Objic. 1. *Cœna*, eſt verè nomen, cùm tamen ſignificet actionem ſumendi cibum ad ſerotinum tempus. ℞. Significat tantùm cibum qui tali tempore ſumi ſolet, non autem actionem cœnandi quæ tali tempore de facto exerceatur.

Ob. 2. Tò *ſum*, eſt verbum, cùm tamen actionem, aut paſſionem non ſignificet. ℞. Significat exiſtentiam quaſi in fieri, ſeu conſervari; tum quaſi activè copulat prædicatum cum ſubjecto, in quo differt à conjunctione copulativa *&*: ut ſuo loco declarabitur, &c.

Notandumque eſt ex Ariſt. præter alias proprietates levioris momenti, convenire tum verbo, tum nomini, quòd eorum pars nulla ſeparata, ſeu ſeparatim ſumpta ſignificet, id eſt, propriam habeat ſignificationem, quatenus ſaltem eſt pars; in quo differt ab *oratione*.

Notabis enim *orationem* hîc ſumi pro collectione ex multis vocibus ſenſum unum aliquem conſtituentibus; cujus proinde partes ſeorſim ſumptæ aliquid ſignificant. Iam verò

Not. ultimò terminos ejuſmodi, *v. g.* nomina, alia eſſe *primæ*, alia autem *ſecundæ intentionis*. At

Dico III. Nomina, ſeu termini primæ, aut ſecundæ intentionis ſunt quibus ſignificantur primæ, aut ſecundæ intentiones; id eſt noſtri intellectus notiones.

Notabis enim *intentionem* aliàs ſignificare actum voluntatis; quo finem, ſeu bonum ad quod tendit proſequitur. At hoc loco idem eſt ac notio, ſeu cognitio intellectus, vel directa, vel reflexa.

Notabis autem primas intentiones dici ea

quæ

quæ rebus conveniunt à parte rei, citra omnem noſtri intellectus operationem, ut *eſſe animal, eſſe hominem, eſſe arborem* &c. Et ad ea quidem per actum cognitionis primò intendit intellectus, quamobrem etiam voces illæ *animal, homo,* &c. dicuntur termini, & nomina primæ intentionis, aut etiam primæ impoſitionis.

At ſecundæ intentiones ſunt ea attributa quæ rebus illis conveniunt tantùm poſt operationem noſtri intellectus. Quomodo animali convenit eſſe *nomen,* eſſe *genus*, aut *prædicatum*, ut poſtea exponam. Dicunturque illæ ſecundæ intentiones, quia intellectus non niſi per reflexam, & veluti ſecundariam cognitionem ad illa intendit; quare etiam illa nomina eſſe *genus*, eſſe *verbum*, *&c.* vocantur nomina ſecundarum intentionum, & ſecundæ impoſitionis, quia rebus non imponuntur, niſi ut ipſæ priùs habent attributa ejuſmodi ab intellectu noſtro.

Dico IV. Ex illis terminis & nominibus alia ſunt concreta, quæ formam cum ſubjecto, ſeu compoſitum ex forma & ſubjecto ſignificant. Alia autem abſtracta, quæ ſolùm formam deſignant. Quæ quidem ut Tyro intelligat,

Notandum eſt 1. formam hîc appellari rem eam quæ in alio tanquam in ſubjecto recipitur, facitque ut denominetur, ſeu dicatur tale. Sic lapis albus, eſt ſubjectum albedinis, quæ dicitur forma in lapide exiſtens, & faciens ut denominetur albus. *Album* autem, quod dicitur nomen concretum, idem eſt ac res illa *alba*, ſeu compoſitum ex ſubjecto & illa albedine: at *albedo*, eſt abſtractum ab albo, ſolam albedinis formam ſignificans. Atque ut etiam explicetur quid paſſim in Philoſophia ſignificet *abſtractum*, & *abſtrahere*;

Not. 2. Abſtractum idem eſſe ac ſeparatum, ſeu præciſum ab alio; quod beneficio intellectûs fieri paſſim in Philoſophia videbimus. Sic albedo conſiderata ſine ſubjecto cui inhæret, dicitur forma abſtracta à ſuo ſubjecto. Sic intellectus præcisè conſiderans *v. g. animal*, non cogitando vel hominem, vel equum, &c. dicitur *abſtrahere*, ſeu etiam *præſcindere* animal ab equo, ab homine & ſimilibus aliis; quo pacto *animal* dicitur eſſe natura per operationem intellectus abſtracta ab homine, ab equo, &c Quanquam

Not. 3. Vocem hanc *abſtrahere*, habere & aliam ſignificationem Nam illud *abſtrahere* ſæpe idem eſt ac rem conſiderare independenter ab alia, id eſt nullâ ipſius habitâ ratione: quo pacto dicimus animal ſecundùm ſe, abſtrahere à rationali, & irrationali: nec ſecundùm ſe, id eſt, prout ſola ipſius animalitas conſideratur, eſſe aut rationale, aut irrationale. De quo abſtrahendi modo vulgò ajunt, *abſtrahentium non eſſe mendacium.* Vt autem pergam in diviſione terminorum:

Dico V. Ex terminis alius eſt connotativus, alius autem abſolutus. Terminus connotativus ille eſt, qui rem aliquam ſignificat, aliam importando propter connexionem quam inter ſe habent. Ita *Pater* dicitur connotare *Filium:* aut *ſervus, dominum: criſpitudo, capillum: ſimitas, naſum:* Terminus verò abſolutus aliquid ſignificat independenter ab alio, ut *homo, animal, lapis, &c.*

CAP. II. *De aliis Terminorum generibus.*

Dico I. Terminus alius vocatur eſſentialis, quia rei eſſentiam ſignificat: alius autem accidentalis, qui tantùm deſignat aliquod accidens, ſeu rem alteri accidentalem. At

Not. 1. Eſſentiam illud appellari per quod res primò, in ſuo eſſe conſtituitur, & ſine quo nec eſſe,nec concipi poteſt: quamobrem dicitur & primum principium aut proprietatum, aut operationum quæ in ea reperiuntur. Sic eſſentia hominis,eſt quòd conſtet ex corpore,& anima rationali; ſeu quòd ſit animal rationale; nam ſublato vel animali,vel rationali,non intelligitur homo. Sic in artefactis, partes ex quibus conſtant, tum ordo illarum partium,ſunt de eorum eſſentia.

Notabis autem 2. Illud dici accidens, aut accidentale rei, quod ipſi extra eſſentiam accidit. Vt homini eſſe magnum, doctum, album, calidum,&c. Sicque albedo.calor,doctrina,&c. ſunt accidentia in homine; nam homo intelligitur eſſe homo ex eo præcisè,quòd ſit animal rationale, abſtrahendo à doctrina, calore, albedine, aliiſque id genus quæ in eo reperiri poſſent. Quanquam

Not. 3. Accidens vulgò id dici quod *ſubſtantiæ* advenit, illique inhæret, non tanquam pars illius ſubſtantiæ. Vt calor in igne, in aëre; frigus in aqua, albedo in lapide. Subſtantia enim ex genere ſuo eſt primum ens, & tanquam baſis, & ſubjectum cui adveniunt inferioris gradus entitates illæ quæ dicuntur *accidentia*: ſicque entis eſſentialis ratio dividenda eſt in *ſubſtantiam* & *accidens*, cùm hæc ſingula propriam habeant eſſentiam ſuam, ſive ſubſtantialem, ut *ſubſtantia*: ſive accidentalem, ut entitas *accidentalis*. Hæc per tranſennam, de notione entis eſſentialis, tum ſubſtantialis, tum accidentalis, aliorumque id genus. Quanquam de iſtis plura, etiam à Tyrone Philoſophiæ peti poſſunt ex initiis Metaphyſicæ *De diviſionibus entis*; unde

ſic primas Terminorum communium notiones in promptu habeat.

Dico II. Ex terminis alii dicuntur particulares, aut ſingulares; qui rem particularem, aut ſingularem ſignificant. Vt *aliquis homo : Petrus*. Alii dicuntur communes, qui pluribus attribuuntur. Vt nomen *animal*, quod tribuitur homini, equo, &c.

Notabis autem rem termino communi ſignificatam convenire pluribus, vel eodem modo; ut *animal* homini, equo, &c. Iſtique vocantur termini *univoci*. Vel certè pluribus convenit diverſo modo; ut *homo*, tum vero, tum picto homini. Suntque iſti termini *æquivoci*. Item

Not. 2. Terminos univocè communes, propriè dici *univerſales*; remque illam pluribus univocè communem, vocari *naturam univerſalem*. Illa autem plura, vocantur naturæ ipſius univerſalis *inferiora*. Qua ratione *homo*, *equus*, *leo*, &c. ſunt inferiora *animalis*. Sicque etiam homo albus, nix, lapis albus, &c. dicuntur etiam inferiora *albi*. Atque ita natura univerſalis reperitur in inferioribus, vel eſſentialiter, ut *animal* in homine, equo, &c. vel accidentaliter, ſeu denominativè; ut *album* in homine, & lapide albo, &c. Item,

Not. 3. Ex communi ſententia, quintuplex eſſe univerſale. Nam primò, vel tota natura eſt pluribus communis; ut *homo* Petro, Paulo, &c. diciturque *Species* & natura *Specifica*. Vel ſecundò eſt aliquis gradus, ſeu pars naturæ multis ſpeciebus communis, quod eſt *Genus*, ut *animal* commune homini, equo, leoni, &c. vel 3. eſt gradus naturæ ſpecificæ proprius, & per quem ſub illo genere communi differt ab aliis, vocaturque *Diffe-*

Differentiæ; ut *Rationale* commune Petro, Paulo, & aliis ejuſmodi inferioribus; quæ appellari etiam ſolent *individua:* quia inferiora quidem generis, ſaltem immediata, dividuntur in alia inferiora; ut *Homo* in Petrum, Paulum, &c; at iſta *v.g.* inferiora *Speciei* non dividuntur in alia inferiora; quamobrem vocantur *individua.* Tria autem hæc univerſalia tribuuntur eſſentialiter ſuis illis inferioribus.

Præterea verò 4. Eſt accidens proprium, ſeu quod habet connexionem neceſſariam cum ſuis inferioribus; ut *riſibile* cum omnibus hominis individuis.

Ac denique 5. Eſt accidens commune, inhærens tantùm *contingenter* ſuis inferioribus. Vt *album* quod commune eſt Petro, lapidi, nivi, &c.

Not. 4. Præter iſtos univerſales terminos, eſſe alios tranſcendentales, qui rei cuicunque tribuuntur, ut *ens:* nihil enim eſt reale quod non dicatur *ens.*

Quia verò hîc egimus de Denominativis, Vnivocis, & Æquivocis, tum aliis id genus quæ ſpecialem continent difficultatem hujus tractatus propriam: ideo ſingulis capitibus illa ſunt exponenda.

CAP. III. *De Denominativis, ſeu Paronymis.*

NOmen denominativum, eſt illud quod à priori aliquo vocabulo, & ſignificatione deducitur, ut *album* ab *albedine*; *juſtus*, à *juſtitiâ*; & ſignificat per modum adjacentis.

Notandumque eſt, denominativa propriè, & juxta Ariſt. eſſe tantùm accidentalia, non autem ſubſtantialia. Ipſumque concretum, puta album, vocari denominativum: abſtractum autem, ut albedo, vocatur forma denominans;

At ſubjectum dicitur denominatum, ſeu res denominata. Item communis ille eſt loquendi modus : *formam ſubjecto advenientem, communicare illi ſuam denominationem* ; hoc eſt communicare illi ſuum effectum formalem , & facere ut ſit , & dicatur tale. *Exempli cauſâ* ; Albedo parieti inexiſtens communicat illi formaliter eſſe albi , ac proinde facit ut denominetur , id eſt , ut dicatur , ſeu dici à nobis poſſit albus. At

Not. 1. Denominationem hujuſmodi eſſe vel formalem , vel objectivam. Denominatio objectiva, eſt ipſum eſſe album in pariete, quod oritur ex inexiſtentia albedinis in pariete. Denominatio formalis, eſt propoſitio quæ fit à nobis de illa albedinis inexiſtentia , tanquam de illius objecto ; ut cum dicimus talem parietem eſſe album. Item

Not. 2. Denominationem omnem vel eſſe intrinſecam, ſi forma denominans eſt intrinſeca ſubjecto , ut quando paries denominatur albus , ab albedine in ipſo exiſtente : vel eſſe extrinſecam , ſi forma denominans eſt extrinſeca. Vt quando paries denominatur viſus , à viſione mea, quæ circa ipſum verſatur.

Dico autem I. Nullam eſſe in rebus novam denominationem ſine aliqua mutatione, vel intrinſecâ , vel extrinſecâ , id eſt , ſecundùm extrinſecum. Prob. Quia res eædem eodem modo manentes, ſemper faciunt idem, & denominantur eodem modo : ergo ut fiat nova denominatio , debet eſſe aliqua in rebus mutatio. Huc quoque refertur commune illud dictum : Non fit tranſitus de contradictorio in contradictorium ſine aliquâ mutatione.

Notandumque eſt , formam ſubjecto intrin-
ſecè

ſecè advenientem, ut calorem aquæ, ſic inferre quidem illi novam mutationem intrinſecam, novamque denominationem. Item

Not. 2. Nullam ſic eſſe novam denominationem intrinſecam, niſi à forma intrinſeca, ut patet. At

Dico II. Non eſt neceſſe ut omne ſubjectum novæ denominationis realis intrinſecæ, ideo ſupponat novam mutationem ſibi intrinſecam, novamque formam in ſe recipiat; ſufficit enim pro denominationibus connotativis & relativis, ut fiat aliqua mutatio ſecundùm extrinſecum. Ita oſtenditur in Metaphyſicâ, quemadmodum oriatur nova realis denominatio intrinſeca in fundamento Relationis, factâ ſolùm mutatione ſecundùm extrinſecum, nempe ex eo quòd ponatur novus terminus. Sic Deus intrinſecè de novo denominatur creans, factâ ſolùm mutatione ſecundùm extrinſecum, nempe in creaturâ. Et ſic de aliis. Quinetiam,

Dico III. Non omnis mutatio realis, aut actio realis nova, infert novam entitatem ſeu realitatem in rebus. Ita enim cera eadem ſub eâdem quantitate & extenſione locali, de quadratâ ſit rotunda, novaſque alias recipit figuras, ſicque mutatur realiter ſecundùm intrinſecum, abſque ullâ novâ entitate in ſe productâ; cum dicatur hîc ſufficere nova formalitas: ut docetur in Phyſica, ubi de indiſtinctione reali figuræ ab extenſione locali. Item configuratio illa, eſt nova actio realis, cum novo effectu reali, ſed tantùm ſecundùm novam formalitatem, non autem ſecundùm novam realitatem, ſeu entitatem. Sic etiam docetur in Phyſicâ, motum localem non produci ſecundùm aliquam novam realitatem. Item, quòd aliquid contineatur

neatur firmiter in loco, vel impellenti reſiſtat, ſunt actiones quædam reales, ſine aliqua entitate reali, &c. Nec dicas; non eſt potior ratio cur judicaretur per calefactionem *v. g.* produci calorem ſecundùm aliquam novam realem entitatem. *N. paritatem.* Quia probant phyſici figuram, aut motum localem non eſſe entia per propriam entitatem, ſed tantùm per alienam, quia ſcilicet non habent aliam quàm ſui ſubjecti entitatem.

Not. Hanc quidem doctrinam eſſe contrariam Modiſtis, ſed ipſi etiam non negant ſuam eſſe contrariam omnibus antiquis; nec habere fundamentum in Ariſtotele, & D. Thoma; ut ipſe Suarez Modiſtarum coryphæus ſcribit *in Metaph. diſp.* 7. *ſect.* 1. Item Vaſquez *in* 3. *p. diſp.* 41. *c.* 4. *n.* 25. Item Mendoza *in Metaph. diſp.* 15. *ſ.* 2. *n.* 10. *&c.* Quanquam non ita ſum contrarius Modiſtis, quin ex aliis principiis admittam aliquos modos realiter diſtinctos in Phyſica, & Metaphyſica.

CAP. IV. *De Vnivocis, ſeu Synonymis.*

V*Nivocum*, eſt illud quod ſub eodem nomine rationem habet in multis perfectè eandem; id eſt, eodem modo, quantùm eſt de ſe in ſuis inferioribus continetur. Vt *animal* in *homine & equo.* Quare

Dico I. Vnivoca perfectè, & adæquatè abſtrahunt à differentiis, per quas ad inferiora contrahuntur. Prob. Quia alioqui ratio illa abſtracta non eſſet una; nam differentias includendo, diceret multiplicitatem, & diverſitatem. Ita *animal* abſtrahit à *rationali, & irrationali.* Suntque iſtæ rationes, ſeu gradus mutuò præciſi, ut explicatur in Metaph.

Notabis autem, adæquatè abſtrahere, eſſe unum gradum præſcindi ab alio gradu eſſentiæ, ita ut ſecundùm ſe totum conſideretur extra alium.

Dico II. Vnivoca inferioribus quantum eſt de ſe non conveniunt inæqualiter. Sic gradus animalitatis, de ſe æquè perfectè reperitur in muſca, ac in equo & in homine. Nam eſt tantùm per accidens, & ratione differentiæ, quòd perfectiori modo ſit in equo, quàm in muſca. Prob. Quia ratio univoca ideo dicitur perfectè una, quòd ſit fundata in perfectâ convenientiâ inferiorum; quo pacto ab analogis diſcrepat; uti fuſius exponitur in Metaph. Vnde conſequenter,

Dico III. Ratio univoca non convenit ſuis inferioribus ſecundùm priùs & poſteriùs: juxta id quod habetur in metaph. ex Ariſt. *poſterius illud fore deterius*, id eſt minoris perfectionis eſſentialis. Quomodo ait ſæpe D. Th. cum Ariſt. accidens participare rationem entis, per poſteriùs ad ſubſtantiam; quia non participat illam rationem entis niſi ſuppoſitâ ſubſtantiâ, aut per ordinem ad ſubſtantiam, qua ſublata non foret accidens, ut docetur in metaph. At ratio univoca animalis ita participatur ab homine, & equo, ut non ſequatur equum eſſe impoſſibilem, ſi homo non fuerit poſſibilis; nec enim participat rationem animalis per ordinem ad hominem, aut dependenter ab ipſo. Quare etiam

Dico IV. Ratio univoca non eſt in inferioribus cum dependentia *unius* ab alio. Prob. Nam, ut diximus, eſt æquè perfectè in illis, ergo *unum* in ratione ſua ejuſmodi univoca, non dependet ab alio; ſiquidem iſtud foret perfectius,

fectius,quod eſt contra hypotheſim : dependentia enim dicit imperfectionem, aut minorem perfectionem in eo quod eſt dependens, ſecundùm illam rationem per quam eſt dependens.

Obji. 1. Ratio numeri ut ſic, eſt univoca ad omnes numerorum ſpecies : nihil enim aliud dicit quàm pluralitatem unitatum ſimul : quod reperitur in omnibus ſpeciebus numerorum: & tamen ratio illa numeri convenit ſuis inferioribus per priùs, & poſteriùs, & cum dependentia unius ab alio; neque enim ſic poteſt eſſe centenarius *v g.* niſi ſuppoſito quinario, ternario, &c. ℞. Cum D. Th. ſpecies numerorum habere illam poſterioritatem, & dependentiam, ex differentia ſpecifica ſui conſtitutiva, non autem ex ratione generica numeri ut ſic. Et verò, ſi ratio generica numeri conveniret per priùs ternario, quàm centenario, & dependenter à ternario; ſequeretur ternarium eſſe numerum perfectiorem centenario, non ſolùm in ratione generica, ſed etiam conſequenter & in ſpecifica; quia nobiliori generi debetur differentia ſpeciei conſtitutiva perfectior : Atqui contra eſt; nam centenarius continet perfectionem ternarii, & plures alias.

Obji. 2. Genus Qualitatis, ſeu Qualitas ut ſic, eſt univoca ad potentiam naturalem, habituſque ipſius perfectivos; & tamen prius eſt eſſe potentiam, quàm habitus, nec habitus participant rationem qualitatis niſi per dependentiam à potentia, qua ſublata, impoſſibiles forent habitus. ℞. Habitus hæc non habere niſi ex differentia ſpecifica ſui conſtitutiva in ratione habitus : nam rationi genericæ qualitatis iſtud non convenit; alioquin conveniret omni

omni qualitati, adeóque ipſi potentiæ, quod eſt impoſſibile.

CAP. V. *De Æquivocis, ſeu Homonymis.*

V*Nivocis* opponuntur æquivoca. Æquivoca enim ut ſic, ea ſunt quæ ſub eodem nomine rationem habent, vel diverſam, vel partim eandem, & partim diverſam. Quare

Dico I. Æquivocum ut ſic, continet ſub ſe duas ſpecies. Nam ex æquivocis alia ſunt quæ dicuntur *purè æquivoca*, ſeu *æquivoca à caſu*. Alia autem ſunt quæ in doctrina peripatetica, vocantur *æquivoca à conſilio*, ſolentque vulgò appellari *analoga*.

Dico autem I I. Purè æquivoca definiuntur ab Ariſt. Sunt ea, quorum nomen ſolùm commune eſt, & ratio nomini accommodata, diverſa. Vt quando nomen *Canis* tribuitur tam vero cani, quàm cœleſti conſtellationi, aut piſci, quem canem etiam appellant. Vocaturque æquivocum à caſu; quia caſu, & fortuitò, id eſt, ſine ullo fundamento in re, idem illud nomen rebus tam diverſis eſt impoſitum. At contra

Dico I I I. Analoga, ſeu æquivoca à conſilio ſunt ea quæ ſub eodem nomine rationem habent partim eandem, & partim diverſam. Ita ratio *pedis* eſt quidem ſimpliciter diverſa in pede ſcamni; & pede animalis: at nihilominus in eo conveniunt ſecundùm quid, ſeu proportionem in eo habent, quòd illa pars in ſcamno ſuſtineat totam molem, perinde ac pes in homine; unde appellantur ejuſmodi *analoga proportionis*. Nam alia ſunt *analoga attributionis* quorum dicitur eſſe ratio eadem propter ordinem quem habent, vel multa ad unum; vel unum ad multa. Primò enim aër, medicina,

ſudor,

ſudor, cibus, & cætera id genus dicuntur ſana, ex eo quòd habeant ordinem ad ſanitatem animalis cui propriè tantùm, ſeu formaliter & primariò convenit ſanitas; quamobrem vocatur primum, & præcipuum analogatum: alia autem ſecundaria ſolùm analogata. Atque iſta quidem ſolent etiam dici *analoga ad unum*: nam alia ſunt *ab uno*; quomodo libri vocantur medici, & ſchola medica, propter medicinam quæ in iſtis eſt præcipuum analogatum; ſiquidem à medicina derivatur illa ratio ad alia.

Notandumque eſt 1. Analogiam aliam eſſe propriè dictam; aliam autem impropriè, & ſolùm metaphoricè. Ita pes ſcamni, & pes montis, cum pede animalis; item homo pictus, & ligneus, cum homine vero habent analogiam propriè dictam: At metaphoricè tantùm dicuntur ridere prata, per proportionem ad hominis riſum. Item

Not. 2. Ex analogis proportionis propriè dictis, alia continere tantùm accidentaliter rationem ſibi cum aliis analogicè communem; alia autem eſſentialiter, quomodo ens ut ſit dicitur eſſentialiter de ſuis inferioribus. Sed

Notabis ejuſmodi analoga differre ab aliis; quòd habeant rationem unam, ſecundùm quid ſaltem abſtractam ab inferioribus; unde etiam habere poſſunt communem aliquam definitionem; quod oſtenditur in Metaphyſica.

Notabis autem ultimò, apud Logicos, terminos æquivocos vocari æquivoca æquivocantia; quomodo & univoci vocantur quoque univoca univocantia; & denominativi, denominativa denominantia. Cùm è contra res ſignificatæ appellentur aut denominativa de nominata:

nata : aut univoca univocata : aut æquivoca æquivocata.

CAP. VI. *De Oppoſitis.*

EX terminis alii tandem dicuntur oppoſiti, qui ſcilicet res oppoſitas ſignificant. At

Not. Oppoſitionem latè & minùs propriè, eſſe negationem duorum ab invicem, ſive *realem*, quando eſt inter duo entia; ſive *formalem*, quando eſt ſolùm inter duas ejuſdem rei formalitates : atque illa quidem negatio, vel eſt *excluſiva*, quando eſt rerum incompoſſibilium, & quæ ſe excludunt ab eodem ſubjecto; vel eſt *abſtrahens*, quando eſt inter formas ſimul compoſſibiles, quomodo calor dicit negationem ſiccitatis, quatenus non eſt ſiccitas, cum qua tamen ſimul eſſe poteſt, ut in igne. Quæ formæ mutuam ſui negationem duntaxat abſtrahentem habent, non ſunt propriè oppoſitæ, ſed potius vocantur *diſparata*; quia neque ſe mutuò inferunt, aut connexionem habent inter ſe, neque ſe mutuò deſtruunt.

Oppoſitio autem propriè, eſt inter ea quæ ab eodem ſe excludunt. Item quæ propriè & ſpecialiter ſunt oppoſita, ſic dicuntur pugnare inter ſe, ut ſimili modo non pugnent cum alia re quacunque; ut calor & frigus : quam enim repugnantiam habet calor cum frigore, ſimilem non habet cum re alia ulla. Iam verò

Dico I. Ex Ariſt. Quadruplex eſt ejuſmodi oppoſitorum genus. Probatur ex generalibus modis repugnandi, qui reperiuntur vel inter duo entia, unde poſitivè opponantur; vel inter ens & non ens; unde opponantur negativè, aut privativè. Nam inter iſta reperitur ſolùm oppoſitio vel privativa; vel negativa, ſeu contradictoria.

Dico autem II. Oppoſitio relativa eſt inter ea quorum unum refertur ad aliud. Vt inter patrem & filium; ſcientiam & ſcibile.

Dico III. Contraria propriè ſunt ea quæ cùm apta ſint recipi in eodem ſubjecto, ſe ſe invicem ab eo expellunt. Vt calor & frigus. dicuntur ab Ariſt. *ſub eodem genere diſtare maximè* : quia non poteſt aſſignari aliquid ſub illo communi genere; quod cum aliquo eorum pugnet, aut æquè, aut magis. At

Notabis, ex contrariis alia ſibi invicem opponi per eſſentiam, atque indiviſibiliter, & immediatè; unde vocantur *immediata*; quia nullum habent medium inter ſe, nec ſe invicem compati poſſunt in eodem ſimul ſubjecto, etiam in gradibus remiſſis : ut in numeris *par* & *impar*. Item, *volitio* & *nolitio efficax* reſpectu ejuſdem. Item *aſſenſus* & *diſſenſus*, etiam reſpectu ejuſdem; quemadmodum ſuo loco explicabitur. Alia verò ex contrariis dicuntur *mediata*, quia medium habent, vel per participationem utriuſque extremi; ut album & nigrum, quæ pro medio habent viride, &c. Calidum & frigidum, quæ pro medio habent tepidum; vel per negationem utriuſque extremi, quomodo bonum & malum habent medium inter ſe, quod neque eſt bonum, neque malum. Item ex iſtis contrariis alia dicuntur opponi tantùm ſecundùm intenſionem, & diviſibiliter. Vt calor & frigus, quæ ſub remiſſis gradibus ſimul ſunt; neque ſe expellunt ab eodem ſubjecto, niſi ſub gradu intenſo. Item ex contrariis alia ſunt moralia; ut actus meritorius & demeritorius; alia autem naturalia; ut calor & frigus; docetque Ariſt. in lib. de Cœlo; dato in rebus uno ejuſmodi contrario naturali, reperiri quoque

que ex providentia naturæ & alterum, ut ſe ſe mutuò coërceant; quomodo etiam contrariis curantur contraria, &c.

Dico IV. Oppoſitio privativa eſt inter privationem, & rem, ſeu habitum, ut vocant, cujus eſt privatio: definiturque privatio: *Carentia formæ, ſeu habitus in ſubjecto apto ad talem formam:* ut cœcitas in oculo, facultati viſivæ oppoſita, cujus capax eſt oculus. Alioquin propriè vocatur negatio, ſi ſit carentia in ſubjecto non apto.

Notandumque eſt, privationem aliam eſſe quæ solummodò excludat actum, quales ſunt tenebræ, quæ lumen excludunt ab aëre; aut carentia viſionis quæ per ſomnum excluditur ab oculo. Præterea verò alia eſt privatio quæ ſimul potentiam cum actu excludit, ut cœcitas in oculo; mors in corpore animalis. Atque in eo quidem caſu duntaxat verum eſt quod vulgò ajunt, *à privatione ad habitum non dari regreſſum, ſaltem naturaliter*; nam ſupernaturaliter poteſt; quomodo legitur Chriſtus viſum cœcis, & vitam mortuis reſtituiſſe.

Not. 2. Oppoſitionem privativam habere medium per negationem utriuſque extremi. Sic enim lapis neque eſt cœcus, nec videns.

Dico V. Contradictio, eſt oppoſitio inter ea quorum alterum, negationem alterius exprimit. *v. g. homo* & *non homo*. Vocaturque hæc ſimplex contradictio, quia eſt inter ſimplices terminos. Alioquin dicitur illa complexa, quæ reperitur inter propoſitiones, quarum una negat id quod ab alia affirmatur. Vt ſi dixero *homo eſt animal, & homo non eſt animal.*

Notandumque eſt, contradictionem eſſe oppoſitionum maximam, quòd nullum admittat me-

medium inter ſua extrema. Ac proinde neceſſe eſt alterum admitti tanquam verum deſtructo altero; nec poteſt eſſe aliquid de quo pars contradictionis alterutra non dicatur. Nam *v. g.* quicquid eſt vel dicitur homo, vel non homo.

Not. 2. Quæ implicant, ſeu involvunt aliquam contradictionem, illa eſſe prorſus impoſſibilia; nec conſequenter effici poſſe vel ab ipſo omnipotente Deo. Nam Deus ex eo ſolùm dicitur omnipotens, quòd illa poſſit quæ nullam involvunt contradictionem; neque verò ulla eſt potentia ad id quod ſupponitur impoſſibile. Item res non dicitur abſolutè impoſſibilis ex defectu potentiæ, ſed propter repugnantiam ad eſſe, quam habet in ſe.

CAP. VII. *Terminorum proprietates nonnullæ.*

HIc agam maximè de Suppoſitione, Ampliatione, Diſtractione, & Appellatione. A primò quidem

Dico Suppoſitionem eſſe acceptionem vocis, vel pro ſeipſa; vel pro re ſignificata. Quare duplex eſt ſuppoſitio, altera materialis, quando vox ſupponit pro ſeipſa; ut cum ajo *Deus eſt nomen.* Altera eſt formalis, quando ſupponit pro re ſignificata. Vt ſi dicatur *Deus eſt immenſus.*

Item. Suppoſitio formalis alia eſt *ſimplex*, alia autem *perſonalis*. Simplex ea dicitur, quando vox ſumitur pro ſuo ſignificato immediato: ut cum dicitur, *Animal eſt vivens & ſentiens*; tunc animal ſumitur in communi, non autem pro animalibus in particulari.

Perſonalis eſt quando vox ſumitur pro ſuo ſignificato mediato; id eſt, cum extenditur ad ſignificata particularia. Alioquin mixta illa dicitur

citur ſuppoſitio, quando ſumitur tam pro immediato, quàm pro mediato ſignificato; ut ſi *animal* in allato exemplo ſumatur, tam pro animali in communi, quàm pro ſingulis animalium ſpeciebus, atque individuis.

Item, Perſonalis alia eſt ſingularis, quando vox ſumitur pro ſingulari aliquo ſignificato, ut cum ajo *Petrus*, vel *hic homo loquitur*. Alia autem eſt communis, quando nomen commune ſumitur pro ſuis inferioribus.

At præterea communis hæc ſuppoſitio perſonalis habet diverſas ſub ſe ſpecies. Primò enim eſt *diſtributiva*, quando vocis ſignificatum extenditur ad omnia inferiora diſtributivè ſumpta, id eſt, cum de quolibet inferiori ſigillatim dicitur. Vt cum ajunt, *omnis homo eſt animal rationale.*

Secundò, eſt *copulativa*, quando ſignificatum ſumitur tantùm pro inferioribus collectivè ſumptis. Vt cum ajunt, *omnia elementa ſunt quatuor.*

Tertiò, eſt *confuſa* ſeu *indeterminata*; quando ſumitur pro inferioribus tantùm indeterminatè, & disjunctivè, hoc nimirum, vel illo. Vt cum dicitur, *penicillus eſt pictori neceſſarius ad pingendum.*

Notabis iterùm, ſuppoſitionem diſtributivam eſſe vel completam, vel incompletam. Completa eſt quando vox ſupponit, id eſt, ſumitur pro ſingulis generum, ſeu pro omnibus ſub genere contentis. Vt cum ajo *omnis homo eſt animal rationale.* Incompleta eſt, quando terminus accipitur tantùm pro generibus ſingulorum, id eſt pro aliquibus duntaxat individuis illorum generum, aut ſpecierum. Vt cum ajunt, *Omne animal fuit in arca Noë.*

Dico II. Ampliatio eſt quando vocis, ſeu termini ſignificatum ad alia etiam tempora extenditur. Vt cum ajunt *omne animal eſt vivens*, tam intelligitur de animalibus quæ fuerunt, & futura ſunt, quàm de iis quæ exiſtunt. At

Dico III. Per *diſtractionem* ſignificatum vocis refertur tantùm ad aliud tempus; ut cum ajunt *Cæci vident*.

Dico IV. Appellatio eſt quando vocis ſignificatum alicui tantùm rei certæ ac determinatæ applicatur. Vt cum ajunt, *Ariſtoteles eſt magnus Philoſophus*, Tò *magnus* dicitur appellare ſupra Tò Philoſophus, diciturque philoſophus eſſe *res appellata*, ſeu res ſub qua Ariſtoteles dicitur magnus.

CAP. VIII. *De Oratione, ubi maximè de Definitione, & Diviſione.*

IAm *capite* 1. *hujus diſput.* Vbi nominis & verbi diſcrimen ab oratione propoſui; dicebam Orationem eſſe collectionem ex multis vocibus ſenſum aliquem unum conſtituentibus, cujus proinde partes ſeorſim ſumptæ aliquid ſignificant.

Notandum verò eſt, orationem hujuſmodi aliam eſſe perfectam, quæ ſcilicet verum, aut falſum ſignificet, qualis eſt *enunciatio*, ut poſtea explicabitur; aliam autem eſſe imperfectam, qualis *v. g.* eſt *vocativa*, nempe ille ſermo per quem aliquis vocatur. Item, *imperativa, deprecativa*, *interrogativa*: &c. De Definitione, & Diviſione hîc agemus; cum in aliis diſputationibus de Enunciatione, tum de Argumentatione ſermo futurus ſit. Itaque

Dico I. Definitio communiter dicitur eſſe oratio explicans rei naturam, ſeu eſſentiam; ut

cum

cum ajunt, *homo eſt animal rationale*. Tunc enim *homo* vocatur *definitum*, ſeu res quæ definitur; at *animal rationale*, eſt definitio; nam eſt explicatio clara & diſtincta hominis; cujus natura alioquin concipiebatur ſolùm confusè: quo pacto definitio confert ad perfectionem primæ operationis intellectivæ, cum illam ſic reddat claram & diſtinctam. Illam rei eſſentiam, ſeu naturam vocant etiam *quidditatem*; propterea quòd ad quæſtionem *quid eſt*, reſpondetur id quod eſt rei eſſentia.

Notabis autem rei ſaltem creatæ naturam, ſeu eſſentiam continere in ſe quaſi plures partes, ſeu perfectionis *gradus*, ex quibus conſtet. Primò enim in ea deſignatur gradus genericus; eſtque id in quo convenit cum rebus aliis diverſæ ſpeciei, cujuſmodi in homine eſt *animal*; ſic enim in gradu animalitatis convenit cum equo, leone, & aliis animantibus. At ſecundò eſt gradus ſpecificus per quem in tali ſpecie animalis conſtituitur, qui vocari ſolet *differentia*; ut in homine *rationale*. Sic enim per gradum illum differt ab alia quacunque animalis ſpecie. Quare

Not. 2. Definitionem ut bona ſit, debere conſtare ex genere, & differentia; alioquin rei eſſentiam clarè, & diſtinctè; ſeu per partes non explicaret. Quanquam

Not. 3. Eſſe definitionum diverſitatem non parvam. Primò enim alia eſt quam propriè *deſcriptionem* appellant, quæ fit tantùm per accidentia rei propria. Alia eſt *cauſalis*, cùm illud quod res eſt per proprias ejus cauſas explicatur. Vt quando ajunt, *Hominem eſſe animal creatum à Deo, ad beatitudinem æternam*.

Notandumque eſt, illas definitiones revocari

ad eſſentiales, etiam quando facultatis alicujus natura per ordinem ad objectum proprium explicatur, quanvis ille ordo ſit aliquod accidens facultati ſuperadditum; nec objectum ſit niſi extrinſecum facultati, ſeu extra illam. Ratio eſt, quia rerum illarum eſſentia ſecundùm ſua intrinſeca, non poteſt eſſe aut concipi ſine illis accidentalibus, & extrinſecis. At

Not. 5. Eas eſſe leges definitionis: 1. Vt clarior ſit definitio. Nam eum in finem oratio illa inſtituta eſt. 2. Vt adæquetur cum definito, & cum ipſo convertatur. Id eſt, ut omni, & ſoli definito conveniat. Cùm enim eſſentiam rei contineat; omni, & ſoli talem habenti eſſentiam non poteſt non convenire. 3. Brevis eſſe debet, ut philoſopho ſit magis in promptu, & memoriæ faciliùs mandetur.

Dico I I. Diviſio eſt oratio quâ totum in ſuas partes diſtribuitur. Vt cum ajo, *Hominis pars alia eſt corpus, alia autem anima.* Vbi quod eſt totum, vocari ſolet *diviſum*, ut *homo*: partes verò illius dicuntur membra dividentia, ut *corpus & anima.*

Notabis autem diviſionem aliam eſſe totius eſſentialis in partes eſſentiales, ut in allato exemplo; aliam generis in ſuas ſpecies. Vt ſi dixero, *Animal aliud eſt homo, aliud brutum*, &c. Item

Not. 2. Has eſſe præcipuas diviſionis leges. 1. Membra illius debent eſſe oppoſita: id eſt non debent ſeſe mutuò includere. 2. Diviſum latiùs patet quàm ſingula membra ſeorſim ſumpta: at ſimul ſumpta omnia, diviſum ipſum adæquant. Id eſt, nec minùs eo patent, nec latiùs, &c. Item

Not. 3. Hac ratione multùm quoque juvari intellectum ad rem clarè & diſtinctè concipiendam.

dam. Poteſtque perinde ac definitio revocari ad primam mentis operationem ſi fiat ſine affirmatione, aut negatione. Alioquin pertineret ad ſecundam. Vt quando ſic eſſentiam hominis dividunt in ſuas partes eſſentiales : *Hominis pars alia eſt corpus, alia autem eſt anima.*

DISPVTATIO III.
DE ENVNCIATIONE.

CAP. I. *Enunciationis natura.*

ENunciatio eſt oratio in qua unum de alio vel affirmatur, vel negatur. Vt cum ajo, *Petrus eſt homo.* Vel *Petrus non eſt lapis.* Quo pacto differt ab aliis operationibus. Vnde etiam intelligis affirmationem, vel negationem eſſe eſſentiales enunciationi; ipſamque dividi in affirmativam, & negativam, tanquam in duas ſpecies eſſentialiter diverſas. Appellatur *Enunciatio*, quòd in ea aliquid enuncietur de alio. Item vocatur *propoſitio*, quòd in ea proponatur aliquid diſcutiendum. Item etiam vocatur *prædicatio*, quòd in ea prædicetur unum de alio, &c.

Tres continet partes, vel explicitè, ſeu formaliter; vel implicitè, ſeu virtualiter. Nam primò, continet prædicatum, ſeu attributum; nempe id quod de alio enunciatur. Secundò, ſubjectum, de quo enunciatur. Ac 3. denique copulam, ſeu verbum (*eſt*) quo ſubjectum, & prædicatum ſimul conjunguntur. At Enunciatio dicitur partes illas tres continere formaliter, & explicitè, quando ipſæ tres exprimuntur, adjacetque aliquod tertium verbo (*eſt*) unde appellatur propoſitio de tertio adjacente.

Vt *Petrus eſt homo.* Alioquin ſi verbum (*eſt*) prædicatur, nihilque adjacet, vocatur propoſitio ſecundi adjacentis, ut iſta, *Deus eſt:* continetque tantùm virtualiter, ſeu implicitè tres partes, ſi enim reſolvitur, eadem erit ac *Deus eſt exiſtens.* Idem per proportionem exiſtima de ea in qua loco verbi (*eſt*) aliud ponitur, ut ſi dixeris *Petrus currit.* Quam appellant propoſitionem de verbo adjectivo.

Dico autem I. Enunciatio non fit à nobis humano modo, niſi per comparationem ſubjecti cum prædicato, unde appareat unius cum alio connexio, quæ intellectum determinet vel ad aſſenſum, vel ad diſſenſum. Quamobrem

Notabis 1. Ex modo agendi nobis connaturali, prædicatum *abſtrahi,* ut ajunt, ſeu quaſi per mentem ſeparari à ſubjecto, ut fiat illa utriuſque comparatio: neque enim comparatio fit niſi inter plura, & conſequenter diſtincta. Item

Not. 2. In illa propoſitione *homo eſt animal,* τὸ *animal* apud intellectum noſtrum remanere in ſe & intrinſecè, ut ajunt, abſtractum, cum in noſtro intellectu ſic exiſtat abſque inferioribus, cum quibus à parte rei intrinſecè contractum eſt, identificatumque: neque enim ſic de facto ubi mihi repræſentatur animal, repræſento mihi vel hominem, vel equum, &c. jam verò

Dico II. Ad bonitatem Enunciationis, requiritur non tantùm ut ſubjectum in ſe, & ſecundùm rem contineat prædicatum; id eſt, rem ſignificatam per prædicatum; ſed etiam ex modo prædicandi, exprimi debet illa continentia, & connexio prædicati cum ſubjecto, unde ſubjectum, & prædicatum comparentur inter

inter ſe quaſi habens, & res quæ habetur, aut includitur in alia. Prob. Quia propoſitio non eſt tantùm ſignificativa rei, ut in ſe eſt; ſed etiam quatenus ipſa res eſt in noſtro intellectu: vel ſi lubet, eſt rei ſignificativa juxta noſtrum concipiendi modum. Atque prædicatum ſic à nobis concipitur quaſi incluſum, aut conjunctum cum ſubjecto; aut certè quaſi ſubjectum contineat. Nam in illis propoſitionibus *Petrus eſt animal.* Paries eſt albus. *Album* ſignificat rem quæ eſt alba, & *animal* ſignificat id quod habet animalitatem. Et verò concretum omne juxta noſtrum concipiendi modum, continet ſubjectum cum forma. Vnde etiam pars in concreto, ſic rectè prædicatur de toto, ut *homo eſt animal. Petrus eſt oculatus*, &c.

Notandumque eſt, conſequenter non rectè prædicari abſtracta de abſtractis, ut *humanitas eſt animalitas.* Aut abſtracta de concretis; aut è contra. Vt *Petrus eſt humanitas*, &c. Quia ſubjectum, & prædicatum repræſentantur quaſi res à ſe invicem formaliter ſaltem præciſæ. Alioquin valet iſta propoſitio. *Ens eſt entitas.* Quia ens, & entitas ſunt idem formaliter. Item iſta, *Deus eſt veritas*; *eſt ſua ſapientia.* Quia ex ratione ſpeciali naturæ Divinæ, nihil includitur in conceptu unius, quod non ſit de conceptu alterius, ut explicatur in Metaphyſicâ. Item dicitur *quantitas eſt quanta, & è contra.* Quia, ut habetur in phyſicâ, quantitas continet formaliter effectum formalem, quem communicat ſubjecto ſuo.

Dico III Prædicatum univerſale in actuali prædicatione non deperdit ſuam univerſalitatem; ut cum ajunt *Petrus eſt homo.* Probatur. Quia homo ſic remanet ſemper in ſe cum abſtra-

ſtractione; nec conceptus hominis, eſt conceptus Petri; alioquin fieret propoſitio identica. Conf. prædicatio, ſeu ſecunda illa operatio quæ ſupponit primas operationes, ſeu ſimplices apprehenſiones prædicati & ſubjecti, illas non deſtruit; neque enim cum illis pugnat: imò potiùs non poteſt eſſe ſine illis: nihil enim eſt aliud ſecunda ejuſmodi operatio, quàm aſſenſus ad connexionem prædicati cum ſubjecto, qui aſſenſus, ut ſupra dixi, non fit niſi ex comparatione prædicati cum ſubjecto: ergo ſic debet remanere ſemper unius diſtinctio ab alio; neque enim fit comparatio, ut ajebam, niſi inter ea quæ plura ſint, & conſequenter diſtincta.

CAP. II. *Defenditur univerſalitas prædicati in actuali prædicatione.*

OBjic. 1. In illa enunciatione. *Petrus eſt homo*, Tò *homo* deſinit eſſe prædicabile de multis, quia potentia ejuſmodi ad prædicari de multis, tollitur per actum. *N.* Quia non omnis potentia tollitur per actum. Ita potentia mea viſiva non deſinit eſſe viſiva aliorum objectorum, etſi actu jam ad unum determinetur.

Inſt. 1. *Homo* conjungitur cum *Petro*, ſeu contrahitur & determinatur ad *Petrum*. Ergo fit ſingularis perdendo ſuam univerſalitatem. *Diſt. Ant.* conjungitur, determinatur, contrahitur extrinſecè quaſi per comparationem unius cum alio *C.* intrinſecè, *N.* ſic enim retinet ſemper intrinſecè ſtatum abſtractionis.

Inſt. 2. Prædicatum illud debet eſſe idem cum ſubjecto. Ergo deſinit eſſe etiam intrinſecè abſtractum. *Diſt. Ant.* Debet eſſe idem ſecundùm rem. *Tranſ.* Secundùm intellectum, id eſt,

qua-

quatenus eſt in intellectu. *N.* Alioqui non poſſet fieri ſecunda mentis operatio ex comparatione unius cum alio, cum tamen ille ſit nobis connaturalis agendi modus; ut ſupra monui.

Inſt. 3. Quæ natura eſt tantùm extrinſecè abſtracta, deſinit eſſe abſtracta per determinationem illam extrinſecam. *Tr.* Atqui natura ejuſmodi quæ prædicatur, eſt tantùm extrinſecè abſtracta; nam eſt duntaxat extrinſecum naturæ exiſtenti à parte rei, ſic denominari abſtractam. *Diſt.min.* eſt extrinſecum naturæ prout eſt à parte rei ſic denominari abſtractam. *C.* prout eſt prædicabilis, adeóque prout eſt in intellectu, *N.* Nec deſinit eſſe abſtracta intrinſecè, poſitâ illâ determinatione extrinſecâ.

Inſt 4. Secunda operatio non poſſet illa extrema conjungere per affirmationem, niſi per primam operationem apprehendantur conjuncta; nam ſecunda operatio ſupponit primam. ℞. Satis eſt ſi ſupponantur conjuncta extrinſecè per modum comparationis cujuſdam, neque alio modo debent identificari, quatenus ſunt in intellectu.

Obji. 2. Tunc prædicatur tantùm de Petro id quod eſt in Petro, alioquin prædicatio eſſet falſa: ergo id quod prædicatur de Petro eſt quid ſingulare; ergo ut homo prædicetur de Petro, debet fieri ſingularis, perdendo ſuam univerſalitatem. *Diſt. Ant.* Prædicatur tantùm de Petro id quod eſt in Petro, & eodem modo quo eſt in Petro, *N.* diverſo, *C.* neque enim homo poteſt prædicari de Petro, niſi quatenus eſt in meo intellectu cum ſtatu abſtractionis.

Inſt. 1. Sequeretur prædicari univerſale formaliter de Petro, cum tamen univerſale formaliter non ſit in Petro. Nam Petrus non eſt

natura univerſalis, ſed tantùm ſingularis. Ergo falſa eſſet illa prædicatio. ℞. Prædicari quidem illud quod eſt formaliter univerſale, non tamen ut univerſale, quatenus prædicetur univerſalitas illa de Petro; Nam ille ſtatus abſtractionis & univerſalitatis in homine prædicabili, eſt tantùm conditio ſub qua ſit prædicabilis de Petro, ex modo cognoſcendi, & prædicandi nobis naturali.

Inſt. 2. Vniverſale quod eſt indeterminatum, non poteſt prædicari de particulari quod eſt aliquid determinatum; ſic enim prædicaretur oppoſitum de oppoſito. ℞. Illa quidem opponi ſecundùm intellectum, ſed non ſecundùm rem; quod ſatis eſt.

Inſt. 3. Sic prædicaretur de Petro vel natura humana omnis, ſeu omnis homo; vel non omnis, id eſt aliquis, quæ poſtrema pars eſſet contra theſim; prima autem pars falſa eſt. ℞. Neque omnem, neque aliquem, ſed hominem abſtractè & indeterminatè ſic prædicari.

Inſt. 4. Illa prædicatio eſt intrinſeca, quia ſic prædicatur id quod eſt intrinſecum Petro, nempe quòd ſit homo: ergo illa prædicatio eſt tantùm rei ſingularis: nihil enim eſt intrinſecum Petro, niſi quòd ſit ſingulare. ℞. Prædicari quidem id quod eſt intrinſecum Petro, ſed non eo modo quo eſt in Petro; cum potius prædicetur ſub univerſalitate & indeterminatione.

Nota. Huc revocari poſſe quæ poſtea explicanda ſunt de legibus converſionis; tum de natura ſyllogiſmi. Sic enim primò poſſet objici:

Non valeret iſta converſio *omnis homo eſt animal: ergo aliquod animal eſt homo.* Quia prædicatum in convertente non eſſet idem cum ſubjecto;

jecto; ſiquidem animal ut ſic, & ſub univerſalitate ſua, non eſt idem cum homine; plura enim dicit quàm homo. ℞. Ad id ſatis eſſe, quòd cum homine ſit idem, ſaltem inadæquatè.

Inſt. In iſta doctrina valeret conſequentia ex puris affirmativis in ſecunda figura. Et ſic bene concluderetur, *Omnis homo eſt animal : omnis equus eſt animal: Ergo omnis equus eſt homo.* Probatur quòd valeret illa conſequentia : quia in noſtra hypotheſi medius terminus Τὸ animal ſervat ſuam univerſalitatem C. ergo ſumitur univerſaliter & diſtributivè; quod ſolùm requireretur ad bonitatem hujuſmodi conſequentiæ. ℞. Quamvis ſervet ſuam univerſalitatem, non ſumitur tamen idcirco niſi abſtractivè, non autem univerſaliter & diſtributivè; alioquin idem foret ac *omnis homo eſt omne animal.*

CAP. III. *Enunciationis diviſiones præcipuæ.*

DIco I. Enunciatio dividitur in affirmativam, & negativam; cùm ſcilicet aliquid aut affirmatur, aut negatur de alio. Sicque ubi quæritur qualis ſit propoſitio, Reſpondetur eſſe, vel affirmativa, vel negativa; habetque illam diviſionem ratione qualitatis. At

Dico II. Ratione quantitatis, unde quæritur quanta ſit, dividitur in univerſalem, & particularem. Signum univerſalis affirmativæ eſt *omnis*; ut cùm dicitur *omnis homo eſt animal.* Signum univerſalis negativæ eſt *nullus.* ut, *nullus homo eſt lapis.* Signum particularis propoſitionis eſt *aliquis.* ut, *aliquis homo eſt bonus.*

Notandumque eſt, ſignum Τὸ *omnis* diſtribuere tantùm vocem illam cui immediatè præfigitur; id eſt, illi tantùm tribuit ſignificationem univerſalem, unde ſumatur univerſaliter:

ſicque in allata propoſitione affirmativa, ſolum ſubjectum ſumitur univerſaliter. At ſignum univerſale negativum diſtribuit tam ſubjectum, quàm prædicatum.

Ad hanc diviſionem revocari poteſt propoſitio identica, in qua idem eſt prædicatum cum ſubjecto. ut, *homo eſt homo.* Quæ vera eſt quidem, ſed puerilis, & nugatoria.

Dico III. Ratione materiæ, ſeu rei ſignificatæ, dividitur in eſſentialem, & accidentalem. Eſſentialis dicitur, quando prædicatum, id eſt, res ſignificata per prædicatum eſt de eſſentia ſubjecti, ſeu rei ſignificatæ per ſubjectum; ut, *homo eſt animal:* alioquin dicitur tantùm accidentalis, quando prædicatum eſt extra eſſentiam ſubjecti. Vt *paries eſt albus.*

Notandumque eſt, etiam dici enunciationem, ſeu prædicationem intrinſecam, quando prædicatum eſt intrinſecum ſubjecto; id eſt, cùm res ſignificata per prædicatum, eſt in ipſa re ſignificata per ſubjectum: ut in allatis propoſitionibus; animal eſt in ipſo homine: albedo in ipſo pariete. Alioquin diceretur prædicatio extrinſeca, ſi ſubjectum afficeretur tantùm extrinſecè. Vt cum ajo *paries eſt viſus*, nam viſio per quam denominatur viſus, non eſt in ipſo pariete, ſed in oculo vidente.

Dico IV. Ratione materiæ dividitur præterea in neceſſariam, & contingentem. Neceſſaria dicitur quæ eſt in materia neceſſaria; id eſt, quæ aliter eſſe non poteſt. Quando ſcilicet prædicatum habet neceſſariam connexionem cum ſubjecto, vel quia eſt illi eſſentiale; ut *homo eſt animal:* vel quia eſt proprium accidens, ut *ignis eſt calidus:* vel quia eſt effectus neceſſarius, ut ſi dixero; *Luna patitur eclipſim, quando*

do inter ipſam & Solem Terra eſt directè poſita.

Propoſitio contingens, eſt quando res ſignificata poteſt aliter ſe ſe habere; ut *paries eſt albus.*

Notabis autem ex propoſitionibus neceſſariis,alias eſſe totaliter neceſſarias; quando nimirum eſt connexio neceſſaria tam ex parte ſubjecti,quàm ex parte prædicati; ut *homo eſt animal.* Alioqui ſi eſt connexio neceſſaria ex parte ſolùm alterutrius termini, non eſt totaliter neceſſaria. Vt *omnis philoſophus eſt homo.* Neceſſarium enim eſt philoſophum eſſe hominem, at contingens eſt homini eſſe philoſophum. Item

Dico V. Ex propoſitionibus, alia dicitur ſpeculativa; alia autem practica.

Speculativa dicitur,quando eſt de ſola rei veritate, & ſine ordine ad praxim ullam, ut cum ajo, *Sol eſt major Terrâ.* Practica autem ſemper habet ordinem ad praxim: hæcque eſt duplex; vel enim dictat modum operandi; vel ſecundò, alia eſt per quam res ſignificata efficitur: ut cum dico; *do tibi hunc librum:* quippe ſic efficeris hujus libri poſſeſſor.Sic propoſitiones Sacramentales dicuntur practicæ: ut cum Sacerdos conſecrans pronunciat, *Hoc eſt corpus meum.* Vel ritè confeſſo dicit, *Ego te abſolvo à peccatis tuis,* &c.

Dico VI. Enunciatio dividitur quoque in abſolutam,& modalem. Modalis ea eſt,quæ modum exprimit quo prædicatum convenit,aut repugnat cum ſubjecto. Vt cum ajunt; *Neceſſe eſt hominem eſſe animal.* Aut,*impoſſibile eſt hominem eſſe lapidem. Poſſibile eſt, aut contingens eſſe pium.* Abſoluta eſt, quando fit abſque expreſſione talis modi; Vt *homo eſt animal: non eſt lapis, &c.*

Item enunciatio ejuſmodi alia eſt ſimplex,ſeu incomplexa; cum eſt unica vel affirmans, vel negans aliquid de alio. Vt *Petrus eſt homo.* Alia

eſt complexa, ſeu compoſita; quæ conſtat ex multis ſimplicibus, aliqua conjunctione unitis: habetque ſub ſe multas ſpecies.

Primò enim eſt conditionalis, ſeu hypothetica: quando una propoſitio alteri conjungitur ordine conſequutionis, per conjunctionem Tò *ſi*. Vt: *ſi lapis eſt animal, eſt vivens & ſentiens.*

2. Eſt copulativa; quando partes conjunguntur per conjunctionem copulativam Tò *eſt*. Vt, *homo eſt riſivus, & admirativus.* Quæ vera eſt, ſi omnes illius partes ſint veræ.

3. Eſt disjunctiva; quando partes uniuntur per conjunctionem disjunctivam Tò *vel*. Vt, *homo eſt vel animal, vel planta.* Sufficit autem ad veritatem illius propoſitionis, ſi partem ſui aliquam habeat veram.

4. Eſt cauſalis: propter conjunctionem cauſalem, *v. g. quia*, ut: *Dies eſt, quia Sol eſt ortus.*

Item ex illis propoſitionibus, aliæ ſunt excluſivæ, aliæ reduplicativæ, &c. Excluſiva eſt quæ continet aliquod ſignum excluſionis. Vt, *Solus homo eſt rationalis*; eſtque æquivalens negativæ, nam idem eſt ac ſi diceretur, nullum animal eſt rationale præter hominem.

Reduplicativa eſt in qua ſubjectum reduplicatur, ſeu geminatur adjunctâ aliquâ ex iſtis particulis, *ut, prout, quatenus, ut ſic.* Exempli cauſa. *Homo quatenus Homo, eſt animal rationale. Nix ut alba, diſgregat viſum* Fitque idcirco reduplicatio ejuſmodi, ut deſignetur cauſa cur prædicatum attribuatur ſubjecto. Cauſa enim cur nix dicatur diſgregativa viſus, eſt albedo in ea exiſtens.

CAP. IV. *Enunciationis proprietates.*

INter enunciationis proprietates numerari ſolent converſio, oppoſitio, æquipollentia, tum maxi-

maximè veritas aut falſitas. Vt igitur illa, quantum ſatis eſt Philoſophiæ ſtudioſo, proſequar;

Dico I. Converſio, eſt permutatio ſubjecti in prædicatum; & prædicati in ſubjectum, manente eâdem veritate, aut falſitate propoſitionis: Fitque illa converſio cum illatione. Quæ autem propoſitio convertitur, vocatur *converſa*, altera autem *convertens*. Triplex eſt, nimirum 1. Simplex, ſeu per ſe. 2. Per accidens. 3. Per contrapoſitionem, quæ vix eſt in uſu.

Simplex, ſeu per ſe, eſt quando ſervatur ſemper eadem quantitas. Vt *Nullus homo eſt lapis. Ergo nullus lapis eſt homo.*

Converſio per accidens, eſt quando non ſervatur eadem quantitas, ſed potius univerſalis mutatur in particularem. Vt *omnis homo eſt animal. Ergo aliquod animal eſt homo.*

Per contrapoſitionem, dum ſervatur eadem quantitas & qualitas, ſed termini propoſitionis infinitantur. Vt, *Omnis homo eſt animal. Ergo omne non animal eſt non homo.*

Notandumque eſt, converſionem ſimplicem vi formæ valere tantùm in propoſitionibus negativis univerſalibus, & in particularibus affirmativis. At univerſalis affirmativa, tum univerſalis negativa poteſt converti per accidens. Convertitur autem per contrapoſitionem tum univerſalis affirmativa, tum particularis negativa. Quod duobus iſtis verſiculis deſignatur:

Feci ſimpliciter convertitur: Eva per acci.
Aſt O per contra: ſic fit converſio tota.

Quibus quidem in verſiculis, perinde ac in iis quibus deſignabuntur poſtea modi varii in ſingulis figuris, obſervandæ ſunt illæ vocales A. E. I. O. quarum ſignificatio duobus etiam illis verſiculis exprimitur.

Aſſerit

Aſſerit A, negat E. verùm generaliter amba.
Aſſerit I, negat O. ſed particulariter ambo.

Dico II. Oppoſitio propoſitionum, eſt cùm duæ ſubjecto & prædicato eodem conſtantes, pugnant vel in qualitate, id eſt, in affirmatione aut negatione: vel in quantitate, id eſt, in univerſalitate & particularitate. Vel in utraque ſimul. Quadruplex eſt ejuſmodi. Primò enim illæ dicuntur contrariæ, quæ ſunt universales; affirmatque altera, quod negat altera. Alioquin ſi particulares fuerint, dicuntur ſubcontrariæ. Dicuntur autem contradictoriæ, quarum una eſt univerſalis, altera particularis, pugnantque in affirmatione & negatione: harumque alterutra ſemper vera eſt, altera falſa. Denique illæ vocantur ſubalternæ, quarum una eſt univerſalis, altera autem particularis; conveniuntque in affirmatione, aut negatione. Vt, *omnis homo eſt animal.* Et, *aliquis homo eſt animal.*

Notandumque eſt, hanc propoſitionum oppoſitionem vulgò appellari *complexam.* Nam *incomplexa* & *ſimplex* ea dicitur, quæ tantùm reperitur inter ſimplices terminos; de qua egimus *Diſput. ſuperiori cap.* 4.

Dico III. Æquipollentia, eſt quando propoſitiones oppoſitæ æquivalent, propter additionem aut detractionem unius, vel plurium negationum. Vt, *omnis homo eſt animal:* &, *nullus homo non eſt animal.*

Notandum enim eſt, particulam negativam Tò *non*, eſſe malignantis naturæ, cum eas propoſitiones, aut terminos quibus præfigitur immutet ſemper in oppoſitum ſenſum, ita ut ſi fuerit *v. g.* propoſitio affirmativa univerſalis, reddatur hoc pacto non ſolùm negativa, ſed etiam particularis. Item ſi negatio alteri negationi advenerit,

rit, deſtruet ſenſum eum quem prima invexerat, unde & duæ negationes efficiunt affirmationem.

Sic autem brevi compendio quatuor iſti verſiculi oſtendunt, quantùm valeant negationes diverſis propoſitionibus, aut terminis præfixæ.

Non omnis, quidam: non omnis non, quaſi nullus.
Nonnullus, quidam: ſed nullus non, valet omnis:
Non aliquis, nullus: non quidam non, valet omnis:
Non alter, neuter: neuter non, præſtat utrumque.

CAP. V. *Proprietates verbi copulativi* (eſt.)

Dico I. Verbum (*eſt*) in omni propoſitione connectit prædicatum cum ſubjecto: vel ſi lubet connexionem illam ſignificat. Unde appellari ſolet *copula*. Neque enim aliunde ſignificatur ejuſmodi connexio. Quo pacto verbum (*eſt*) dicitur *nota eorum quæ dicuntur de altero:* quod pertinet ad ejus naturam, ſeu eſſentiam; ut ſupra expoſui. At præterea

Dico II. In propoſitionibus contingentibus ſignificat, aut ſupponit rei ſignificatæ exiſtentiam. Ut ſi dixero, *Petrus eſt doctus*. Prob. Quia illæ propoſitiones veritatem non habent, niſi fundatam in exiſtentia ſui objecti. Quod poſtea etiam concedetur de propoſitionibus non totaliter neceſſariis.

Dico autem III. Propoſitiones totaliter neceſſariæ abſtrahunt, ſeu quemadmodum alii loquuntur, abſolvuntur à tempore, eo nimirum ſenſu quòd in iis verbum *eſt* non ſignificet, aut ſupponat exiſtentiam; ſed potiùs veræ ſint, ſive res ſignificata exiſtat, ſive non. Ut *homo eſt animal*. Prob. Sic enim aliud nihil intendimus ſignificare, quàm talem eſſe naturam, aut tales proprietates hominis, abſtrahendo ab ejus exiſtentia; ſeu

nulla

nulla habita ratione exiſtentiæ, & independenter ab illa. Quam etiam ob cauſam vocantur ejuſmodi *propoſitiones ſempiternæ veritatis*, quòd ſemper veræ ſint, abſtrahendo ab exiſtentiâ. Ita Porphyrius *cap. de communitatibus.* Ita D. Auguſt. *lib.* 2. *de lib. arb. c.* 8. tum *lib.* 2. *ſolil.* ait propoſitionem hanc *tria & ſeptem ſunt decem*, ſemper fuiſſe & futuram eſſe veram, etiamſi tota mundi moles deſineret. Conf. Quia verbum tunc tantùm ſignificat rei exiſtentiam, cùm indicatur rei veritas pro certâ aliquâ temporis differentiâ; quod in propoſitionibus totaliter neceſſariis non fit. Nec reſpondeant adverſarii illas propoſitiones tantùm eſſe veras ex hypotheſi quòd res exiſtat. Contra enim eſt, quia nulla eſt propoſitio hypothetica, nec probari poteſt, niſi ſuppoſitâ abſolutâ. Ergo priùs eſt dari propoſitionem abſolutam quæ ſit vera independenter à rei exiſtentia. Item duæ iſtæ contradictoriæ ſimul eſſent abſolutè falſæ, nullo exiſtente homine. *Omnis homo eſt animal & aliquis homo eſt animal.*

Obji. 1. Ariſt. definiendo *verbum*, ait illud eſſe temporis adſignificativum. Ergo verbum (*eſt*) non copulat prædicatum cum ſubjecto, niſi tempus adſignificando; ac proinde ſic ſupponit rei exiſtentiam. ℞. Verum quidem illud eſſe in errore Ariſtotelis, qui credebat rerum naturas ab æterno, & quidem neceſſariò exiſtere in aliquibus individuis; ac proinde ſic rei exiſtentia ſupponeretur ſemper. Sed extra illum errorem dicendum eſt *temporis adſignificantiam*, eſſe tantùm verbi proprietatem, ab eo ſeparabilem.

Inſt. ſi verbum (*eſt*) haberet tantùm rationem copulæ, non differret à ſimplici conjunctione (&) quæ ſimiliter vim habet copulandi. *Nego pari-*

paritatem. Nam verbum (*eſt*) copulat quaſi activè, & veluti affirmando unum eſſe in alio, quod conjunctioni (*&*) non convenit.

Obji. 2. Non magis abſtrahit ab exiſtentia propoſitio univerſalis, quàm particulares ex quibus infertur, ut cum ajunt *Petrus eſt animal: Paulus eſt animal*, & ſic de aliis. *Tr.* Atqui particulares illæ non abſtrahunt ab exiſtentia N. neceſſarium enim eſt Petrum ſecundùm ſe eſſe animal, ſive exiſtat Petrus; ſive non, concipiaturque tantùm in potentia ad exiſtendum.

Inſt. 1. Prædicaretur aliquid reale, puta *animal*, de eo quod non eſt ens, ut de *homine* ex hypotheſi quòd non exiſtat. ℞. hominem ſemper eſſe ens vel actu, vel potentiâ.

Inſt. 2. Sequeretur converſionem per accidens non valere vi formæ, quatenus in qualibet materia non ſemper inferret verum, aut ſaltem poſſet non inferre verum, niſi verbum (*eſt*) ſignificaret exiſtentiam. Vt in iſto exemplo *omnis philoſophus eſt homo, ergo aliquis homo eſt philoſophus.* Quæ quidem propoſitio cum ſit contingens, poteſt eſſe falſa; nec poteſt eſſe vera, niſi ex hypotheſi quòd de facto exiſtat aliquis homo philoſophus. Idem per proportionem dicendum eſt de tertia figura, in qua poſſet idem concludi. ℞. Vera eſſe illa omnia vi formæ, modò ſervetur eadem verbi (*eſt*) ſuppoſitio. Nec diffiteor propoſitiones ejuſmodi non totaliter neceſſarias eam ob cauſam de facto ſupponere ſemper exiſtentiam. Quare non probo theſim allatam, niſi in propoſitionibus totaliter neceſſariis.

CAP. VI. *Enunciationis veritas, aut falſitas.*

Dico I. Vera eſt, aut falſa omnis propoſitio, ſeu enunciatio, ex eò quòd res eſt, vel non eſt:

eſt: ſeu quatenus eſt conformis, aut difformis objecto ſuo. Prob. Ex natura veritatis, de quâ *diſp.* 1. *c.* 2. *tum* 1. *diſp. metaph. c.* 2. Vnde etiam patet propoſitionem omnem vel eſſe veram, vel falſam; quia nihil eſt medium inter eſſe, aut non eſſe objecti. Item

Notandum eſt eſſe neceſſariò veram, ſi ſit de objecto neceſſario: at dicitur tantùm contingenter vera, ſi eſt de objecto ſolùm contingenti. Item

Obji. 1. Propoſitio effectiva rei ſignificatæ, ut cum ajo, *Do tibi hunc librum,* non poteſt eſſe vera per conformitatem cum objecto; ſiquidem enim eſt cauſa objecti tanquam effectus proprii, eſt illo prior; quo in priori eſt ſine veritate aut falſitate. ℞. Eſſe veram ex eo quòd res fiat, aut fieri debeat; ſicque habet conformitatem cum effectu.

Ob. 2. Nullo tempore propoſitio eſt vera: neque enim vera eſt initio dum incipit fieri, neque in medio, neque in fine cùm ampliùs non eſt; ergo nunquam eſt vera. ℞. Veram eſſe ſucceſſivè, quatenus fit ſucceſſivè; atque initio quidem vera eſt inchoativè, cùm autem finitur, eſt completè vera.

Ob. 3. Quæ dicuntur propoſitiones falſificantes, neque ſunt veræ, neque falſæ. Vt quandò aliquis mendax qui nunquam verum dixerit, ait ſe nunquam verum dixiſſe, tunc oportet propoſitionem hanc eſſe falſam ſi verum dicat: ſi autem de facto fuerit ſemper mentitus, ſimul quoque vera eſt. Et ſic de aliis ejuſmodi propoſitionibus. ℞. Veras eſſe, & falſas diverſo reſpectu. Vt ſi in libro continente falſas omnes propoſitiones aliquis inſcripſerit, *falſæ ſunt omnes propoſitiones quæ iſto libro continentur,* vera erit propoſitio iſta compara-

parativè ad eas pro quibus ſupponit, ſeu quas ſignificat. Alioquin ſi de facto nullæ penitus forent propoſitiones aliæ in iſto libro deſcriptæ, non deberet dici verè propoſitio, ſed ſpuria, & nomine tenùs propoſitio, quia eſſet de nullo objecto. Cum enim propoſitio omnis ſit eſſentialiter ſignum rei alicujus quam ſignificet, ſequitur non eſſe verè propoſitionem, ſi nulla ei ſubjaceat res ſignificata. Quod etiam contingit quando aliqua enunciantur quæ ſunt incompoſſibilia.

Notabis autem, ex propoſitionibus veris, alias dici neceſſariò veras, quæ nimirum ſunt in materiâ neceſſariâ, qualem ſuprà expoſui: quæ enim ſunt in materiâ contingenti, dicuntur ſolùm contingenter veræ. At

Not. 2. Propoſitiones neceſſariæ veritatis appellari quoque & ſempiternæ, ſeu æternæ veritatis, quòd ab æterno, & independenter ab omni tempore ſuam retineant veritatem. Quales ſunt quæ vulgò dicuntur *axiomata*, *maxima*, *principia*, *&c.* Item

Notabis, ex propoſitionibus vel neceſſariò, vel contingenter veris, alias eſſe de præſenti, alias autem de præterito, aut futuro, id eſt, de eo quod futurum ſit, aut neceſſariò, aut contingenter, ſeu liberè & dependenter à cauſa libera. Vt *Petrus peccabit.* Quinetiam

Not. 4. Iſtud habere eſſe futurum vel conditionale, id eſt, dependenter ab aliqua conditione. Vt *ſi Petrus cras eum in locum iverit, peccabit.* Vel certè futurum eſt abſolutè, id eſt, independenter ab omni alia conditione. Vt *Petrus cras peccabit.*

Not. 5. Moveri quæſtionem de illis contingenter, ſeu liberè futuris, an habeant determinatam, ſeu diſtinctam veritatem, aut falſitatem;

an

an verò ſolùm confusè, & ſub disjunctione ſint veræ, aut falſæ; ſeu de ſe ſint indifferentes ad veritatem, aut falſitatem. *v. g.* An ſit determinatè, & diſtinctè verum, Petrum cras peccaturum; vel an è contra ſit diſtinctè falſum cras non peccaturum: An potius alterum duntaxat ſit indeterminatè & confusè verum. Nempe hoc pacto *Petrus cras, vel peccabit, vel non peccabit.*

Dico II. Propoſitio de futuro contingenti vel eſt determinatè vera, vel determinatè falſa. Ita ut ſi dentur duæ contradictoriæ illæ ſingulares, *Petrus peccabit cras*; *Petrus non peccabit cras.* Neceſſe ſit alteram ex iſtis eſſe determinatè falſam. Prob. Quia eſt de objecto determinato; quod ſcilicet non eſt indifferens ad eſſe, aut non eſſe. Nam eſt de eo quod eſt de facto futurum, ſeu de futuritione rei quæ de facto futura eſt; vel potiùs ſi lubet, eſt de objecto pro ſua temporis nobis futuri differentiâ exiſtente, quod conſequenter, ſeu ex hypotheſi non poteſt non eſſe exiſtens; unde eſt determinatè exiſtens pro tunc, neque eſt indifferens ad non exiſtendum. Probatur iſtud. Quia tam verè & determinatè futurum eſt illud quod de facto fiet, quàm verè & determinatè futurum olim fuit illud quod modò fit. Atqui quod modò fit actu, verè & determinatè erat futurum; ergo à pari quod de facto futurum eſt, verè & determinatè eſt futurum. Conf. Deus rem illam, puta peccatum Antichriſti cognoſcit determinatè exiſtens pro ſua illa temporis differentia; alioqui non attingeret omne cognoſcibile prout in ſe eſt determinatè; nec conſequenter poſſet determinatè prædicere Antichriſtum de facto peccaturum; aut determinatè ſignificare ſe negatum iri à Petro. Ergo peccatum Antichriſti, aut Petri, eſt quid determinatè

cogni-

cognitum; & cognitio illi adæquata, tum facta propoſitio illi conformis, eſt determinatè vera.

Notabis tamen propoſitiones illas de futuro contingenti & libero, quamvis ſint in ſe, & quoad Deum determinatæ veritatis, aut falſitatis, non ideo tamen dici determinatæ veritatis, aut falſitatis quoad nos, quatenus citra revelationem Divinam ſtatuere & definire non poſſumus, utra determinatè ex duabus ejuſmodi contradictoriis ſit vera. Quo ſenſu accipi poteſt Ariſt. cum videtur negare determinatam illam, aut veritatem, aut falſitatem. Item

Not. 2. Sic quidem propoſitiones illas fore conſequenter neceſſariò veras, nec tamen tolletur earum contingentia: quia ſemper erit diſtinguendum inter neceſſitatem antecedentem & abſolutam quam illis denegamus; tum inter neceſſitatem conſequentem, & hypotheticam, quæ illam antecedentem indifferentiam, ſeu indeterminationem & contingentiam nullo modo impedit. Sic enim Petrus ex hypotheſi quidem quòd pro ſua libertate loquitur, neceſſariò loquitur, nec poteſt non loqui; ſed hæc neceſſitas eſt tantùm conſequens ad liberam ipſius determinationem, quâ ſeſe ad loquendum liberè determinat, cùm antecedenter, & de ſe ſit omnino indeterminatus ad loquendū, aut non loquendum.

CAP. VII. *Solvuntur objectiones.*

OBjic. 1. Quæ propoſitio non habet objectum determinatum, illa non eſt determinatæ veritatis C. Atqui propoſitio de futuro contingenti non habet objectum determinatum. N. Prob. min. Quod adhuc eſt ſub libera poteſtate voluntatis nondum determinatæ, non eſt adhuc determinatum C. Atqui tale eſt v.g. pec-

catum

catum Petri futurum. *Diſt.* Tale eſt pro nunc, ſeu pro præſentis temporis differentia *C.* pro tunc, ſeu pro temporis illius futuri differentia, quæ eſt actu objectum cognitionis Divinæ, *N.*

Inſt. 1. Vt eſſet propoſitio determinatæ veritatis, deberet habere objectum determinatum pro eo tempore quo exiſtit. Atqui pro eo tempore quo exiſtit, non habet objectum determinatum. Ergo non eſt determinatæ veritatis. Prob. min. Quia pro eo tempore quo exiſtit propoſitio, futurum contingens eſt adhuc ſub libera poteſtate cauſæ liberæ, & in ſtatu indifferentiæ; ut quando ajo, *cras Petrus peccabit.* ℞. *Cum diſtinctione.* Propoſitio de præſenti, ut ſit determinatæ veritatis, debet habere objectum determinatum pro eo tempore quo exiſtit *C.* propoſitio de futuro *N.* vel ſi lubet. ℞. Eſt de præſenti futuritione objecti determinatè.

Inſt. 2. Objectum illius propoſitionis eſt contingens, & liberum *C.* Ergo non eſt determinatum; quia liberum opponitur determinato, idemque eſt ac indeterminatum atque indifferens ad alterutrum. *Diſt. Conſ.* non eſt determinatum antecedenter, *C.* conſequenter, *N.*

Inſt. 3. Si quocunque modo peccatum illud Petri futurum, eſt determinatum; erit neceſſariò futurum; quia non poterit non eſſe futurum. Ergo non erit liberè futurum. *Diſt. Ant.* Erit neceſſariò futurum neceſſitate conſequenti. *C.* Antecedenti. *N.*

Inſt. 4. Tam non poſſet non eſſe, quàm quòd eſt futurum neceſſariò, & per cauſas neceſſarias. Ergo tam non eſſet liberum; quia ſic parem haberet cum illo neceſſitatem. *Diſt.* Tam non poſſet non eſſe, & eodem modo *N.* Sed diverſo modo *Tr.* Quia quod neceſſariò futurum eſt, illud

illud eſt abſolutè neceſſarium; at futurum liberum non eſſe futurum neceſſariò, niſi ex hypotheſi.

Inſt. 5. Tam utrumque eſſet æternæ veritatis: tam enim ab æterno verum erat, *quòd Petrus negaturus eſſet Chriſtum.* Ergo iſta erat & abſolutè neceſſaria; quia propoſitiones æternæ veritatis ſunt abſolutè neceſſariæ. *Diſt.* Propoſitiones æternæ veritatis in materia neceſſaria; *Tr.* In materia contingente; *N.* Vel certè nego idcirco fore propoſitiones æternæ veritatis juxta communem Philoſophorum acceptionem, quales dicuntur illæ tantùm, in quibus neceſſaria eſt connexio prædicati & ſubjecti; quanquam ſic poſſent dici propoſitiones æternæ veritatis ſecundùm quid; non autem ſimpliciter.

Objic. 2. Determinatio illa prævisa à Deo, tolleret libertatem voluntatis creatæ; quia quod ita prævisum à Deo foret, non poſſet non evenire; alioquin poſſet falli præſcientia Divina. Atqui hæc non ſunt admittenda. ℞. Non tolli libertatem per determinationem ejuſmodi conſequentem, ut jam monui. Nec poteſt quidem non evenire, unde nec falli poteſt Divina præſcientia; ſed hæc non ſunt contraria libero arbitrio, cùm ſequantur ſolùm ad determinationem noſtræ voluntatis.

Inſt. Eſt in libera poteſtate *v. g.* Petri, ut peccatum in craſtinum diem prævisum, ab ipſo non admittatur: ſupponamus ergo ab ipſo non admitti; tunc erit neceſſe ut fallatur Divina præſcientia. ℞. Ex hypotheſi quòd peccatum illud de facto non admittatur, fieri non poteſt ut prævisum fuerit à Deo, ſicque deſtrueretur prior hypotheſis. Cùm enim illa Dei prævisio dicatur tantùm conſequens ad peccatum Petri, ſi

peccatum Petri nullum eſt futurum, non poteſt ſupponi prævifio illius in Deo,&c.quæ in Metaphyſica, *de ſcientia Dei*,commodiùs exponentur.

DISPVTATIO IV. DE ARGVMENTATIONE SEV DISCVRSV.

CAP. I. *Quibus competat facultas diſcurſiva.*

SVppono diſcurſum omnem, ſeu argumentationem,aut ratiocinationem,ut vocant, eſſe proceſſum quemdam à re nota, ad ignotæ rei veritatem aſſequendam, propter connexionem quæ inter rem illam notam,atque ignotam deprehenditur.Vel ut vulgò ajunt,argumentatio eſt oratio in qua unum ex alio infertur, ſeu colligitur.Diciturque unum inferri ex alio,quando una propoſitio ſequitur ex aliqua, aut pluribus aliis; quæ idcirco vocantur *præmiſſæ*,quia præcedunt illud quod ex iis colligitur. Tres itaque illæ continentur partes in omni argumentatione, ſeu diſcurſu. Prima eſt *Antecedens*,ex quo ſequitur, ſeu infertur alia propoſitio, quam appellant *Conſequens*, ſeu *concluſionem:* ac tertiò denique eſt *Illatio*,ſeu conjunctio per quam unum intelligitur ſequi ex alio; exprimiturque illa voce *ergo*,vel alia æquivalenti Hanc autem Illationem vulgò etiam appellant *ſequelam*, tum conſecutionem aut *conſequentiam*; Quanquam alii dicunt conſequentiam eſſe ipſum conſequens, ſeu concluſionem, quatenus infertur ex alio; habetque ſibi adjunctam hanc particulam illativam Tò *ergo*. Quinetiam alii conſequentiam quoque appellant totam ipſam argumentationem, quia conſequentia potior eſt illius pars.

No·

Notandumque eſt triplex in ſerie totius argumentationis fieri judicium; ac primò quidem eſt judicium antecedentis, quo ipſi aſſentimur. Tum 2. Iudicium conſequentis quatenus conſequens eſt, quod etiam vocatur judicium illativum; quia per illud judicamus verum eſſe conſequens, ob connexionem quam habet cum antecedente; in eoque poſita eſt tertia mentis operatio. Tertiò denique eſt judicium ipſius conſequentiæ, ſeu de bonitate illationis; per quod videlicet judicamus unum rectè ſequi ex alio; & prærequiritur ad judicium illativum conſequentis. Non enim poteſt intellectus illi conſequenti ut conſequens eſt aſſentiri, niſi præſuppoſita cognitione, & judicio de bonitate conſequentiæ, per quam determinetur ad ipſius aſſenſum. Quæ cum ita ſint,

Dico I. Deus non diſcurrit. Prob. Quia diſcurſus involvit aliquam imperfectionem quæ in Deum cadere non poteſt; ſupponit enim aliquid ignotum, cum ſit proceſſus à noto ad ignotum; ut modò ajebam; quod non poteſt reperiri in Deo. Ergo illi non competit diſcurſus. De Angelis ſuus erit agendi locus *in Metaphyſica.*

Dico II. Homo eſt diſcurſivus. Prob. experientia. Ratio verò hujuſce rei eſt duplex. Prima, quia cùm homo non habeat ab ortu ſuo perfectiones eas, nempe cognitiones quarum eſt capax, & quas naturaliter exigit; debuit ſaltem ex providentia naturæ habere facultatem, ſeu vim aliquam ſibi naturalem, unde illas comparare poſſet. Natura enim ſolet opera ſua, vel perfecta producere, vel cum virtute, per quam ſeſe poſſint perficere. Ita Angeli, ita Sol, & cœli cum omni ſua perfectione creati ſunt. Plantæ verò & animalia, quia cum tota ſua perfectione

non naſcuntur, ideo virtutem habent nutriendi, & augendi ſui,&c. At facultas per quam homo rerum cognitiones acquirat,eſt maximè diſcurſiva. Ergo illam debuit habere à natura ſibi inſitam. Secunda ratio eſt; quia homo in rebus agendis plerumque eſt anceps, ſuamque libertatem, ſeu indifferentiam ſibi naturalem ſemper retinet, unde ſe ad alterutrum pro libito determinet. Quod quidem ut perfectè præſtare poſſit, debet uti præviâ deliberatione & diſcurſu, unde ſtatuat quid potiùs debeat ſequi. Ergo ad id opus habet facultate diſcurſivâ. At

Dico III. Ratiocinatio ejuſmodi in brutis animantibus non reperitur. Prob. 1. Quia nullam habent illius neceſſitatem, qualem modò ajebam reperiri in homine. Neque enim aut exigunt alias cognitiones, quàm quas habent à natura, & quæ oriuntur ab objectis præſentibus; aut certè quæ uſu & aſſuetudine ab ipſis comparantur; ut contingit in iis quæ dicuntur diſciplinabiles. Item nec habent opus conſultatione ut rectè eligant; ſiquidem vel ab inſtinctu naturali, vel ab objectis præſentibus determinantur ad ea quæ agunt, vel proſequuntur, aut fugiunt. Ille autem inſtinctus aliud nihil eſt, quàm naturalis inclinatio appetitus conſequens ad æſtimationem, vel de bono convenienti, vel de malo diſconvenienti: Atque iſtiuſmodi quidem inſtinctu, ajo brutas animantes determinari ad appetendum, non verò ſeipſas determinare, quod eſt propriè eligere; ſpectatque tantùm ad liberum arbitrium, cujus ſunt incapaces. Ergo non ratiocinantur, nec conſultant: alioqui poſſent conſultare, & alterutrum eligere, quod eſt ad alterutrum ſe determinare; ergo haberent liberum arbitrium, poſſentque mereri

au

aut demereri, quæ doctrina eſt erronea in fide.

Prob. 2. Ex Ariſt. *lib.* 1. *de An.* Quia brutis nihil perſuaderi poteſt, unde manifeſtum eſt non poſſe uti ratione, quâ ſcilicet aliquid perſuadere ſibi poſſint. Neque verò potentia ſenſitiva, qualis ſolummodo eſt in brutis, ratiocinationis eſt capax; quia ratiocinari eſt colligere unum ex alio, facta reflexione & comparatione conſequentis cum antecedente, &c. Atqui potentia ſenſitiva eſt operationis illius reflexivæ, & comparativæ incapax; ferretur enim extra ſuum objectum, ſi circa ſuas operationes verſaretur, quod fieri non poteſt, &c. Quæ aliàs demonſtrantur ubi de potentiis Animæ.

Prob. 3. Quia nulla habent rationis indicia, aut operationes inferentes diſcurſum. Quòd enim res multas tam admirabiles præſtant, non ſunt potiori jure adſcribendæ rationi, quàm effectus virtutis magneticæ, aut virtutis ſeminalis, per quam tum in plantis, tum in animalibus tot partes tam variæ formantur, tamque admirabili cum ordine diſponuntur. Cùm ergò tam illuſtre veluti artificium in iſtis ratiocinationem non inferat, neque in brutis animantibus.

Obji. 1. Prudentia, & ars, cujuſmodi in hirundine, apibus, & formicis deprehendimus, vulgò dicuntur diſcurſivæ; nec potior eſt ratio cur in homine dicantur diſcurſivæ. *Nego paritatem*, quia in homine non ſunt inſitæ à natura, ſed ratione & ſtudio comparantur. Contra autem fit in beſtiis; conſtatque ex eo, quòd etiam non edoctæ, eodem modo ſemper & ubique agant, ut apes & hirundines, vel ubi ſtatim ſunt conformatæ, vel ubi conſenuerunt, neque aliæ imperfectiùs quàm aliæ operantur, quod

tamen neceſſe foret, ſi ad unum non eſſent determinatæ à natura; poſſent enim aliæ plus valere ingenio & virtute ratiocinandi.

Ob. 2. Eligunt unum præ alio, ut canis incidens in bivium. *Nego* eligere, quia non ſe determinant ad unum præ alio; ſed potiùs determinantur modò hac, modò illa cauſa occurrente, & imaginationem pulſante.

Ob. 3. Pleræque animantes ſunt diſciplinabiles, & variis in rebus erudiri poſſunt; quæ ſunt rationis indicia. ℞. Ex aſſuetudine agendi formari in earum imaginatione habitus, unde poſtea determinentur ad operandum tali, vel tali modo.

Item, ut paucis multa alia complectar: habent aliæ animantes ex naturali inſtinctu & inclinatione, quòd ſuos affectus, & paſſiones exprimant quibuſdam ſignis: Item quòd temperantiam, pudicitiam, pietatem erga parentes ſervent. Quanquam hæc in iis non habent rationem virtutis, quia non ducuntur motivo honeſtatis; aguntque tantùm ex inclinatione naturali, ut dixi, &c.

CAP. II. *Argumentationis natura, & diviſio.*

Alebam capite ſuperiori, totam ipſam argumentationem appellari interdum & *conſequentiam*. Sed hîc præterea ſupponendum eſt *conſequentiam* id genus, ſumendam eſſe latiùs, & in communi; tuncque ſolere definiri orationem in qua unum infertur ex alio. Sic autem ſumpta in communi, dividitur in eam quæ dicitur *purè conſequentia*; & in eam quæ propriè eſt *Argumentatio*. *Purè conſequentia*, eſt oratio in qua unum colligitur quidem ex alio, ſed caret medio, ſeu argumento, aſſumptis ſolùm iiſdem verbis

bis ordine alio : ut *nullus homo eſt lapis : ergo nullus lapis eſt homo*. Vel concludendo particularem ex univerſali ; ut *omnis homo eſt animal : ergo aliquis homo eſt animal*. Vel inferendo unam æquipollentium ex alia. Quæ autem alia eſt ſpecies conſequentiæ ;

Dico I. Argumentatio eſt oratio in quo ex *argumento* explicato, altera pars quæſtionis concluditur. *Argumentum* autem eſt inventum quid, ſeu medium, ut vocant, quod aſſumitur ad aliud probandum ; eamque ob cauſam hæc ſpecies conſequentiæ, appellatur argumentatio ; quia ſic continet *argumentum*, ad ſolvendam quæſtionem idoneum.

Notandumque eſt 1. Quæſtionem, eſſe propoſitum, quod in diſputationem adducitur. Eſtque illa quæſtio vel univerſalis, in qua generatim aliquid inquiritur : *v. g. An ſit virtus anteponenda opibus*, ſoletque appellari *theſis*. Alioquin dicitur *hypotheſis*, ſeu quæſtio ſingularis, quæ in certis perſonis, aut locis, ac negotiis verſatur, *v. g. An Socrates jure damnatus fuerit*, &c. Item conſequenter

Not. 2. In argumentatione ſic unum inquiri de alio : quod quidem ut perficiatur, debet aſſumi aliquod *tertium*, cum quo illa duo comparata judicentur habere connexionem. Illa autem duo vocari ſolent *extrema* ; tertium verò dicitur *medium*, illa connectens. Quare in argumentatione debent vel explicitè, vel implicitè ſaltem reperiri *tres termini*. Nam primò quidem eſt *ſubjectum* quæſtionis, ſeu res illa de qua inſtituitur quæſtio, & vulgò appellatur *minus extremum* : ſecundò, eſt illud quod inquiritur, ſeu *attributum* quod vocant *majus extremum*, quia ſolet eſſe quid univerſalius, & latiùs pate-

re: tertiò denique eſt *medium*, cujus beneficio infertur, concluditurque connexio majoris extremi cum minori. Vt ſi dixero; *omne vegetativum eſt vivens: atqui omnis arbor eſt vegetativa: ergo omnis arbor eſt vivens. Arbor*, & *vivens* ſunt duo extrema; *vegetativum* eſt medium, ſeu medius terminus aut argumentum: Atque ita in uſu eſt medius terminus, cum antecedentia, aut conſequentia, vel quoquo modo connexa cum illis extremis inveſtigantur. At

Not. 3. Argumentum (quod ait *Ariſt.*) explicari, quando ſic medius ille terminus cum utroque extremo comparatur, connectiturque; ut conſequenter inferatur ſimiliter connexio inter utrumque ipſum extremum; juxta illud quod videtur cuilibet lumine naturali, ſeu per ſe notum: *Quæ ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe.* Sicque habes explicatam argumentationis definitionem, cum dicitur eſſe oratio, in qua *ex argumento explicato*, altera pars quæſtionis concluditur. Huc etiam attinet triplex illud judicium, cujus ad initia ſuperioris capitis memini; debetque omnino fieri diſtinctio inter *judicium conſequentis*, & *judicium conſequentiæ*.

Notabis enim 4. Iudicium conſequentiæ præſupponi à judicio conſequentis, ut ſupra monebam: ergo idem non ſunt. Neque verò illud judicium conſequentiæ, per quod nimirum judicatur unum rectè ſequi ex alio, pertinet ad tertiam mentis operationem. Sic enim Deus, & Angelus judicare poſſunt unum rectè ſequi ex alio, cum idcirco non diſcurrant. Item ubi dico, *ſi dies eſt, Sol eſt exortus*, judico unum recte ſequi ex alio, cùm tamen hæc tantùm ſit propoſitio conditionalis, pertinens ad ſecundam mentis operationem. Ergo ſic etiam manifeſtum eſt, judi-

judicium conſequentiæ diſtingui à judicio conſequentis. Item

Not. 5. Concluſionem quæ ex alio deducitur, dici aut veram, aut falſam; cùm tamen hoc non attribuatur conſequentiæ, quæ potiùs dicitur, vel bona, vel mala; poteſtque hoc modo eſſe verum conſequens, dum conſequentia eſt mala, ut ſi dixeris, *Petrus eſt homo: ergo eſt doctus*. Etſi enim fortaſſe verum eſt illud conſequens, mala eſt nihilominus conſequentia, ſiquidem non ſequitur Petrum eſſe doctum, ex eo præcisè quòd ſit homo. Item conſequentia nunquam diſtinguitur, ſed tantùm conſequens, ut uno ſenſu concedatur conſequentia, alio autem negetur.

Not. 6. Conſequentiam tunc dici bonam, dum conſequens rectè infertur ex antecedente, ob connexionem quam habeat cum ipſo. Eſt autem bona, vel ratione formæ, & dicitur conſequentia *formalis*; vel ratione materiæ; tuncque eſt tantùm *materialis*. At

Bona eſt *vi formæ*, dum concluſio valet ratione diſpoſitionis terminorum, & propoſitionum antecedentium; unde cuicunque materiæ applicetur illa terminorum diſpoſitio, ſemper rectè concludet.

Bona eſt tantùm *ratione materiæ*, ubi valet tantùm ratione connexionis neceſſariæ, quæ eſt inter res ipſas. Vt *Petrus eſt homo: ergo eſt animal*. Nam vi formæ non concludit, ſiquidem alioqui vera eſſe poſſet etiam iſta concluſio, *ergo eſt doctus*. Quia ibi eſt ſimilis terminorum diſpoſitio.

Dico II. Vulgò apud Logicos admittuntur ſpecies argumentationis quatuor; nempe *Inductio, Exemplum, Enthymema, & Syllogiſmus*.

Inductio, eſt argumentatio in qua variis ſingularibus ſufficienter enumeratis, infertur propoſitio univerſalis. *v. g. Hæc, & iſta, & iſta planta eſt vegetativa: ergo omnis planta eſt vegetativa.*

Notabis verò hanc methodum vocari *compoſitivam*. Sufficitque in materia quidem neceſſaria, ſi fiat inductio quibuſdam variis in locis ac temporibus. Quæ enim ſemper & ubique ſimul ſunt, habere videntur connexionem neceſſariam, qualis eſt inter ſubjectum, & attributa ipſius eſſentialia, aut proprietates.

Exemplum, eſt argumentatio in qua ex uno, vel quibuſdam aliis particularibus, particulare aliud ob rationis paritatem concluditur. *v. g. Petrus ita ſe geſſit, ut eum in gradum perveniret: ergo idem tibi præſtandum eſt.*

Notabis, Exemplum dici argumentum imbelle & inefficax; quia non habet in concluſione prædicatum conjunctum ſubjecto, propter utrinſque connexionem cum medio termino in antecedente, ſed tantùm cum alio ſimili. Quamobrem dicitur habere quatuor terminos, quia præter medium terminum, habet quartum illi ſimilem: vel ſi lubet, in eo non concluditur à toto ad partem ſub eo contentam, ſed tantùm à parte ad partem.

Enthymema, eſt argumentatio in qua infertur concluſio ex præmiſſa unica, alterâ in animo retentâ. Vnde & hanc à Græcis habet appellationem. Item eam quoque ob cauſam dicitur Syllogiſmus imperfectus. Vt *omne vegetativum eſt vivens: ergo omnis planta eſt vivens.* Alioqui fieret ſyllogiſmus integer, ſi ſecundo loco interjiceretur illa propoſitio, *atqui omnis planta eſt vegetativa.* Nam

Syllogiſmus (qui & propriè ratiocinatio apud La-

Latinos dicitur) eſt oratio in qua ex duabus propoſitionibus,colligitur tertia. Vt mox fuſiùs declarabitur.

Huc ab aliis revocatur *Dilemma*, & *Sorites*.

Dilemma eſt argumentatio in qua utrum conceſſeris, reprehenditur; atque ita utrinque premit, ut ſaltem ex altera parte capiat adverſarium, unde vocari ſolet *cornutum argumentum*.

Sorites, Latinè acervalis, eſt argumentatio in qua multæ propoſitiones coacervantur ex arte, ut tandem ultimum prædicatum enuncietur de primo ſubjecto; quamobrem vocatur *argumentatio de primo ad ultimum.v.g. Si homo eſt,animal eſt: ſi animal, vivens: ſi vivens, corpus: ſi corpus, ſubſtantia: ergo ſi homo eſt,ſubſtantia eſt*. Sed hæc magis ſunt in uſu apud oratores, ut etiam *Epicherema*; quando plures partes in unam conferuntur,*v.g.ſine cauſaDominum ſervus accuſet?*&c.

CAP. III. *Natura Syllogiſmi.*

SYllogiſmus ex *Ariſt.* Eſt argumentatio in qua quibuſdam poſitis, *id eſt, conceſſis duabus præmiſſis*,neceſſe eſt aliud, *nempe concluſionem* ſequi, ex eo quòd hæc ſint *conceſſa*.

Notandumque eſt differre Syllogiſmum ab Enthymemate, quod ex duabus præmiſſis concluſionem inferat: ſicque habet formaliter & explicitè,ſeu expreſſè tres illos terminos,nempe majus,& minus extremum,tum medium terminum, de quibus ſupra. Quamobrem etiam

Not. 2. Neceſſe eſt ut conſtet tribus propoſitionibus, duas enim, ut dixi, continet antecedens, quæ ideo vocantur præmiſſæ, quia veluti præmittuntur ad concluſionem; at illas eſſe duas oportet, ut primò quidem majus extremum comparetur cum medio termino in prima

ex iſtis propoſitionibus, quæ idcirco appellari ſolet *major*; tum ut minus extremum comparetur cum eodem tertio termino in ſecunda, quæ illam ob cauſam vocatur *minor*; unde tandem eſt tertia, in qua majus, & minus extremum conjungantur inter ſe, ideoque vocatur *concluſio*, cui ſolet præfigi nota illationis Tò *ergo*. Apud Rhetores, quæ *major* à nobis dicitur, appellari ſolet ſimpliciter *propoſitio*. Minor autem dicitur *aſſumptio*, ſeu *aſſumptum*; ac tandem concluſionem vocant *complexionem*.

Notabis autem 3. Concluſionem hîc ſeqni neceſſariò ex præmiſſis: quia majus, & minus extremum in ea connexionem inter ſe neceſſariam ſervant, propter connexionem quam habuere in præmiſſis cum medio termino; juxta illud axioma jam citatum, *Quæ ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe.* Sed obſerva *tertium* illud debere ſumi univerſaliter, ſeu adæquatè. Quam ob cauſam tres Sanctiſſimæ Trinitatis perſonæ non ſunt idem inter ſe, cùm potiùs ab invicem diſtinguantur realiter, quanvis idem ſint in natura, quam ſingulæ totam indiviſibiliter continent; quia ſcilicet non illam totam continent adæquatè, id eſt, ſecundùm ea omnia quæ continentur in natura Divina; natura enim Divina continet tres perſonalitates diſtinctas inter ſe, at perſona *v.g* Patris, non eſt perſona Filii, aut Spiritus Sancti, unde non eſt id totum quod dicit natura Divina, nec conſequenter debent eſſe idem inter ſe.

Notandumque eſt 4. Vim omnem inferendæ concluſionis in Syllogiſmis affirmativis, illo principio niti: Quò refertur etiam

Dictum de omni; cujus quidem ſenſus iſte eſt, ut quod dicitur de aliquo univerſaliter ſumpto; dica-

dicatur quoque & de iis quæ continentur ſub ipſo. Vt quia dicitur de omni animali, quòd ſit vivens, dicetur etiam illud de homine, quia ſub animali continetur.

Dictum de nullo, eſt pro Syllogiſmis negativis, cujus ille eſt etiam ſenſus, ut quod de aliquo univerſaliter ſumpto negatur, negetur quoque de iis quæ ſub eo continentur. His autem poſitis,

Not. 5. Concluſionem in Syllogiſmo ſequi ex præmiſſis neceſſariò, non ſolùm neceſſitate conſequentis, id eſt ratione ſolùm materiæ, ut ſupra explicui; ſed etiam neceſſitate conſequentiæ, id eſt, vi formæ, ſeu ratione diſpoſitionis terminorum, ut patet ex dictis. Item

Not. 6. Intellectum, poſito aſſenſu præmiſſarum, tum poſitâ reflexione ad connexionem conſequentis cum antecedente, neceſſariò præbere aſſenſum concluſioni, nec poſſe ab eo impediri per voluntatem, niſi indirectè, quatenus intellectum alteri objecto tunc applicuerit. Ratio hujus rei eſt, quia intellectus eſt potentia naturalis, & neceſſaria, quæ poſitis omnibus ad agendum requiſitis, non poteſt non agere, perinde *v. g.* ac oculus, aliæque id genus potentiæ naturales. Item

Not. 7. Aſſenſum illum præmiſſarum, ſeu judicium antecedentis per modum cujuſdam cauſæ formalis, determinare intellectum ad aſſenſum concluſionis. Sic enim intellectus quaſi lumine quodam illuſtratur, ac veluti fœcundatur, unde reddatur potens ad inferendam concluſionem. Item, ſic aſſenſus præmiſſarum, ut alii docent, non tantùm moraliter quaſi dirigendo, aut ſuadendo; ſed etiam phyſicè cum intellectu influit ad eliciendum

judicium illativum conſequentis. Prob. Quia quod phyſicè complet potentiam in ratione cauſæ, aut potentiæ effectivæ, ſic vulgò dicitur cum ea concurrere efficienter ad effectum. Vt *v. g.* ſpecies in oculo impreſſa. Atque ita ſe habet aſſenſus præmiſſarum in iſto caſu: ſicque actus unus vitalis poteſt indirectè concurrere ad productionem alterius vitalis actus; nec dubium eſt quin eam ob cauſam judicium illud antecedentis adhuc exiſtat in intellectu, quando infertur concluſio. Quanquam alii exiſtimant influxum illum eſſe tantùm moralem. Alioquin habitus artis perinde influeret phyſicè in opus proprium; aut magiſter docens modum alicujus rei perficiendæ, perinde in illius rei effectionem phyſicè influere diceretur: quod vulgò rejicitur.

Not. 8. Diſcurſum, quando ſumitur præcisè pro tertia mentis operâtione, aliud nihil eſſe quàm judicium illativum conſequentis ex antecedente, unde eſt operatio formaliter ſimplex, quæ tamen præſuppoſitivè eſt complexa; quomodo per proportionem dixi de ſecunda mentis operatione. Quanquam

Not. 9. Diſcurſus, ſeu ratiocinatio magis communiter, & commodiùs accipi ſolet pro aggregato ex antecedente & concluſione, cum recta illarum omnium partium inter ſe coordinatione. Vulgò enim ajunt diſcurſum eſſe proceſſum quendam à judicio antecedentis, ad judicium conſequentis.

CAP. IV. *Forma Syllogiſmi.*

N*Ihil* concludit Syllogiſmus, niſi debitam formam ſervaverit, ſiquidem forma illa totam ejus eſſentiam conſtituit. At

Dico

Dico I. Forma Syllogiſmi, eſt terminorum, & propoſitionum apta inter ſe coordinatio in figura, & modo,

Dico autem II. Figura Syllogiſmi, eſt medii termini cum majori, & minori extremo apta complicatio ad concludendum. Quare pro diverſa ratione complicandi medii termini cum illis extremis, oriuntur figuræ inter ſe eſſentialiter diverſæ. Sicque

Dico III. Iuxta Ariſt. Tres ſunt figuræ, quarum prima medium terminum habet ita diſpoſitum, ut ſit ſubjectum in majori, & prædicatum in minori. Exemplum.

Omne vegetativum *eſt vivens.*
Atqui omnis planta eſt vegetativa.
Ergo omnis planta eſt vivens.

Secunda figura, eſt cum medius terminus prædicatur in utráque præmiſſâ. Vt

Omne animal eſt vegetativum.
Atqui nullus lapis eſt vegetativus.
Ergo nullus lapis eſt animal.

Tertia denique figura, eſt quando medius terminus eſt ſubjectum in utraque præmiſſa. Vt

Omne vegetavivum *eſt vivens.*
Atqui omne vegetativum *eſt ſui nutritivum.*
Ergo aliquod ſui nutritivum eſt vivens.

Objic. 1. Tertia figura non concludit vi formæ, quia materiæ cuicunque applicata non ſemper verè concludit. *v. g.* In hoc ſyllogiſmo,

Omnis philoſophus eſt ſciens.
Sed aliquis philoſophus eſt diſciplinæ capax.
Ergo aliquis diſciplinæ capax, eſt ſciens.

In hoc inquam ſyllogiſmo non eſt neceſſariò verum, ſed contingenter tantùm, quòd aliquis diſciplinæ capax ſit ſciens; unde fieri poteſt ut res ita non ſit. ℞. Huic difficultati ſatiſ-

factum

factum fuiſſe *Diſp.* 3. *c.* 5 Valet enim ſemper, modò ſervetur eadem ſuppoſitio verbi *eſt*, tum in antecedente, tum in concluſione. Sicque erit vera concluſio, ex hypotheſi exiſtentiæ.

Objic. 2. Præter illas tres figuras admittenda eſt Quarta, juxta Galenum, eſſentialiter diverſa, in qua medius terminus prædicetur in majori, & ſubjiciatur in minori: ut

Omnis planta eſt vegetativa.
Sed omne vegetativum *eſt vivens.*
Ergo aliquod vivens eſt planta.

Nec dicas differre tantùm accidentaliter à prima, propter tranſpoſitionem majoris & minoris: nam illud ſufficit ad inducendam diverſitatem eſſentialem inter figuras, quia inducit diverſam terminorum diſpoſitionem. Quomodo per proportionem in figuris mathematicis diverſa partium diſpoſitio inducit diverſitatem eſſentialem. Conf. Quia dum aliqua propoſitio convertitur, & conſequenter in ea fit terminorum, id eſt, ſubjecti & prædicati tranſpoſitio, tunc mutatur figura, ex eo quòd mutetur collocatio medii termini cum extremis: atque ita modus quem vocant *Ceſare*, de quo poſtea, tranſit in *Cameſtres*. Ergo à fortiori tranſpoſitio unius propoſitionis mutabit figuram; cùm etiam tunc mutetur collocatio medii termini cum extremis. ℟. Et

Dico IV. De facto, Galenicam eſſe diverſam eſſentialiter à tribus aliis, ob rationes allatas. Solùm tamen retineri tres Ariſtotelicas, & negligi Galenicam, eo duntaxat nomine, quòd ſit minùs naturalis.

Dico V. Modus Syllogiſmi, eſt apta coordinatio propoſitionum inter ſe, penes quantitatem, & qualitatem: id eſt, penes univerſalitatem,

tem, aut particularitatem; tum penes affirmationem, aut negationem. Non enim quælibet propoſitionum conjugatio rectè concludit. Quinam autem modi in ſingulis figuris ſint utiles ad concludendum, ſeu qualem habere debeant propoſitionum inter ſe ordinationem, ut rectè concludant, deſignari ſolet illud per ſingulas voces quatuor iſtorum verſiculorum. Ac pro modis quidem primæ figuræ propriis, traduntur novem iſtæ voces:

Barbara, Celarent, Darii, Ferio, Baralipton.
Celantes, Dabitis, Fapeſmo, Friſeſomorum.

Ad modos ſecundæ figuræ attinent:

Ceſare, Cameſtres, Feſtino, Baroco.

Ac tandem eſto pro modis figuræ tertiæ: *Darapti*
Felapton, Diſamis, Datiſi, Bocardo, Feriſon.

Notandumque eſt, in ſingulis illis vocibus haberi tantùm rationem primarum vocalium; quarum quæ primo loco eſt, deſignat qualis, & quanta debet eſſe Major propoſitio: ſecunda eſt pro Minore; ac tertia denique pro Concluſione.

Notabis autem, quod jam ſupra monui, per vocalem *A* oſtendi, propoſitionem debere eſſe univerſalem affirmativam. Per vocalem E, debere eſſe univerſalem negativam. Vocalis *I*, deſignat debere eſſe particularem affirmativam. Vocalis O; particularem negativam. Item

Not. 3. Ex modis illis alios eſſe *directos*, alios *indirectos*. Directi vocantur ii qui directè concludunt; id eſt, in quibus majus extremum concluditur de minori: quales ſunt quatuor primi modi figuræ primæ; reliqui enim ejuſdem figuræ ſunt indirecti. In aliis figuris recenſentur ſolùm directi. Cæteri verò modi qui in ſingulis

lis illis figuris ſupponi fortaſſe poſſent, negliguntur à Philoſophis, tanquam minùs naturales, & minùs idonei.

His porro annumerari debet Syllogiſmus *expoſitorius*, conſtans medio ſingulari; ſicque appellatur, quòd rem eam de qua agitur, veluti oculis ſubjiciat, cùm ſingularia potiſſimùm ſint nobis manifeſta. Atque ille Syllogiſmus fieri quidem poteſt quibuſcunque in figuris, ſed videtur habere majorem evidentiam in Tertia. *v. g.*

Petrus eſt homo.
Petrus eſt animal.
Ergo aliquod animal eſt homo.

Negarunt aliqui hunc eſſe propriè ſyllogiſmum, aut aliquam ratiocinationis ſpeciem; cùm velint omnem ratiocinationem niti ſemper aliquo principio univerſali. Sed falſum eſt. Neque verò etiam hæc alia eſſe mentis operatio poteſt, quàm tertia. Imò videtur eſſe Syllogiſmorum perfectiſſimus, quia eſt alienus à confuſione præceptorum de diſtributione, & ſuppoſitione Medii; concluditque evidentiſſimè, cùm in eo ſit evidentiſſima identificatio extremorum cum medio termino adæquatè ſumpto.

Dico VI. Ex omnibus figuris, abſolutè loquendo, prima eſt omnium præſtantiſſima. Prob. Quia maximè utilis eſt ad demonſtrationem, de qua poſtea. Item eam ob cauſam iſtius figuræ ſyllogiſmi dicuntur perfecti, aliarum autem vulgò putantur imperfecti, quòd in iis conſequentiæ bonitas non ſit ita per ſe evidens; ideoque ſolent *reduci* ad modos directos primæ figuræ, ut manifeſtior fiat rei concluſæ veritas.

Dico

Dico autem VII. Reductio illa fit variis modis. Primò per *Oſtenſionem*; quæ *reductio oſtenſiva eſt*, quando per aliquam converſionem, aut propoſitionum tranſmutationem, retento eodem medio, colligitur in ſyllogiſmo perfecto eadem concluſio, quæ fuit negata in ſyllogiſmo imperfecto. Dicitur *retento eodem medio*, ut diſtinguatur à reductione per *expoſitionem*, ſeu quæ fit per ſyllogiſmum expoſitorium; quando ſcilicet medio ſingulari ſubſtituto in locum medii communis, infertur eadem concluſio, quæ inferebatur in Syllogiſmo de medio communi. Vt ſi negetur iſta concluſio: *Omne animal eſt ſenſus capax Omne animal eſt corpus. Ergo aliquod corpus eſt ſenſus capax.* Sumi debet aliquod ſingulare contentum ſub animali, hoc modo. *Petrus eſt ſenſus capax. Petrus eſt animal. Ergo aliquod animal eſt ſenſus capax.*

Tertiò denique eſt reductio per impoſſibile; ſeu ad impoſſibile eſt, quando negata concluſione alicujus ſyllogiſmi imperfecti, aſſumitur illius contradictoria, cum altera ex præmiſſis jam conceſſis, ut inde concludatur contradictoria, vel contraria præmiſſæ alterius jam etiam conceſſæ: ut ſi conceſſis præmiſſis negetur iſta concluſio in *Baralipton. Omne animal eſt ſubſtantia. Omnis homo eſt animal. Ergo aliqua ſubſtantia eſt homo.* Sic reſumi debet in *Celarent. Nulla ſubſtantia eſt homo. Omne animal eſt ſubſtantia. Ergo nullum animal eſt homo.*

CAP. V. *Leges Syllogiſmorum.*

DIco I. In omni Syllogiſmo debent omnino eſſe tres termini, nec plures, aut pauciores: unde ſequitur nullum ex illis debere ſumi æquivocè, ſeu in multiplici ſignificatione,

ne, vel ut ajunt, eandem ſemper debet ſervare ſuppoſitionem; alioquin pluribus æquivaleret. Ita foret ille paralogiſmus, ſeu vitioſus ſyllogiſmus: *Omnis canis latrat. Sydus eſt canis. Ergo ſydus latrat:* Vel *Rex eſt unius ſyllabæ. Atqui Alexander eſt Rex. Ergo Alexander eſt unius ſyllabæ.* Ibi nomen *Rex* non retinet eandem ſuppoſitionem.

Item. Medius terminus in altera ſaltem præmiſſarum debet diſtribui: id eſt, debet ſumi univerſaliter, ſeu adæquatè, aut ſecundùm id totum quod ſignificat. Alioqui non ſervaretur *dictum de omni*, quo nititur vis omnis ſyllogiſtica. Diſtribuitur autem, ubi afficitur ſigno aliquo univerſali, ita ut ratione illius ſigni extendatur ad omnia ſua ſignificata; alioquin in ea propoſitione, *omne animal fuit in arca Noë.* Ibi Tò *omne*, ſumitur tantùm pro ſingulorum generibus, non pro ſingulis generum. Memineris verò ſignum Tò *omnis*, diſtribuere tantùm vocem illam cui immediatè præfigitur; Tò *nullus* diſtribuit tam ſubjectum, quàm prædicatum. Quanquam Tò *omnis* non diſtribuit ſubjectum, ſi fortè conjungatur ſigno alicui particulari. Vt; *omne individuum alicujus ſpeciei eſt homo. Atqui equus eſt individuum alicujus ſpeciei. Ergo equus eſt homo.*

Item. Nullus terminus non diſtributus in antecedente, poteſt diſtribui in conſequente. Sic enim fieret conſequentia, à parte ad totum. Ita non valet, *omne animal eſt ſenſus capax. Atqui omne animal eſt ſubſtantia. Ergo omnis ſubſtantia eſt ſenſus capax.* Nam lapis eſt ſubſtantia, qui tamen non eſt ſenſus capax.

Item. Non valet conſequentia à parte ad partem, ut quando fit ſyllogiſmus ex puris particu-

ticu-

ticularibus. Vt, *Aliquod animal eſt bipes. Aliquis equus eſt animal. Ergo aliquis equus eſt bipes.* Tunc enim extrema non habent connexionem in antecedente cum aliquo tertio. Nec dicas; valet in ſyllogiſmo expoſitorio ex puris ſingularibus. Ergo à pari in iſto. *Nego parit.* Quia in ſyllogiſmo expoſitorio terminus ſingularis non ſumitur per modum partis; habetque ſufficientem cum utroque extremo connexionem, ut ſupra dixi.

Item. Ex puris negativis nihil ſequitur. Quia *dictum de nullo* non ſervatur, niſi medius terminus per affirmationem conjungatur ſaltem cum aliquo extremo in antecedente. Vt, *Nullus homo eſt brutum. Atqui nullus equus eſt homo. Ergo nullus equus eſt brutum.*

Item. Medius terminus nunquam ingreditur concluſionem: quia idem probaretur per idem. Vt, *omne animal eſt vivens. Omnis homo eſt animal. Ergo omne animal eſt vivens.*

Item. Concluſio ſequitur ſemper antecedentis partem debiliorem quoad qualitatem, & quantitatem; ita ut ſi aliqua ex præmiſſis fuerit particularis, aut negativa, concluſio non poſſit eſſe aut univerſalis, aut affirmativa. Ratio eſt, quia, ut ajunt, *propter quod unumquodque tale eſt, & illud magis.* Nempe ſi quis defectus in qualitate, aut quantitate contineatur in antecedente, quod concluſionis cauſa eſt; à fortiori debet ille reperiri in ipſa concluſione.

Nota, agere me tantùm de defectu in qualitate, aut quantitate. Quamvis enim ex antecedente vero non poſſit inferri niſi verum; ea tamen eſt conſequentiæ natura, ut ex falſo poſſit, tum falſum, tum & verum inferri. Vt, *homo eſt* [illegible]*is. Ergo eſt inſenſibilis*; quod falſum eſt; at

erit

erit verum : *ergo eſt ſubſtantia* Sicque etiam ex contingenti antecedente poteſt conſequi & neceſſarium. Puta, *Petrus videt. Ergo eſt animal.*

Dico præterea I I. Suæ ſunt in ſingulis figuris propriæ Syllogiſmorum leges. Atque iſtæ quidem vulgò ſequuntur.

IN PRIMA.

Sit minor affirmans, nec major ſit ſpecialis.

Primò enim, ex minori negativa, nihil ſequitur, directè ſaltem. Vt, *Omne animal eſt vivens. Nulla planta eſt animal. Ergo nulla planta eſt vivens.* Non valet, quia vivens diſtribuitur in concluſione, non autem in antecedente.

Nota, eandem ob cauſam non valere. *Omne animal rationale eſt ſubſtantia; atqui ſolus homo eſt animal rationale : ergo ſolus homo eſt ſubſtantia.* Minor enim eſt excluſiva, & conſequenter æquivalens negativæ.

Notabis tamen valere in modis indirectis, ut in *fapeſmo*, in hunc modum. *Omne animal eſt ens. Sed rationale ut ſic præciſè non eſt animal. Ergo aliquod ens non eſt rationale.* Alioquin falsò concluderetur directè ; *Ergo rationale ut ſic præciſè non eſt ens.*

Secundò. Ex majori particulari nihil concluditur. Vt, *aliquod animal eſt homo. Sed omne brutum eſt animal. Ergo aliquod brutum eſt homo.* Ratio eſt, quia medius terminus Tò *animal* in antecedente non diſtribuitur, nec conſequenter in eo ſervatur *dictum de omni.*

IN SECVNDA FIGVRA.

Vna negans præeat, nec major ſit ſpecialis.

Primò enim ex puris affirmativis nihil concludit hæc figura : ut, *Omnis homo eſt animal. Sed omnis equus eſt animal. Ergo omnis equus eſt homo.*

homo. Ratio eſt, quia medius terminus non diſtribuitur; ut ſatis patet.

Secundò, in hac figura ex majore particulari nihil ſequitur. Vt, *aliquod animal non eſt rationale. Atqui omnis homo eſt rationalis. Ergo aliquis homo non eſt animal. Animal* in majori non diſtribuitur, cum tamen diſtribuatur in hac concluſione negativa.

IN TERTIA FIGVRA.

Sit minor affirmans, concluſio ſit ſpecialis.

Nam primò in hac figura nihil ſequitur ex minore negativa. Vt, *omnis homo eſt ſentiens. Aliquis homo non eſt equus. Ergo aliquis equus non eſt ſentiens.* Ratio eſt eadem quæ modò allata, &c. Vnde etiam non valet *Animal eſt ens. Sed animal non eſt formaliter rationale. Ergo formaliter rationale non eſt ens.*

Secundò, in hac figura concluſio ſemper eſt particularis: alioqui non valet. Vt, *omnis homo eſt rationalis. Omnis homo eſt animal. Ergo omne animal eſt rationale.*

CAP. VI. *De Syllogiſmo demonſtrativo.*

SYllogiſmi, ratione formæ dividuntur eſſentialiter tum in varias Figuras; tum ſub illis figuris varios in Modos: ex quibus etiam alii dicuntur Hypothetici, ſeu conditionales, qui non concludunt niſi ex hypotheſi aliqua: alii verò è contrà dicuntur abſoluti: Item alii ſunt modales, qui conſtant ex propoſitionibus modalibus; & contra: Item alii compoſiti; ſimplices alii. Et cæteri id genus. Sed hoc loco maximè attenditur ratio materiæ, majorque hac in parte eſt difficultas. Sic igitur,

Suppono ex communi doctrina, Syllogiſmum ratione materiæ dividi in *Demonſtrativum*

vum, *Probabilem*, & *Sophiſticum*. Nam Syllogiſmus, vel nititur medio evidenti & neceſſario, unde rem quaſi oculis ſubjiciat; ideoque vocari ſolet *Demonſtratio*, generatque ſcientiam: vel nititur medio ſolùm probabili, unde generet ſolùm opinionem: vel denique medio ſolùm apparenter vero, unde ſub ſpecie veri in errorem inducat, appellaturque Sophiſticus. Agam de ſingulis, jamque

Dico I. Demonſtratio eſt Syllogiſmus conſtans ex præmiſſis certis, evidentibus & neceſſariis. Probatur illa definitio, quia ſic demonſtratio in communi differt ab aliis Syllogiſmorum generibus.

Notabis autem Syllogiſmum ejuſmodi reperiri non modò in materiâ ſpeculativâ, quando rei alicujus natura aut proprietates exponuntur; ſed etiam & in materiâ practicâ, ubi rei alicujus efficiendæ modus probatur; tunc enim fieri etiam poteſt ſyllogiſmus non ſolùm probabilis, ſed etiam ex medio evidenti, & neceſſario. Ergo qui propriè ſit demonſtratio. Item

Not. 2. Ex demonſtrationibus, aliam vocari *demonſtrationem ad ſenſum*, quæ procedit à rei alicujus certa & evidenti experientia. Alia autem eſt de qua maximè agit Ariſt. *libris Poſteriorum*, quæ idcirco appellatur *Poſterioriſtica*, & generans ſcientiam ſtrictè ſumptam, qualis iiſdem in libris deſcribitur; poteſtque in communi definiri, ut jam ajebam, *ſyllogiſmus conſtans ex præmiſſis certis*, *evidentibus*, & *neceſſariis*; aut *ſyllogiſmus generans ſcientiam*. At ex eodem Ariſt.

Not. 3. Duplicem eſſe illam demonſtrationem; alteram vocat *demonſtrationem propter quid*:

: quæ procedit à causâ proximâ. Altera audicitur *demonſtratio quia*, procedens ab effeaut cauſsâ remotâ. Vtramque ut magis exem juxta mentem ipſius Ariſtotelis:

Dico II. Demonſtratio *propter quid*, eſt ſylſmus conſtans ex præmiſſis veris, primis, ediatis, notioribus, prioribus, cauſis conionis.

Notabis enim primò, dici veras; alioquin alſo daretur ſcientia, quod repugnat. Nec s ex falſo poteſt etiam inferri vera conclu- *ut obſervabam ad finem aſſertionis primæ caſuperioris*. Reſpondeo enim, ita quidem inum ſequi vi formæ, ſed poſtulat præterea onſtratio, ut concluſio ex præmiſſis ſequaetiam vi materiæ: qua ratione verum non itur niſi ex vero. Item

Dicuntur *primæ*, *ſeu primò veræ*; quia debent propoſitiones per ſe notæ, id eſt, quarum tas pateat ex ſola terminorum intelligentia, it nullo alio *medio* probari, ſeu demonſtraoſſint. Quamobrem dicuntur & *immediatum indemonſtrabiles*, cujuſmodi ſunt pri- principia, *v.g. Rem aliquam non poſſe ſimul & non eſſe.*

Quanquam neceſſe non eſt, ut præmiſſæ deaſtrationis ſint formaliter primæ, ſatis eſt ſint virtualiter primæ, & immediatæ, eo u, quòd jam ſint demonſtranti evidenter æ, & demonſtratæ per alias priores & imdiatas; alioquin niſi hoc pacto ſupponerennotæ, cognitionem ſcientificam generare poſſent. Item

Dicuntur *cauſæ concluſionis neceſſariæ*, non dò in cognoſcendo, cùm ad ipſius cogniem concurrant; ſed etiam ſunt cauſæ il-

lius in eſſendo, quia inferunt effectum per cauſam proximam; aut proprietates per eſſentiam quam continent. Sic Aſtrologus demonſtrat lunam deficere, quia Terra inter ipſam, & Solem eſt diſpoſita; hæc enim eſt eclipſis cauſa proxima. Sic Phyſicus demonſtrat hominem eſſe diſciplinæ capacem, quia eſt rationis particeps: aut eſſe riſibilem, quia eſt rationalis. Eas autem cauſas etiam in eſſendo debere eſſe neceſſarias inde patet, quia demonſtratio debet eſſe de objecto neceſſario, ſeu quod aliter eſſe non poſſit. Item

Inde conſequens eſt, ut præmiſſæ illæ dicantur *priores*, quia cauſa de ſe prior eſt effectu; Item dicuntur & *notiores*, vel quia cauſa ex rei natura notior eſt effectu, quamvis per accidens, & quoad nos, effectus ſint notiores ſuis cauſis: vel quia debent à fortiori eſſe notæ, cùm inferant concluſionem: Et verò etiam cum ſyllogiſmus omnis ſit proceſſus à noto ad ignotum, debent præmiſſæ ut ſic, & ſub ratione præmiſſæ, eſſe notiores concluſione quam inferunt. Quamobrem *circulus* ille non foret legitimus, ſeu naturalis, ſed vitioſus, quando quis præmiſſam aliquam probaret per concluſionem ab ea elicitam, ſi res illa concluſa non ſupponeretur aliunde ex aliquibus adjunctis, ſeu circumſtantiis magis cognita. Hîc autem quæres cur præmiſſæ non dicantur etiam perinde *veriores*. ℞. Quia ut habetur in metaphyſ. *diſp.* 1. *c.* 2. veritas non habet magis & minùs in ratione veritatis ut ſic.

Notabis autem, nullam eſſe ex quatuor cauſis, quæ non poſſit eſſe medium demonſtrationis. Patet de cauſa efficiente, ubi demonſtratur lunaris eclipſis per interpoſitionem Terræ inter

Solem, & ipſam Lunam. Patet etiam de
finali; cùm docent homini tenendam eſſe
is viam, quia creatus eſt propter cœle-
beatitudinem, quæ hac ratione ſolùm ob-
ur. Ita per cauſam materialem probant
nem eſſe animal corruptibile, quia conſtat
atuor elementis. Ac denique forma, &
ia, ſeu definitio eſt medium hujuſmodi
nſtrationis, ubi oſtendenda eſt proprietas
bjecto aliquo. Vt ſi probas hominem eſſe
ativum, aut riſibilem, quia eſt animal ra-
e. Nec dicas, animal rationale, idem eſt
no. Ergo qui probat hominem eſſe riſibi-
quia eſt animal rationale, idem facit ac ſi
t eſſe riſibilem quia eſt homo; & ſic in
ſu peteretur principium, probareturque
per idem. ℞. Non eſſe idem, niſi ut alio
& clariùs cognitum. Item, per definitio-
t definitio eſt, ſcitur quidem clarè quid
jectum: at locum habet in demonſtratio-
atenus eſt principium proprietatis, ut ſcia-
propter quid proprietas ſubjecto inexiſtat.
e hoc ſenſu dixit Ariſt. prædicatum in de-
tratione illa convenire ſubjecto *ſecundùm
ipſum*; id eſt, ſecundùm eſſentiam, ſeu ex
ipiis eſſentialibus ſubjecti.

otabis 2. Ideo ſcientiam, quæ eſt iſtiuſ-
demonſtrationis effectus, dici ab Ariſt.
*ionem rei per cauſam proximam, & quòd il-
it cauſa, & quòd aliter habere ſe non poteſt.*
rvandumque eſt, ad hoc non requiri om-
cauſam formalem, ſed ſufficere virtua-
ut quando probamus animam rationa-
eſſe immortalem, quia eſt immaterialis:
quando probant Theologi Deum eſſe æ-
m, quia eſt immutabilis. Neque enim

immortalitas eſt effectus realiter diſtinctus ab immaterialitate, tanquam à cauſa ipſius formali, &c.

Dico III. Demonſtratio *quia*, eſt ſyllogiſmus certus & evidens ab effectu, vel à causâ remotâ. Sic enim ab effectu probant *v. g.* Lunam eſſe rotundam, *quia paulatim, & circulariter illuminatur.* Sic autem per cauſam remotam probarent lapidem non reſpirare, *quia non eſt animal.* Alioquin per cauſam proximam, juxta primum demonſtrationis genus docerent non reſpirare, *quia pulmones non habet.* Et verò etiam ratio animalis ut ſic, non eſt adæquata cauſa reſpirationis, nam & multa animalia, quia pulmone carent, non reſpirant. At

Notabis demonſtrationem omnem *propter quid* vulgò etiam appellari *demonſtrationem à priori*, cùm fiat per cauſam. Demonſtratio autem *quia*, procedens ex effectu, vocatur *demonſtratio à poſteriori.* Alioquin demonſtratio *quia* procedens per cauſam remotam, debet dici *à priori.* Ac proinde non omnis demonſtratio *quia*, eſt à poſteriori. Item

Not.2. Demonſtrationem à priori ex ſuo genere perfectiorem eſſe,quamobrem vocari ſolet *potiſſima.* Quanquam demonſtratio à poſteriori interdum ratione materiæ perfectior eſt; ut demonſtratio de exiſtentia Divina. Cujuſmodi vocari etiam ſolet demonſtratio *à ſigno*; quia effectus oſtendit cauſæ exiſtentiam, tum & ejus perfectiones. Demonſtrationis autem à priori uſus frequentior eſt in Geometria.

At omittendum non eſt quod tradit hoc loco Ariſt. *Omnem doctrinam, omnemque diſciplinam fieri ex præcedente cognitione.* Neque enim poteſt quidquam per demonſtrationem conclu-

di,

di, niſi priùs ſciatur de re ipſa *quid nominis:* ut ſi quid velimus probare de homine, priùs oportet cognoſcere quid illo nomine *hominis* intelligatur. Item oportet & de re præcognoſcere *an ſit*, vel actu, vel potentiâ. Fruſtra enim, & ridiculè quis demonſtraret proprietates rei falſæ, diſputaretque de *bliſtri*. Vbi tamen paſſio, ſeu proprietas inquiritur de aliquo ſubjecto, non prærequiritur illius præcognitio *an ſit:* quia illud fruſtra præcognoſceretur ante demonſtrationem, quod per illam indagatur. Item, *quid rei ſit* debet interdum præcognoſci, ut quando probamus proprietatem ipſius ſubjecti.

Notabis autem ad finem hujus capitis, Demonſtrationem quantumvis perfectiſſimam de ſe, non eſſe tamen cuilibet Demonſtrationem, vixque aliis apparere diſcurſum probabilem, ut patet quotidianâ experientiâ. Illudque oritur, vel ex defectu ingenii, quòd vim alicujus demonſtrationis ſatis non capiant: vel ex defectu ſufficientis eruditionis, & ſtudii; nam ruſticus demonſtrationem phyſicam de exiſtentia materiæ primæ vix comprehendet. Item oritur ſæpe ex parte voluntatis; quando quis ita pertinaciter adhæret contrariæ ſententiæ, ut aperire oculos mentis luci etiam clariſſimæ abnuat; ſatiſque habeat ſi ſpecie aliqua probabilitatis vel leviſſimæ, doctrinam ab omnibus receptam poſſit eludere. Quod quidem contingit ut plurimùm iis hominibus, qui ex aliquo animi faſtu volunt videri aliis acutiores, aut ſapientiores. Quo pacto impii non pauci conantur traducere demonſtrationes eas omnes, quibus aut animarum noſtrarum immortalitas, aut Dei exiſtentia vulgò confirmatur. Sic etiam hæretici motivis credibilitatis

tam multis, & evidentiæ rationum quibus ſuadetur veritas Religionis nolunt aſſentiri.

CAP. VII. *De Syllogiſmo probabili.*

S*Yllogiſmus* probabilis ille eſt, qui concludit tantùm ex præmiſſis probabilibus. Probabile autem illud exiſtimant, quod etſi non eſt certum atque evidens, habet ſaltêm cum vero ſimilitudinem, probaturque aut omnium conſenſu, aut plerorumque, aut aliquorum ſapientum; ubi tamen vulgò ab aliis omnibus tanquam paradoxum non rejicitur, ſic enim non foret probabile.

Notandumque eſt varios eſſe probabilitatis gradus; alia enim ſunt de ſe, & primò probabilia, ut ſtatim iis aſſentiatur quilibet: alia autem non ita ſunt probabilia, quin aliqua præterea probatione indigeant. Item

Not. 2. Syllogiſmi probabilis naturam explicari quoque ex ejus effectu; quòd videlicet pariat ſolam opinionem; nempe aſſenſum quidem determinatum, qui tamen habere poteſt adjunctam formidinem, ſeu dubitationem de oppoſito.

Not. 3. Hunc etiam vocari Syllogiſmum Dialecticum, quia proprius eſt Dialecticorum, quorum videlicet munus eſt docere quacunque de re probabiliter diſſerere. Item vocatur & Syllogiſmus Topicus; quia medium illius, ut plurimùm petitur quibuſdam ex locis qui à Græcis nominantur τόποι; unde & Ariſtotelis *Libri Topici*, & *Ars Topica*, quæ tradit locos illos, aut ſedes, ex quibus depromuntur argumenta ad faciendam fidem idonea. Vt enim rerum quæ abſconditæ ſunt notato loco, earum facilis eſt inventio, ita per metaphoram, illa

velut capita, ad quæ revocantur ſingula probabilium argumentorum genera, nominantur *loci*, aut *ſedes* etiam quædam. Cum autem argumentorum alia ſint veluti inſita & intrinſeca, quia petuntur ex ea ipſa re de qua agitur; ut ſi probes expetendam eſſe eloquentiam, quia eſt ars bene dicendi. Alia autem ſumuntur tantùm extrinſecùs, ut ſi idem probes authoritate virorum illuſtrium. Ideo

Not. 4. Ex locis argumentorum probabilium alii dicuntur Extrinſeci; ut Præjudicia, Fama, Tabulæ, Iusjurandum: Alii autem ſunt intrinſeci: puta, à definitione rei, à partium enumeratione; à contrariis; ab adjunctis, ſeu circumſtantiis; ab antecedentibus; à conſequentibus; à repugnantibus; à cauſis; ab effectis; à comparatione majorum, aut minorum, aut parium; aliiſque id genus, de quibus conſulendi ſunt Rhetorum libri.

CAP. VIII. *De Sophiſmate, ſeu Syllogiſmo ſophiſtico.*

IS eſt, qui concludit tantùm ex apparenter veris; aut propoſitionibus apparenter probabilibus, quæ tamen non ſunt probabiles; ſicque inducitur fallacia, qui eſt finis ſeu *meta* Sophiſtæ; compellendo videlicet reſpondentem, vel ut conceſſa neget; vel ut manifeſtè falſa admittat; hæreatve ſuſpenſus; quæ ſolet appellari *meta non loqui, &c.* At

Notabis multiplex eſſe hujuſmodi fallaciarum, ſeu captionum genus, ex quibus aliæ in verbis, ſeu dictione; aliæ in rebus poſitæ ſunt.

Ex fallaciis verborum prima, dicitur *æquivocationis*, quæ petitur ex æquivocatione vocis alicujus. puta ſi dixeris. *Quæcunque expediunt*,

ſunt bona : atqui interdum mala expediunt ; *Ergo mala interdum ſunt bona.*

2. Eſt fallacia amphibologiæ, quæ oritur ex oratione in vario ſenſu accepta. Vt, *Qui liber eſt Ariſtotelis, poſſidetur ab Ariſtotele. Atqui iſte eſt liber Ariſtotelis; ergo poſſidetur ab Ariſtotele.* Hîc ambiguum eſt, an loquens ſignificet librum eſſe ſcriptum ab Ariſtotele, aut potiùs ab eo poſſideatur.

3. Eſt fallacia *compoſitionis*, & *diviſionis*. Cum propoſitio vera eſt in ſenſu compoſito, falſa in diviſo; aut è contra. Vt *poſſibile eſt omnem lapidem album eſſe nigrum*. Ita quis fallitur compoſitione. *Cœci vident.* (*ut habetur in Euangelio*) *At, qui carent viſu, ſunt cœci. Ergo qui carent viſu, vident.* Fallitur diviſione hoc modo. *Qui bonus eſt philoſophus, eſt bonus. Atqui Averroës bonus eſt philoſophus. Ergo Averroës eſt bonus.* Hucque poteſt illud revocari: *Qui dicit te eſſe animal, dicit verum : At qui dicit te eſſe leonem, dicit te eſſe animal. Ergo qui dicit te eſſe leonem, dicit verum.* Item, *habes quod non amiſiſti*; *atqui theſaurum non amiſiſti : ergo theſaurum habes.*

4. Eſt figura dictionis. Vbi res ſignificatæ per ſimiles voces, eodem ſumuntur modo. Vt, *Comediſti quod emiſti. Atqui emiſti carnes crudas. Ergo comediſti carnes crudas.*

Ex fallaciis quæ poſitæ ſunt in rebus, primò occurrit *fallacia accidentis*. Quando ſcilicet infertur aliquid rei convenire, ex eo quòd ipſius accidenti conveniat. Vt, *homo eſt animal : atqui animal eſt genus : ergo homo eſt genus.* Vel, *Petrus eſt homo : homo eſt tertia declinationis : ergo Petrus eſt tertia declinationis.*

Item, eſt *ignoratio Elenchi.* Vox quidem illa communiter apud Latinos, redditur *Argumentum* ;

tum ; quanquam ſæpius accipitur pro argumento ſophiſtico, & cavillatorio; tum maximè pro *redargutione*, id eſt, pro ſyllogiſmo colligente contradictoriam certæ alicujus propoſitionis: ſicque *elenchi ignoratio*, eſt quando colligitur id quod eſt tantùm apparenter contradictorium propoſitionis conceſſæ.

Fallacia *petitionis principii*, in eo eſt, quòd idem probetur per idem.

Fallacia *conſequentis*, eſt in qua ex conſequente infertur antecedens : vel ex oppoſito antecedentis, oppoſitum conſequentis. Vt, *ſi homo eſt, animal eſt : ergo ſi non eſt homo, non eſt animal.*

Fallacia *non cauſa, ut cauſa*, tunc dicitur, quando falſitas concluſionis ex una præmiſſa proveniens, tribuitur alteri præmiſſæ quæ vera eſt.

Item, fallacia interdum ſuboriri poteſt ex propoſitionibus indeterminatis; iis nempe, quæ nullum habent ſibi affixum aut univerſalitatis, aut particularitatis ſignum, ut, ſi dixeris, *homo eſt animal. Paries eſt albus.* Supponendum eſt enim eas quæ ſunt in materiâ neceſſariâ, revocari ſemper ad univerſales : quæ autem ſunt contingentes, non revocantur niſi ad particulares, ut ſint veræ.

Cæterùm, ut alia quæ videntur eſſe minoris momenti prætermittam : Obſervandum eſt paucis ; elenchum omnem ſophiſticum ſolvi ut plurimùm, vel jungendo quod dividit, vel dividendo quod conjungit ; vel obſcurum ſenſum, aut æquivocationes explicando.

DISPVTATIO V.

DE PRÆCIPVO EFFECTV LOGICARVM OPERATIONVM, SEV DE SCIENTIA.

CAP. I. *Præſupponuntur aliqua de cognitionibus intellectivis, & de earum certitudine.*

COgnitio eſt vitalis repræſentatio alicujus objecti; ſive ſenſitiva, ſi elicitur à potentiâ ſenſitivâ, puta vel à facultate viſiva, vel ab imaginativa: ſive intellectualis, ſi eliciatur ab intellectu. At cognitio intellectualis ut ſic, vel eſt actualis, unde ſcilicet objectum actu repræſentetur; vel eſt habitualis, nempe habitus per quem illum cognitionis actum elicere poſſimus.

Suppono autem, cognitionem omnem ſaltem intellectus propriam, vel eſſe *intuitivam*, vel *abſtractivam.* Intuitiva eſt, vi cujus judicare poſſum objectum actu exiſtere, nec conſequenter eſt de ſe niſi objecti exiſtentis. Vt quando mihi repræſento Solem, quem ipſis oculis intueor. Abſtractiva, contrà ea eſt, vi cujus non poſſim judicare objectum eſſe actu exiſtens; ut quando mihi in animo repræſento Solem, vel clauſis oculis, ſi præſens eſt; vel certè abſentem. Ita cùm repræſento mihi roſam in hyeme, tunc cùm nulla exiſtit actu, dicitur illa cognitio roſæ eſſe abſtractiva. Moneo tamen, ne hallucineris, hîc non agere me de illo genere cognitionis, per quam dicimur unum abſtrahere ab alio, illud nimirum conſiderando ſine alio; ut quando natura univerſalis dicitur per ope-

operationem intellectus fieri abſtracta ab inferioribus; quod explicabam ſupra, *Diſp. 2. cap. 1.* Poſitâ igitur illâ diviſione cognitionis in intuitivam, & abſtractivam;

Suppono 2. cognitionem illam vel eſſe evidentem, vel inevidentem, ſeu obſcuram. Evidens eſt, quando eſt de re per ſe notâ, vel de eo quod habet evidentem connexionem intrinſecam cum re per ſe notâ: ſecus diceretur obſcura cognitio. Res per ſe nota, eſt quæ per ſolam terminorum penetrationem, ſeu explicationem comprehenditur: ut quando judico totum eſſe majus aliqua ſui parte. Item res per ſe nota eſt, quando per propriam ſui ſpeciem repræſentatur, vel continetur eminenter in alio clarè & quidditativè cognito, quo pacto beati cognoſcunt creaturas in Deo. Dixi rem quoque fieri evidentem, ſi habeat intrinſecam connexionem evidentem cum aliâ evidenter cognitâ; ut concluſio cum antecedente evidenter cognito. Hæc autem connexio evidenter cognita dicitur motivum ad aſſenſum, ſeu res nos movens ad aſſenſum.

Notandumque eſt, motivum ad cognitionem eſſe duplex: aliud quidem intrinſecum, quia ſcilicet habet connexionem intrinſecam cum re cognita: ut cauſa cum effectu; proprietates cum natura à qua emanant, &c. Aliud tantùm eſt extrinſecum, ut teſtimonium & authoritas loquentis cum re credita per actum fidei, vel Divinæ, ſi teſtimonium illud divinum eſt; vel fidei humanæ, ſi eſt humanum.

Notabis autem, intellectum nulla vi voluntatis poſſe in objectum ferri, ſive per aſſenſum, ſive per diſſenſum, niſi ex aliquo motivo præcognito, ſive intrinſeco, ſive extrinſeco. Sicque

ait Ariſt. 2. *de An.* Poſſe nos imaginari cum volumus, at opinari non poſſe cum volumus. Probatur experientiâ: nam defectu rationis motivæ non poſſumus *v. g.* nos determinare ad partem alterutram hujus disjunctivæ, *Aſtra ſunt, vel paria, vel imparia.* Conf. Quia alioqui poſſet voluntas quocunque in caſu non metuere, aut non deſperare, &c. Siquidem poſſet imperare intellectui, ut judicaret malum non imminere; item bonum eſſe poſſibile & futurum, etiam tunc cum impendet malum ipſi contrarium. Item, poſſet efficere, ut intellectus nunquam dubitaret; quod tamen experimur eſſe falſum, tam in rebus ſpeculativis, quàm in practicis: imò contingunt nonnunquam tales dubitationes, quas nullo ſtudio, & diligentia ſuperare poſſumus.

Suppono præterea 3. cognitionem omnem eſſe vel certam, vel incertam. Quanquam hîc conſiderari debet duplex certitudinis genus: altera enim eſt objectiva, ſeu ex parte objecti, per quam objectum opponitur contingentiæ, & dicitur ita eſſe, ut aliter eſſe non poſſit, ſaltem ex hypotheſi, confunditurque cum veritate ipſius objecti, per quam dicitur verè eſſe. Altera autem eſt certitudo formalis, & propriè dicta, de qua hîc agimus: eſtque firma adhæſio intellectus ad objectum verum. Alioquin ſi falſum illud objectum foret, adhæſio ejuſmodi vocaretur potiùs *pertinacia*: aut *hæreſis*, ſi eſſet in rebus fidei.

Notandumque eſt, intellectum poſito motivo, ſic adhærere ad objectum, vel ratione principii evidentis; vel quia determinatur à voluntate. Quod enim ad primum ſpectat, quando objectum eſt evidens, proponiturque debitis

debitis cum circumſtantiis, non poteſt intellectus illi non adhærere. Quamobrem ſcribit Ariſt. 4 *metaph. t. 9. Impoſſibile eſſe intellectum arbitrari oppoſitum ejus, quod eſt per ſe notum.* Neque hîc opus eſt ulla voluntatis applicatione, perinde enim per proportionem ac potentia viſiva poſitis omnibus requiſitis operatur neceſſariò. At in obſcuris, cum intellectus quantùm eſt de ſe hæreat ſuſpenſus, debet determinari à voluntate per quam ſic immobiliter affigitur aliquando ſuo objecto, ut dicat Ariſt. 7. *eth. c.* 4. quoſdam in ſuis opinionibus non minùs eſſe firmos, quàm alii in ſua ſcientia, & demonſtrationibus: poteſtque illud contingere, quando motivum opinionis eſt conjunctum cum tantâ veriſimilitudine, & rationes contrariæ adeo ſunt infirmæ, ut ne veniat quidem in animum dubitare de oppoſito. Sic etiam in rebus fidei, ſive humanæ, ſive divinæ, intellectus debet determinari ad aſſenſum ex imperio voluntatis, unde commune eſt dictum illud, *nemo credit niſi volens.* Cùm enim teſtimonium, ſeu revelatio non habeat niſi extrinſecam connexionem cum objecto revelato, illud non notificat niſi cum obſcuritate. Vnde ſcripſit Apoſtolus, *fidem eſſe non apparentium.* Quo in caſu intellectus determinari debet à voluntate ad aſſenſum, cùm alioquin de ſe non determinetur niſi ab evidentia objecti. At

Not. 2. certitudinis triplex eſſe genus. Primò enim alia eſt phyſica, quæ oritur ex evidentia principii phyſici, ſeu naturalis; quatenus ex rei proprietatibus, & operationibus, judicamus de illius exiſtentia, & natura; illique ſubeſſe falſum naturaliter non poteſt. Vt quando iſtud judico eſſe ignem, aut panem, aut vinum, &c.

Certè videns hoſtiam quam neſcirem conſecratam, judicarem eſſe panem, nec poteſt ille error corrigi, niſi per fidem Divinam. 2. Certitudo metaphyſica eſt, quæ nititur principio metaphyſico, quod abſolutè non poteſt eſſe aliter. Vt quando ſuppono rem non poſſe ſimul eſſe & non eſſe: taliſque eſſe debet certitudo divinæ fidei; quia eſt abſolutè impoſſibile, Deum aliquid revelantem, aut falli, aut fallere; ut tradetur *in metaphyſica*. Tertiò denique, eſt certitudo moralis, quæ nititur principiis prudentiæ, unde prudenter judicemus rem ita ſe habere; nec poſſe aliter eſſe.

Incertitudo eſt duplex; altera eſt poſitiva, quando utrinque ſunt rationes probabiles, nec intellectus alterutri parti aſſentitur, ſed potiùs manet quaſi in æquilibrio, dum tandem per voluntatem ad alterutrum determinetur: Idemque eſt ac dubium, ſeu dubitatio actualis, quam & formalem nominant.

Altera eſt incertitudo negativa, ſeu non certitudo, quando nec adeſt motivum firmans cognitionem ad objectum; nec etiam adeſt oppoſitum illi firmitati.

Dubitationi affinis eſt ſuſpicio; hæc enim eſt actus intellectus quo judicamus quidem probabiliter hoc, vel illud eſſe, neutri parti aſſentiendo: ſed habet iſtud ſupra dubitationem, quòd inclinetur potiùs in unam partem, quàm in aliam, ob levem aliquam conjecturam. At dubitatio, & ſuſpicio differunt ab opinione, quòd hæc determinata ſit ad alteram ex partibus oppoſitis.

Scrupulus eſt levis quædam ſuſpicio orta ex levibus tantùm rationibus: nec differunt inter ſe ſuſpicio, & ſcrupulus, niſi ſecundùm magis & minùs.

Sup-

Suppono tandem 4. Cognitionem, & actum judicii poſſe fieri de eodem etiam objecto, multis modis. Primò enim, poteſt quis ex viſione intuitiva ipſius rei evidenter propoſitæ, judicare eſſe talem; puta ſi quis haberet propriam animæ humanæ ſpeciem, & viſionem quidditativam, facilè judicaret eam eſſe immortalem. Secundò, judicare illam talem poteſt ex diſcurſu evidenti, & neceſſario. *v. g.* quia eſt ſpiritualis: taliſque aſſenſus eſt ſcientificus. Item 3. Talem eſſe judicare poteſt ex diſcurſu, & medio probabili; eritque opinio: vel 4. Quia talem eſſe pronunciant viri ſapientiſſimi, ut Ariſtoteles; eritque actus fidei humanæ: vel 5. Quia hoc revelavit Deus, iſteque erit actus fidei Divinæ.

Notandumque eſt, actum opinionis qui nititur medio ſolùm probabili, & obſcuro, eſſe quidem radicaliter dubium, eo ſenſu, quòd aliquis ſe ſe reflectens ad debilitatem illius motivi, judicabit rem aliter eſſe poſſe. At de ſe non eſt formaliter dubius, ſeu poſitivè incertus. Nam poteſt exiſtere abſque illo actu reflexo; & conſequenter erit determinatus ad objectum: nec opinans ut ſic, eſt idem ac dubitans, ſeu judicans rem aliter eſſe poſſe. Et verò etiam poteſt quis opinans prudenter, & licitè operari; at dubitans de bonitate, aut malitia rei, non poteſt. Item ſequeretur alioquin eum fieri magis dubium, qui plures de re aliqua haberet rationes probabiles; quod falſum eſt.

CAP. II. *De certitudine cognitionis ſcientificæ, fidei humanæ, &c.*

S*Vppono* contra Scepticos, & Academicos, in nobis admittendas eſſe cognitiones certas, & non tantùm probabiles, ſeu opinativas; aut etiam

etiam dubias. Prob. Quia Scepticus ipſe ſaltem certus eſt ſe exiſtere, qui vel loquatur, vel videatur ſibi loqui, & diſputare: nemo enim niſi exiſtens, aut cogitat ſe loqui, aut de facto loquitur. Item niſi Scepticus ipſe admittat certam veritatis cognitionem, tollit & ſuam illam quam propugnat probabilitatem, ſeu veriſimilitudinem: nemo enim cognoſcit veriſimile, niſi quatenus ipſum comparat cum vero, quod debeat certò cognoſci ut verum, & cui ſimile eſſe judicetur. Item *ut habet D. Auguſt. contra Academicos*, hoc dogmate poſito, ruit omnis religio, ſiquidem in ea nihil certum eſſe exiſtimaretur; neque poterit eſſe conſtans in proſequutione finis ultimi per merita bonorum operum; ſiquidem ille certò non ſciet qualis ſit ille finis quem proſequatur. Tolletur conſequenter morum omnium diſciplina; atque ut ſcribit idem S. Auguſt. adulter adoleſcens excuſabit ſe probabiliter, quia nimirum faciendum adulterium ut probabile occurrit, atque adeo nullâ ſuâ culpâ id feciſſe. Vnde meritò Sceptici illi & Academici judicantur eſſe religionis, ac pietatis omnis peſtes, ſolentque fieri prorſus athei.

Objiciunt 1. Cognitionem omnem noſtram ducere ortum à ſenſibus, qui fallaces ſunt; unde neceſſe ſit cognitionem quoque illam eſſe falſam. ℞. Senſus circa objectum proprium debitè applicatum non falli, *ut dicitur in Tractatu de Senſibus.* Item & cùm falluntur, poſſunt corrigi à ratione.

Objic. 2. Eadem nobis dormientibus videri, ac vigilantibus: unde nec certi ſumus nos potiùs vigilare, & vigilando loqui, aliáque id genus præſtare, quàm ſomniando. ℞. Tunc inter ſomniandum dubitamus, num fortè dormiamus:

mus: at cum vigilamus, non dubitamus de vigilia; quia ex pluribus circunſtantiis redditur nobis per ſe nota. Atque his ſuppoſitis,

Dico I. Datur etiam certitudo in cognitionibus noſtris quæ dicuntur ſcientificæ. Prob. Quia dantur propoſitiones per ſe notæ, ex quibus per diſcurſum evidentem poteſt inferri concluſio ſcientifica evidens, & conſequenter certa. Vt patet inductione in Phyſica, Metaphyſica, &c. Conf. Quia nobis inſitus eſt à naturâ ſciendi appetitus; unde & per ſe cuilibet jucundiſſimum eſt quòd ſciat. Eſſet autem fruſtra ille ſciendi appetitus, ſi à nobis acquiri certa ſcientia non poſſet; quod eſt abſurdum; Deus enim, cùm agat ex perfectiſſima ſapientia, nihil facit fruſtra.

Objic. 1. Res naturales ſunt in continua mutatione, & fluxu, unde nihil certò de illis ſtatui poteſt. ℞. Si ſumantur ſecundùm exiſtentiam. Tr. At de illis ſecundùm eſſentiam, abſtrahendo ab exiſtentia, fiunt propoſitiones ſempiternæ veritatis.

Ob. 2. Vix ulla res eſt, de qua non diſputetur in utramque partem à philoſophis; ſuntque tot ſenſus quot capita: quod ſignum eſt res illas omnes eſſe in incerto poſitas. ℞. De multis convenire inter ſapientiores. Item plena eſt demonſtrationibus philoſophia, quanvis non ſunt cuilibet demonſtrationes; ut ſupra exponebam. Quinetiam

Dico II. Sua etiam eſt fidei humanæ certitudo, quando adſunt debitæ circunſtantiæ. Prob. 1. ex D. Auguſt. *libr. de utilitate credendi, variis in locis.* Quia alioqui ſequerentur inde multa abſurda, & incommoda in ſocietate humana, ſi nihil certò credi poſſet. *Sic enim, inquit,*

quit, interpoſita ſolùm matris authoritate, de patre creditur; de matre verò plerumque nec matri, ſed obſtetricibus, & famulis: cum tamen ſine ulla dubitatione credamus, quod ſciri à nobis non poſſe confitemur. Item, ut ſcribit, ſublata humanæ fidei certitudine, rueret omnis amicitia, non enim poſſum aliquem ex amicitia diligere, niſi redamantem eum exiſtimem; *ut docetur in Morali.* At ſcire illud non poſſum, niſi quia teſtatur ſuum in me animum, ipſique credo. Item, ut inquit, tolleretur omnis magiſterii diſciplina, debet enim diſcipulus primùm ea credere quæ traduntur à magiſtro, tum comprehenſis doctrinæ illius principiis, fit perfectè intelligens. Huc adde commune proverbium, *perito cuique in ſua arte credendum eſſe.* Prob. 2. Quod multi ſapientes viri ex æquo & bono ſtatuerunt, nulla inter ſe conventione facta, illud eſt infallibiliter verum, & certò credendum: non enim poſſunt hoc pacto omnes vulgò idem ſentire, niſi naturâ duce, quæ de ſe ad falſum non impellit. Item quod eo modo ex inſtinctu & inclinatione virtutis intellectivæ cognoſcitur, illud neceſſariò eſt verum; quia de ſe intellectus non habet inclinationem niſi ad verum, cùm ſit facultas eſſentialiter ordinata ad verum. Item mendacium ex natura ſua eſt inconſtans, ut patet experientiâ; unde quod ab omnibus vulgò aſſeritur, illud verum eſſe debet, & certò credi poteſt; ut, quod vulgò ajunt, eſſe in mundo urbem, quam *Romam* appellant, &c.

Notandumque eſt, nihil de facto credi, niſi quod judicatur, vel probabiliter, vel certò credibile. Tunc autem res dicitur certò credibilis, quando ſine ulla ſpecie dubitationis de oppoſito, apparet eſſe digna quæ credatur. Sed

Not. 2. Rem nullam ſic eſſe certò credibilem, quæ non ſit evidenter credibilis. Dicitur porro evidenter credibilis, quando eſt ex principiis prudentiæ evidentibus: quæ eſt evidentia moralis, ſeu ſecundùm prudentiam; ubi ſcilicet nulla eſt adjuncta circumſtantia, unde poſſit oriri prudens ratio dubitandi. Quo pacto evidenter credibile eſt exiſtere urbem Romam, uti ajebam modò. Ita vulgò Theologi oſtendunt, quàm evidenter ſit credibile fidem Chriſtianam eſſe traditam à Deo. Ita ex pluribus aliis Leſſius *Opuſculo, Quæ ſit Fides & Religio capeſſenda*, evidenter oſtendit, *ſolam Romanam, eſſe veram Chriſti Eccleſiam, extra quam nemo ſalvari poſſit.* Ita ut nemo excuſationis ſpeciem apud Deum habeat, qui ab ea diſceſſerit.

CAP. III. *De natura ſcientiæ humanæ, ejuſque proprietatibus.*

S*Cientia* latè ſumitur aliquando pro quavis rei cujuſcunque cognitione, ſive ſenſitiva, ſive intellectuali, aut practicâ, aut ſpeculativâ. At

Dico I. Quæ propriè eſt humana ſcientia & naturalis; eſt cognitio veritatis ſpeculativæ parta per diſcurſum certum, evidentem, ac neceſſarium, &c. Prob. Quia ſic differt ab aliis cognitionis generibus: ac primò quidem differt à ſcientia Divina, & Angelica, quæ non eſt diſcurſiva, ſed veluti ſimplex rei ut in ſe eſt intuitus. 2. Differt à cognitionibus practicis, quanvis dicantur demonſtrativæ; quia ſcientia propriè ſumpta verſatur tantùm circa veritatem ſpeculativam, ut oſtendi *in diſp. proœmiali hujus Logicæ.* 3. Differt ab opinione, cùm hæc tantùm oriatur ex diſcurſu inevidenti, & non certo. Qua ratione opinio dicitur ſaltem radicaliter du-

dubia; quatenus intellectus ſe reflectens ad obſcuritatem, & debilitatem motivi quo nititur, poteſt habere adjunctum actum dubii formalis, unde judicet rem aliter ſe habere poſſe; at è contra, ſciens judicat rem *aliter ſe habere non poſſe.* 4. Differt à fide, quæ eſt aſſenſus,ſeu judicium quod nititur alterius teſtimonio.

Notandumque eſt præterea, ſcientiæ objectum debere eſſe quid neceſſarium. Nam de contingenti ut ſic, judicare non poſſumus *aliter eſſe non poſſe.* Quanquam aliunde illud quod eſt contingens,& à nobis liberè operantibus dependens; *v.g.* opus artis; ſi conſideretur ſecundùm eſſentiam, & quatenus eſt talis naturæ, dicitur prorſus neceſſarium, & objectum ſcientificum, *ut habetur ex diſp. Procemiali.*

Not. 2. Ex Ariſt. ſcientiam,eam ſaltem quæ verſatur circa res creatas,eſſe univerſalium. Sic enim ſcientia *v. g.* De homine, non eſt de hoc in particulari, ſed de homine ut ſic, & in communi. Item

Not. 3. Scientiam aliam vocari Partialem, ſeu Particularem; quæ eſt alicujus veritatis particularis: aliam eſſe Totalem, conflatam ex multis partialibus, per diverſos diſcurſus acquiſitis, quæ ſub aliqua ratione una formali conveniant: qualis eſt vel Logica, vel Phyſica, vel Metaphyſica, &c. Cujuſmodi ſcientiam Totalem habitualem Thomiſtæ volunt eſſe unicum, & ſimplicem habitum; ſed contra,

Dico II. Scientiam totalem,eſſe de facto collectionem, ſeu aggregatum ex multis partialibus ſcientiis, quæ ſub una aliqua ratione conveniant, unde dicantur conſtituere ſcientiam unam. Prob. Quia unus & idem ſimplex habitus,non poteſt ſufficere ad diverſos ſpecie actus,

qui

qui nullam inter ſe connexionem eſſentialem habent; pariuntque iſti varias difficultates à diverſis habitibus ſuperandas. Patet experientia: Qui enim ſcit demonſtrare naturam materiæ primæ, non ideo poteſt demonſtrativè explicare quæſtiones de quantitate, de motu, de infinito, aliaſque id genus quæ pertinent ad Phyſicam. Nec dicas eundem & ſimplicem habitum Divinæ Fidei, ſufficere ad diverſos actus fidei in materia diverſa. *Nego enim paritatem*: quia illi actus omnes eliciuntur ex eodem motivo, id eſt, propter authoritatem Divinam.

Dico III. Scientia ejuſmodi totalis dicitur una; quia conflatur ex diverſis habitibus, qui verſantur circa idem objectum, ſub eadem ratione formali: Quomodo Phyſica dicitur conflari ex diverſis partialibus habitibus ordinatis ad cognitionem corporis naturalis, quatenus naturale eſt, partes ipſius, tum proprietates ac cauſas explicando.

Notandumque eſt, hujuſmodi etiam eſſe objectum formale ſub quo, unde ſcientia totalis dicitur ſpecificari, & differre ab alia ſcientia; Quomodo *v. g.* Phyſica differt à Mathematica, &c. Vnde etiam ſcientiæ partiales omnes ſub ea contentæ, dicuntur eſſe ejuſdem ſpeciei, aut generis, quòd habeant ejuſmodi objectum idem formale ſub quo.

Notandum enim eſt 1. Quod alioqui ſcientia ut ſic, in ratione ſcientiæ, conſtituitur formaliter per objectum formale propter quod; unde etiam differt ab opinione *v. g.* aliiſque generibus cognitionis, quæ de eodem ſubjecto haberi poſſent. Ita cognitio illa de animæ noſtræ immortalitate dicetur ſcientifica, quæ erit per medium certum & evidens. Alia autem dicetur

tan-

tantùm opinativa, quæ erit ex medio ſolùm probabili; & ſic de aliis.

Dico IV. Ex ſcientiis, aliæ dicuntur aliis ſubalternari, ſeu ſubordinari. Subalterna autem, ſeu ſubordinata ſcientia dicitur ea quæ eſt ſub alia, à qua dependet aliquo modo; hancque appellant ſubalternantem. Sic Medicina dicitur ſubalternari Phyſicæ, quatenus concluſiones Phyſicæ ſunt principia Medicinæ; unde & profluxit commune illud: *Ibi incipit Medicus, ubi deſinit Phyſicus.* Ita reliquæ ſcientiæ dicuntur ſubalternari Metaphyſicæ, quia ſi principia illarum negaveris, deducéris ad impoſſibile per Metaphyſicæ principia; cujuſmodi eſt iſtud: *impoſſibile eſt rem eandem ſimul eſſe, & non eſſe.*

CAP. IV. *Quomodo acquirantur ſcientiæ.*

PLato, multique ex antiquis putarunt animas fuiſſe creatas ante corpora, jam ab ipſo mundi exordio; ſcientiiſque omnibus tanquam naturalibus quibuſdam dotibus tum inſtructas: dum autem infunduntur in corpora, oblivıſci rerum omnium: ſed poſtea tamen ſi laborem ac ſtudium, magiſtrorumque artem veluti obſtetriciam adhibuerint, eorum quæ oblitæ ſint recordari: & ſic denuò per ſolam ejuſmodi *reminiſcentiam* fieri ſcientes. Sed

Dico I. Falſam penitus eſſe illam doctrinam: quia nititur principiis contrariis Chriſtianæ fidei; quatenus ſupponit animas, priuſquam in corpora infundantur, ipſóque mundi ab initio creatas fuiſſe. Neque verò etiam rerum omnium obliviſcerentur, ob unionem cum corpore, ſiquidem illa unio tantopere eſt animæ naturalis, & conſequenter tantam animæ noſtræ perfectionem non deſtrueret.

Ob-

Objic. 1. Pueri nondum edocti, bene tamen reſpondent de multis, ſi interrogentur: quod fieri non poſſet, niſi rerum illarum notitiam à natura impreſſam haberent. ℞. De iis tantùm rebus reſpondere, quarum ſpecies hauſerunt à ſenſibus, & quas experimento didicerunt.

Ob. 2. Quæ diſcimus, ea vel ſunt nobis ignota, vel naturaliter nota; juxta ſententiam Platonis: ſi ſunt ignota, nullo modo poterit eorum cognitio haberi: Perinde enim eſt, inquiunt, ac ſi aliquis ſervum fugitivum quæſierit, cujus ſpeciem in animo nullam habeat, illum non cognoſcet, etiam cum occurrerit. Ita à pari. ℞. 1. Tunc opus eſſe ut habeantur ſigna, unde cognoſcatur ille ſervus. ℞. 2. Res ſcientificas nobis ſaltem virtualiter eſſe cognitas in primis principiis, quæ naturæ ipſo lumine nobis manifeſta ſunt.

Inſt. Vulgò aſſignantur duo illi modi acquirendæ ſcientiæ: primò, inventio per ſenſum, & experientiam. Secundò, per doctrinam, & diſciplinam; id eſt, quatenus rerum cognitiones traduntur nobis à doctoribus; (ſic enim vocantur *doctrinæ*: tum enim dicuntur *diſciplinæ*, quatenus accipiuntur à diſcipulis, qui diſciplinabiles & dociles ideo nuncupantur, cum illis percipiendis ſunt idonei.) At neuter ex illis modis eſt ſufficiens ad ingenerandam nobis ſcientiam; unde ſupereſt, ut illam habeamus à natura inſitam.

Prob. min. primò, quia nihil niſi materiale poteſt à nobis cognoſci per ſenſum, & experientiam; cùm tamen habeamus ſcientiam de Deo, & Angelis. 2. Explicari non poteſt quomodo vox magiſtri formet in nobis rerum cognitionem. Solvenda eſt utraque hæc difficultas. Quare

Dico

Dico II. Ex iis quæ ſenſu percipimus, inducimur facilè ut judicemus de rerum ipſarum natura. Tum ex materialibus quoque per ratiocinationem aſſurgimus ad cognitionem rerum immaterialium; ut explicatur in Metaphyſica de Deo, &c.

Notandumque eſt, hæc vulgò numerari ſciendi inſtrumenta, ſeu modos quibus rei cujuſpiam cognitionem aſſequamur. Primò eſt argumentatio; unde inferatur unum ex alio, vel ex aliis per experientiam obſervatis. Tum præterea eſt methodus, definitio & diviſio. Methodus, eſt certus ordo procedendi unde faciliùs & clariùs obtineatur rei ſcientia. Diviſionis, ac Definitionis naturam & proprietates jam explicui *diſput*. 3. *c*. 8.

Notandumque eſt, definitionem dici inſtrumentum ſciendi, quia rei naturam explicat. Sic autem etiam diviſio eſt ſciendi inſtrumentum; quia nos quoque ad rei cognitionem diſponit. Ita enim *v. g.* dividendo *ens* in ſubſtantiam & accidens, tum ſingula genera ſubſtantiæ ſubordinata, eorumque differentias conſiderando, infertur tandem *hominem eſſe animal rationale.* At

Not. 3. Ex illis ſciendi inſtrumentis, alia quidem dici per ſe notificantia: quia de ſe vim habent notificandi illud quod per ſe ignotum eſt. Alia autem ſunt tantùm ad perfectam illam rei cognitionem diſponentia.

Suppono autem ignotum per ſe, illud dici, quod non eſt propoſitio per ſe, ſeu ex ipſis terminis nota, qualem expoſui *diſput. ſuperiori*, *cap*. 6. neque obtinetur tandem à nobis illius cognitio, niſi per diſcurſum ex principio per ſe noto, cum quo habeat connexionem neceſſariam. Quare

Not.

Not. 4. Rem per ſe ignotam notificare convenit propriè argumentatione, quæ ſic infert ignotum ex noto. Item ex omni argumentationum genere, ſolus ſyllogiſmus hanc per ſe vim habet, quia ſolus per ſe,& neceſſariò concludit; ſolus enim perfectè continet Dictum aut *de omni*, aut *de nullo*: debentque idcirco ad ſyllogiſmum revocari aliæ ſpecies argumentationum, ut efficaciter concludatur. Iam verò

Dico III. Doctor in animo diſcipuli ſcientiam generat, mediatè ſaltem, quatenus excitat illius phantaſmata,unde & ſimiles cum doctore conceptus, ſeu notiones ipſe diſcipulus formet in ſuo intellectu.

Notandumque eſt, varios olim in uſu fuiſſe modos tradendi ſcientias. Primò enim celebris fuit Ægyptiorum induſtria, qui ſymbolis quibuſdam, ſeu hieroglyphis, arcana ſuæ philoſophiæ occultabant. Huc accedunt Pythagoræorum, & Platonicorum numeri, item & Magia Perſarum,quam poſtea ob malas artes infamem reddiderunt: Item celebris quoque fuit Hebræorum ſchola, quam Cabalam vocabant, in qua ſua dogmata non ſcripto, ſed voce tantùm clam tradebant. Sed malè audierunt exoticæ omnes illæ diſciplinæ; fuitque tandem ab omnibus recepta Peripateticorum Philoſophia, quòd maximè omnium ſit plana & expedita, minúſque erroribus obnoxia.

CAP. V. *Scientiæ oppoſitio cum aliis cognitionum generibus.*

DIco I. De eodem objecto, ex eodem medio,ſeu motivo,non poteſt ſimul eſſe ſcientiæ,opinionis, & fidei actus. Prob. Quia ratio eadem non poteſt ſimul generare evidentiam,

& obſcuritatem; nec poteſt eſſe principium, unde evidenter judicem rem aliter eſſe non poſſe; tum unde ſimul quoque judicare poſſim contrarium. At

Dico II. Actus opinionis, & fidei humanæ ſimul eſſe poteſt cum actu formalis dubii, quo judicem rem aliter eſſe poſſe. Prob. Quia non pugnant inter ſe. Quin potiùs opinio ideo dicitur radicaliter dubia, quia cùm nitatur ſolùm diſcurſu probabili, intellectus reflectens ſeſe ad debilitatem illius motivi, facilè poteſt judicare rem aliter eſſe poſſe, & ſic fieri poſitivè incertus, ſeu formaliter dubius.

Dico III. Actus ſcientiæ non poteſt ſimul eſſe cum actu opinionis cui ſit adjuncta dubitatio actualis; quam & formalem appellant. Prob. Quia ſciens judicat rem aliter eſſe non poſſe; qui verò opinatur cum dubitatione, ſic judicat rem aliter eſſe poſſe; atqui hæc repugnant. Prob. min. Quia intellectus ſic haberet ſimul aſſenſum & diſſenſum; ſeu affirmationem, & negationem reſpectu ejuſdem. Hoc autem fieri non poteſt. Nam intellectus non poteſt ſibi perſuadere contradictoria, nempe judicare illud eſſe verum, quod apparet falſum. Ita paſſim Ariſt. Conf. Quia veritas eſt proprium objectum aſſenſus; ergo ſi quæ res apparet falſa, illi aſſentiri non poteſt; alioquin ferretur extra proprium objectum. Atqui ubi eſt dubitatio formalis, res apparet probabiliter ſaltem falſa, &c.

Not. 1. dubitationem, & incertitudinem poſitivam eſſe idem; neque hîc eſſe mentionem niſi de incertitudine, aut certitudine formali, ſeu actuali; non autem de objectiva, & radicali.

Not. 2. Tunc eum qui opinatur fieri formaliter dubium, ubi propoſitionem probabilem enun-

enunciat cum modo contingentiæ; nec proinde ſimul poteſt tunc eſſe cum actu ſcientiæ.

Dico IV. Opinio de objecto incerto, ſeu contingenti; vel ut alii loquuntur, opinio incerta ex parte objecti, ſimul eſſe non poteſt cum actu ſcientiæ. Prob. Quia ſcientia non eſt niſi de objecto neceſſario; nam ſciens judicat rem aliter eſſe non poſſe.

Dico V. Opinionis actus de objecto neceſſario, ſi abeſt formalis, ſeu actualis dubitatio, poteſt ſimul eſſe cum actu ſcientiæ: quod pariter ſentiendum eſt de actu fidei. Prob. Quia illi actus nullo ex capite inter ſe repugnant, aut deſtruunt ſeſe. Tunc enim tantùm actus intellectus dicitur alium deſtruere, quando id negat, quod alter adſtruit: atqui hoc loco iſtud non contingit; ſupponimus enim utrumque actum de eodem objecto ſimul eſſe aut affirmativum; aut ſimul utrumque eſſe negativum ex diverſis motivis: nec pugnare inter ſe magis poſſunt, quàm majus, & minus lumen. Confirm. experientiâ: poſſum enim judicare animam humanam eſſe immortalem, tum ſcientificè per medium evidens & neceſſarium, tum ſimul probabiliter ex medio ſolùm probabili. Item hoc idem ſimul judicare poſſum ob teſtimonium Philoſophorum, qui eſt actus fidei humanæ; tum ob teſtimonium Divinum, qui eſt actus fidei Divinæ. Et verò, quidni fidelis credens exiſtentiam Divinam, demonſtrare illam certis rationibus poſſit? Certè Philoſophus ſciens demonſtrativè exiſtentiam Divinam, ejuſque attributa, ſaltem nonnulla, debet nihilominus exercere actum fidei Divinæ circa illa, cùm ad Deum convertitur, ut quidem præſcribit Apoſtolus *ad Hebr.* 11. Ergo ille actus non eſt in-

 com-

compoſſibilis cum actu ſcientiæ : alioqui teneretur ad impoſſibile.

Dico pariter VI. Nihil repugnare, ut quis per diverſa media rem eandem cognoſcat abſtractivè, ſimul & intuitivè. Prob. Quia illi actus inter ſe non pugnant. Quomodo aliquis poteſt per actum ſcientiæ aſtronomicæ, tum per actum fidei ex teſtimonio periti alterius aſtronomi repræſentare ſibi, & judicare Solis eclipſim eſſe actu præſentem, quam ſimul apertis oculis intueatur. Ita ex communi ſententia, Beati videntes Dei bonitatem, poſſunt ſimul credere illam bonitatem, quòd ipſe Deus dixerit ſe eſſe bonum. Quanquam fides non eſt connaturalis ſtatui beatifico, cùm ſit tantùm propria viatoris tendentis ad claram viſionem.

CAP. VI. *Solvuntur objectiones.*

OBjic. 1. Ex Ariſt. repugnant inter ſe actus ſcientiæ, & opinionis. ℟. Tunc Ariſtotelem agere de opinione, quæ eſt incerta ex parte objecti; aut quæ conjuncta eſt cum dubitatione actuali.

Inſt. Ex eodem Ariſt. opinio eſt via ad ſcientiam: ſimul autem non poſſunt eſſe via & terminus. ℟. Eſſe viam tantùm per accidens, quatenus qui opinatur, inducitur ad hoc ut velit ſcire.

Ob. 2. Sunt actus propriè oppoſiti *N.* Sunt contrariè oppoſiti. Ergo propriè oppoſiti *N. totum illud.*

Inſt. 1. Sub eodem genere, id eſt, ſub genere actus maximè diſtant ſcientia evidens, & opinio, aut fides obſcura. Ergo ſunt contrarii. ℟. To *illud diſtare maximè*, eſt non poſſe aliquid aſſignari quod æquè, aut magis pugnet cum alterutro ex contrariis. At error, & dubium magis

gis pugnant cum alterutro ex illis; quare, *Nego Ant. & Conſ.*

Inſt. 2. Dicunt negationem ſui invicem: Ergo ſunt contrarii. *Diſt. Ant.* Dicunt negationem ſui mutuò *excluſivam*. *N.* dicunt enim ſolùm *abſtrahentem*, quatenus unum non eſt aliud, nec unum infert, aut excludit aliud. Quo pacto ſe habent *v. g.* calor, & ſiccitas in igne.

Inſt. 3. Evidentia, & inevidentia habent mutuam ſui excluſionem : ergo, &c. *Diſt. Ant.* Quando ſupponuntur in eodem ſubjecto, ſeu in eodem actu, & ex eodem motivo. *C.* Si ex diverſis motivis. *N.*

Inſt. 4. Habent contrarios effectus formales: nam faciunt intellectum ſimul clarè, & obſcurè cognoſcentem. ℞. Non eſſe hîc contrarietatem, ſi actus illi ſint ex diverſis motivis. Ita oculus idem, ubi adhibetur ſpecillum ex diverſis faciebus, quarum aliqua ſit magis fuſca; percipiet ſimul idem objectum clarè, & obſcurè, quia ſic per ſpecies diverſas attingitur.

Inſt. 5. Intellectus ſimul eſſet certus per ſcientiam, & ſimul poſitivè incertus, ſeu dubius per opinionem; quod repugnat. ℞. Eſſet tantùm negativè incertus per opinionem; id eſt, non certus. Neque enim opinio ſecundùm ſe dicit poſitivam incertitudinem, aut dubium formale, cùm potiùs ſi ſola fuerit, permittat indifferenter vel certitudinem, aut incertitudinem; vel evidentiam, aut inevidentiam. ℞. Igitur fore non certum, quatenus ſubeſt actui opinionis; fore autem ſimul certum formaliter, atque evidentem, quatenus ſubeſt actui ſcientiæ.

Inſt. 6. Intellectus ſimul eſſet determinatus ad objectum per ſcientiam, & ſimul indeterminatus per opinionem. ℞. *N. Ant.* Sola enim

 dubi-

dubitatio relinquit intellectum indeterminatum; opinio verò eſt aſſenſus probabilis & determinatus, radicaliter tantùm incertus, & indeterminatus, ſeu dubius; ut ſupra explicui, non autem formaliter dubius. Quanquam notabis intellectum ex hypotheſi ſcientiæ conjunctæ cum actu opinionis non poſſe dubitare, etſi remotâ ſcientiâ, abſolutè poſſet dubitare cum actu opinionis.

Inſt. 7. Intellectus moveretur, ac determinaretur ad objectum modo perfectiſſimo per ſcientiam; ſimulque moveretur ac determinaretur imperfectè per actum opinionis. Atqui implicat, rem eandem ſimul moveri perfecto & imperfecto motu, &c. ℞. Sic poſſe moveri ſimul diverſo motus genere, rem aſſerendo ex motivo certo & evidenti; tum ſimul ex motivo ſolùm probabili, aut obſcuro.

Inſt. 8. Illi eſſent motus contrarii, nempe obſcurus, & evidens. Ergo ſimul moveretur motibus contrariis. *Nego Ant.* Quia ſunt motus ad idem, quanvis ex diverſo motivo.

Objic. 3. Fruſtra eſſet actus opinionis cum actu ſcientiæ; qui enim rem clarè videt, fruſtra illam credit, aut probabili argumento ſibi perſuadet. *Tr.* Ergo ſimul eſſe non poſſunt, N. *Conſ.* Quod enim ajunt naturam nihil facere fruſtra: verum eſt de natura agente per cauſas neceſſarias, & conſequenter determinatas ad unum; non autem de agente libero, quod poteſt multa ſupervacanea, & chimærica etiam, ſi lubet, facere pro ſuo arbitrio.

Inſt. 1. Intellectus eſt potentia naturalis agens neceſſariò, ergo cum determinatione ad unum, & non fruſtra. ℞. Intellectum tunc dici liberum, ut ſubeſt voluntati liberæ.

Inſt. 2. Ille actus opinionis cum actu ſcientiæ nullum haberet effectum formalem; quia non moveret intellectum. N. Nam videns lucem meridianam, poſſum nihilominus opinari & credere illud, ob teſtimonium alterius; quid enim repugnat? quanvis ſit inutile, nec magis intenſivè ex eo ſim certus de luce illâ meridianâ?

Atque hinc etiam colliges à fortiori remanere ſimul poſſe in intellectu habitus ſcientiæ, opinionis, & fidei de eodem objecto. Tum etiam habitus ſcientiæ, & erroris: quo tamen habitu erroris non poſſit intellectus in eo caſu uti judicativè, id eſt, judicando rem eſſe talem; ſed tantùm repræſentativè, nempe falſitatem illam ſibi repræſentando.

Ad majorem Dei gloriam.

PHILOSOPHIA

MORALIS.

Digitized by Google

MARIÆ DEIPARÆ
COELI ac TERRARVM
REGINÆ.

A TE *principium ducit noſtra hæc Moralis Philoſophia, ex quâ ille ortus eſt, qui rerum omnium eſt principium. Quis periclitari poterit, ubi Maria præſens favorem impendit, orbis utriuſque Regina & tutela? Quis in tenebris verſari, ubi Maria mundi Stella, & lucis æternæ Aurora lucet? Tu cæcis atque errantibus primam intelligentiam communicaſti; Tu Patris Immortalis Sapientiam ſpectabilem feciſti; quis niſi volens ac ſciens peccare poterit? hoc unum, Maria, averte peccatum, ne errare velimus, & neceſſariò ſapimus. Avertes autem,ô Diva, ſi facis ut ad te, quo decet animo, & quâ tu ipſa cupis confidentiâ accedamus. Accedimus Mater,& Parenti optimæ, non ſolùm Philoſophiam, ſed nos ipſos votum offerimus, ut quod primum eſt omnium votum, Potentiſſimæ Patronæ præſidium, Clementiſſimæ Dominæ favorem, Amantiſſimæ parentis amorem auferamus.*

PRÆ-

PRÆFATIO.

DE NATVRA, ET PARTIBVS Philoſophiæ Moralis.

LOGICAM meritò conſequitur Philoſophia moralis. Cui enim rei potiùs vim rationis per Logicam jam conformatæ, quàm moribus rectè inſtituendis, ſummóque hominis bono, ac fœlicitati inquirendæ accommodemus?

Hæc diſciplina trahit nomen à moribus, *de quibus diſputat. Mores autem ſunt actiones, aut habitus conſequentes ad eas actiones quæ ex advertentia rationis, & cum libertate exercentur, unde poſſimus mereri laudem, aut vituperium; præmium, aut pœnam, prout ſunt bonæ, vel malæ.* Mos *enim, Græcè* Ethos, *idem eſt, ac* conſuetudo. *Quanquam in plurali ſumitur pro illa ſolùm conſuetudine ex qua reputamur vel boni, vel mali. Quare eſſe bonis moribus ille dicitur, qui ſuas actiones rectæ rationi, & legi Divinæ conformare ſtudet; vocanturque etiam illæ actiones* humanæ, *quia ſunt ab homine ut homo eſt; nempe quatenus utens eſt ratione, & libero arbitrio; alioquin dicerentur actiones* hominis, *non humanæ, aut morales. At*

DICO I. *Philoſophia moralis, eſt facultas per quam verſamur circa ea quæ ſpectant ad mores.*

DICO II. *Perinde per proportionem hìc philoſophandum eſſe ac de Logicâ; ſicque eſſe admittendam duplicem Moralem; quarum altera dicatur ſpeculativa, & propriè ſcientia, de naturâ & proprietatibus, ſimul ac de fine humanorum actuum, totiuſque vitæ humanæ. Altera autem practica, de modo quo rectè exerceantur actus humani, ſeu mo-*

rales noſtri. Et verò cùm errare poſſimus in eligendo bono, & fugiendo malo: item cùm multa occurrant quæ finis ultimi proſecutionem impediunt; admittenda eſt illa facultas practica, unde voluntas in eligendo bono, & fugiendo malo dirigatur, viamque virtutis tutò teneamus.

Dico III. *Moralis hæc practica, idem eſt cum prudentiâ. Prob. Quia eadem utrique attribuuntur; nempe eſſe habitum electivum circa ea quæ ſunt homini bona, vel mala moraliter; unde vel bonus moraliter vel malus fiat. Nam Philoſophia moralis practica, perinde ac prudentia, dictat quid, & quomodo agendum ſit in ordine ad finem obtinendum; ſicque ex præceptis quibuſdam ordinat, dirigitque voluntatem noſtram ne aberret in eligendo. Quanquam*

Not. Prudentiam illam acquiſitam, ſeu philoſophiam moralem, non ſufficere ſolam ut quis rectè, & prudenter ubique agat, quantumcunque rerum omnium cognitione inſtructus ſit. Nam præcepta quæ traduntur ab iſta facultate, ſunt univerſalia, & de ſe indeterminata, unde hic & nunc pro variis circunſtantiis determinari, & applicari ad uſum debent per criterium, ſeu prudentiam naturalem, quam vulgò ſenſum communem, & judicium naturale appellant; quo deſtitutus homo, vix unquam bene utetur ſuâ philoſophiâ morali, aut prudentiæ acquiſitæ præceptis. Item ſcientia illa non ſufficit ut quis rectè agat. Nam ſi probitate animi deſtitutus ſit, videbit quidem meliora, probabitque, ſed deteriora ſequetur.

Not. 2. Habitum hunc prudentiæ, perinde ac cæteros habitus intellectuales practicos, ſimul eſſe docentem, & utentem, ut diximus de arte Logica. Sed

Not. 3. Philoſophiam moralem practicam, idem tantùm cenſeri cum prudentia quatenus docens eſt.

Vt

Vt enim quis exiſtimetur philoſophus moralis, ſufficit ſi calleat modum agendi, etſi pro ſua nequitia non habeat ejuſmodi prudentiam applicatam ad uſum.

Objic. *Philoſophia moralis verſatur circa univerſalia; prudentia autem eſt tantùm de particularibus: ergo non eſt idem cùm philoſophia morali.* ℞. ex 6. Eth. c. 8. *utrumque iſtud habere prudentiam. Nam quatenus eſt docens, verſatur circa univerſalia; at in uſu verſatur circa particularia.*

Inſt. 1. *Philoſophia moralis agit de prudentia; ergo non eſt idem ac prudentia, quia nulla facultas habet ſeipſam pro objecto.* Diſt. Ant. *moralis ſpeculativa agit de natura prudentiæ* C. *practica.* N.

Inſt. 2. *Sequeretur omnem philoſophum moralem eſſe prudentem, & conſequenter bonum; quia* ex Ariſt. *omnis prudens eſt bonus.* Diſt. *Prudens prudentiâ applicatâ ad uſum, eſt bonus.* C. *prudentiâ tantùm docente,* N.

Dico IV. *Philoſophiæ moralis tres ſunt partes, pro diverſo ſtatu in quo poteſt homo conſiderari; & pro diverſis ipſius officiis. Prima eſt quam monaſticam, id eſt, privatam, ſeu perſonalem, tum & propriè* Ethicam *appellant: hæc privati cujuſque mores, ſeu officium uniuſcujuſque erga ſeipſum ſpectat. Secunda, eſt Oeconomica; quæ familiæ, ſeu domeſticorum bono conſulit. Tertia denique, eſt Politica; quæ bonum commune Reipublicæ procurat. Iſque eſt ordo ſervandus inter diverſos illos ſtatus, ut inferiorum bona ſubordinentur ſuperioribus: nam bonum ſuperioris ſtatus, eſt bonum univerſalius, adeoque pluris faciendum. Quamobrem etiam illa omnia bono gloriæ Divinæ ita ſubordinari debent, ut ſatiùs ſit perire ipſum quoque reipub. aut regni ſtatum, quàm legem divinam, ſeu bonum gloriæ divinæ, vel leviter violari. Quæ doctrina eſt*

contra principia nefaria, & ſacrilega Machiavelliſtarum, qui res ſuas non religioni, aut conſcientiæ; ſed potiùs conſcientiam, & religionem rebus ſuis accommodant.

Notandumque eſt, ex Ariſt. 1. Eth. c. 3. *Illius quidem partis quæ Politica dicitur, juvenem non eſſe idoneum auditorem; ſed hîc agitur ferè tantùm de perſonali, ſeu privatâ; cujus ſtudio imprimis addictos eſſe juvenes decet, ut ab ipſis jam primis annis, vitæ ſuæ curſum rectè inſtituant. At*

Not. 2. Totam hanc philoſophiam quatuor partibus, ſeu tractatibus contineri. Primus eſt, de ſummo bono, ſeu de fine ultimo hominis, aut beatitudine. Nam in hoc rerum moralium genere, finis ultimus habet rationem primi principii; quòd ejus notitia, & amor debeat nos inducere ad agendum; habetque etiam rationem regulæ & menſuræ; ut vocant, quia noſtra omnis vivendi ratio debet illi commenſurari, hoc eſt, debet illi eſſe conformis.

Secunda pars, ſeu ſecundus tractatus agit de ipſis actibus humanis, ſeu moralibus, ut ſunt media, quibus illum finem aſſequimur.

Tertia pars eſt de paſſionibus humanis, quæ rem promovere, vel retardare poſſint.

Quartus denique tractatus eſt de virtutibus moralibus, per quas tum ipſis paſſionibus modum adhibeamus; tum actus virtutum facilè, & conſtanter exercere poſſimus, in ordine ad finem ultimum tandem obtinendum.

Quia verò Chriſtianis moribus accommodari decet noſtram hanc Moralem Philoſophiam, mirum non eſt ſi ea ſubinde hîc attingamus, quæ Ariſtotelem infra multùm relinquant.

METHODVS
ET
INSTITVTIO
PHILOSOPHIÆ MORALIS.

TRACTATVS PRIMVS
DE SVMMO BONO,
SEV
De fine ultimo, ac Beatitudine hominis.

DISPVTATIO I.
DE BONO.

CAP. I. *Natura, diviſio, & proprietates boni.*

CVM Beatitudo, ſeu finis ultimus noſter ſit bonum quoddam, ipſumque ſupremum bonum; non poteſt natura beatitudinis, aut finis ultimi explicari, niſi hanc præmiſero de naturâ boni diſſertatiunculam.

Dico igitur I. Bonum idem eſt ac perfectum; unde eadem utrique definitio convenit. Nempe *illud cui nihil deeſt.* Vel *quod habet omnia ad propriam perfectionem requiſita.* Seu, *Quod ſecun-*

dùm

dùm ſpeciem propriæ virtutis in nullo deficit. Sicque idem eſt bonus ac perfectus philoſophus, pictor, architectus. Sic etiam dicitur bonus latro, qui in eo genere eſt perfectus: & ſic de aliis. Ita paſſim Ariſt. Ita, D. Dionyſ. ait illud eſſe bonum *quod eſt ex integra cauſa*, id eſt, perfectum, & cui nihil deeſt; contrà autem, *malum ex quocunque defectu.* Vnde ex eo quòd res intelligitur eſſe perfecta in ſe, ſimul etiam intelligitur bona; nec aliud eſt rei bonitas, quàm ejus perfectio. Quare

Dico II. Contra Scotiſtas, ratio eſſentialiter boni conſtitutiva, non eſt relativa. Prob. Quia priùs eſt rem in ſe, & abſolutè perfectam eſſe, quàm intelligatur alteri conveniens, aut habere relationem ad aliud. Conf. Ex eo quòd Deus ſit eſſentialiter bonus, Item præterea, quòd ſit bonum conveniens creaturis; cùm tamen ad creaturas nullam habeat relationem; ut docetur *in metaphyſ.* Eo igitur modo res bona eſt, quo eſt ens: ſi eſt ens abſolutum, habet bonitatem abſolutam; ſin autem relativum, habet relativam.

Dico III. Multiplex eſt boni diviſio. Primò enim eſt *verum bonum*, quòd à parte rei verè eſt, & non tantùm ſecundùm apparentiam; alioquin dicitur *bonum apparens.* Item

2. Aliud eſt *bonum per eſſentiam*, quando res ex naturâ ſuâ bona eſt independenter ab alio; ut Deus. Contrà autem eſt bonum, cujus bonitas eſt ab alio dependens.

Atque huc revocatur diviſio boni in *ſupremum*, idemque *univerſale*; quod in ſe poſſibilem omnem bonitatem continet; ut, Deus. Cui opponitur *bonum per participationem*; quod aliquam tantùm bonitatem continet, eamque à ſupre-

ſupremo bono derivatam; quale eſt bonum omne creatum. Item

3. Bonum aliud eſt *tranſcendens*; aliud *morale*; aliud *naturale*. Tranſcendens eſt illud quod enti cuilibet convenit; de quo in metaphyſica. Bonum morale, eſt id quod eſt conforme rectæ rationi, mereturque laudem, aut præmium. Bonum naturale, eſt perfectio rei naturæ, & juxta exigentiam ipſius naturalem conſentanea: ut calor in igne; facultates vitales in vivente. Alioquin illud dicitur ſupernaturale, quod eſt à principio ſuperante vires totius naturæ, remque perficit ſupra illius exigentiam naturalem, in ordine ad finem ſupernaturalem.

4. Celebris eſt tripertita boni diviſio in *utile*, *jucundum*, *& honeſtum*. Vtile, eſt illud quod nobis prodeſt ad aſſecutionem alterius boni; ut divitiæ. Iucundum, ſeu delectabile, quod affert aliquam voluptatem, ſive animi, ſive corporis. Honeſtum, quod rectæ rationi eſt conforme; ideóque meretur laudem, &c. Item

5. Celebris quoque eſt illa diviſio boni in *extrinſecum*, & *intrinſecum*. Extrinſeca bona dicuntur illa, quæ ſunt extra nos, ut divitiæ, aliaque id genus fortunæ bona. Intrinſeca autem ſunt intra nos, cujuſmodi alia ſunt bona corporis, ut valetudo, robur, pulchritudo, &c. Alia autem ſunt animi bona, ut ſcientia, prudentia, ars, virtutes per quas agimus ſecundùm regulas rectæ rationis, ſive in ordine ad finem naturalem, ſive ad ſupernaturalem.

Notandumque eſt, bona animi differre ab aliis. Primò, quòd afferant nobis ſpecialem aliquam dignitatem, concilientque inprimis aliorum æſtimationem, & venerationem. 2. Hæc propriè noſtra ſunt, ſiquidem noſtrâ operâ & ſtudio

ſtudio comparantur, neque invitis nobis poſſunt eripi; ubi maximè agitur de bonis virtutum moralium, & earum merito; quarum etiam hæc vis eſt ſingularis, ut reddant nos ſimpliciter, id eſt, moraliter bonos, & ad veram hominis fœlicitatem diſponant.

Dico IV. Ex proprietatibus boni prima eſt quòd ſit communicativum, ſeu diffuſivum ſui. Ita D. Dionyſ. Prob. Inductione per omnia bonorum genera: ſic enim agentia quando perfecta ſunt, ſeſe aliis efficienter communicant, illa nimirum producendo; ut patet in plantis & animalibus: Vnde etiam quò res eſt melior perfectiorve, eò magis appetit communicare ſeſe. Ita viri docti alios efficiunt doctos; Ita viri ſancti tantopere appetunt alios reddere bonos: ideoque S. Leo *ſerm. de S. Laurentio* ait, *neminem bonum, ſibi ſoli eſſe bonum.* Ita S. Th. oſtendit fuiſſe convenientem incarnationem Verbi Divini, & Myſterium Euchariſtiæ, ut hoc pacto Deus qui ſummè eſt bonus, totum ſe creaturis communicaret. Qualis verò ſit communicatio Dei ad intrà ex infinita ipſius bonitate; explicatur in metaph. ubi de attributis Divinis.

Secunda boni proprietas eſt, eſſe conveniens; nullum enim eſt bonum, quod alicui non ſit conveniens. Vnde ſequitur tertia illius proprietas, quòd ſit appetibile. Et verò inquit Ariſt. *Bonum eſt illud quod omnia appetunt.* Eo nimirum ſenſu, quia nullum eſt bonum quod non ſit ab aliquo appetibile, tanquam ipſi conveniens. Cùm autem hîc opus ſit longiori explicatione; eſto

CAP.

CAP. II. *Boni appetibilitas.*

S*Vppono* Appetitum eſſe inclinationem, ſeu pondus rei in id quod ipſi conveniens eſt. Quanquam appetitus ſumitur, vel in actu primo, pro ipſa vi appetendi; vel in actu ſecundo pro ipſo actu appetitionis. Iam verò appetitus omnis, vel dicitur innatus, vel elicitus. Innatus nihil eſt aliud quàm naturalis propenſio uniuſcujuſque rei ad proprium bonum; convenitque tam rebus inanimatis, quàm viventibus: ſic enim lapis *v. g.* dicitur appetere inferiorem locum, &c. Appetitus elicitus vulgò dicitur eſſe actus per quem facultas appetitiva, quam etiam elicitivam appellant, fertur in bonum ex prævia cognitione. Duplexque eſt iſte appetitus elicitivus; alter, qui regitur cognitione ſenſitiva, & communis eſt brutis animantibus; ideóque vocatur appetitus ſenſitivus. Alter qui regitur cognitione intellectiva, ſeu rationali, communiſque eſt homini cum Angelo; & vocatur appetitus rationalis, tum voluntas libera. Atque his ſuppoſitis:

Dico I. Nihil appeti ullo modo poteſt, niſi vel bonum, vel ſub ratione boni; ſive illud ſit verè, ſive apparenter duntaxat bonum; ſive licitum, ſive illicitum. Prob. Quia nihil poteſt appeti, niſi quod eſt appetibile; ſiquidem potentia nulla fertur extra objectum ſuum: atqui bonum duntaxat eſt appetibile; nam illud ſolùm eſt appetibile quod eſt conveniens; hoc autem ſoli bono competit. Conf. Sicut enim objectum averſionis, ſeu fugæ, eſt malum; ita ex oppoſito proprium objectum appetitionis, ſeu proſecutionis, eſt bonum. Sic D. Dionyſ. cùm ait, *nemo intendens ad malum operatur.*

Objic.

Objic. 1. Ex *Geneſ.* 8. Hominis ſenſus ſunt proni ad malum *Diſt.* ad id quod eſt malum contrarium rationi, *C.* ſed illud idem eſt bonum jucundum ſenſui: & ſic appetitus non eſt ad malum; niſi materialiter; non autem ad malum formaliter, ſeu quatenus malum eſt, ita ut ratio mali moveat appetitum ad ſui proſecutionem.

Objic. 2. Voluntas noſtra libera eſt: ergo poteſt appetere tam malum, quàm bonum. *Diſt. Ant.* Libera eſt libertate contradictionis ad agere, aut non agere; ſeu ad amare, & non amare aliquod bonum, *C.* libertate contrarietatis ad amare, & odiſſe bonum, *N.* neque enim libera eſt ad impoſſibile, puta ad amare malum.

Inſt. Poſſumus appetere mortem, aut annihilationem; quemadmodum faciunt damnati; *C.* Ergo ſic poteſt appeti malum; nam in ſui annihilatione, nulla eſt ratio boni. *Diſt.* mors, aut annihilatio poteſt eſſe bonum, non quidem poſitivum, & in ſe abſolutè; ſed negativum, & quoad nos. Sic Ariſt. 5. Eth. c. 1. ait *minùs habere de malis, eſſe quodammodo bonum.*

Inſt. 2. Quod opponitur omni prorſus bono, non poteſt habere ullam rationem boni. Atqui talis eſt annihilatio ſui, quæ eſt privatio omnis boni. *Diſt.* Boni quoad ſe, & abſolutè. *Tranſ.* Quoad nos, & ſecundùm noſtram æſtimationem, *N.*

Inſt. 2. Sic intellectus judicaret annihilationem eſſe aliquod bonum: ergo ſic judicaret non ens eſſe aliquod ens, quod implicat. ℞. Sic judicaret tantùm eſſe bonum quoad nos, & non poſitivum.

Inſt. 4 Poteſt appeti peccatum quod opponitur omni bono, tam quoad ſe, quàm quoad nos;

nos ; quia privat nos ingenti bono. ℞. Quod eſt malum moraliter, & contra rationem, ſic poſſe eſſe bonum phyſicè, & ſecundùm ſenſum, unde ſub eâ ratione appetibile ſit, quamvis illegitimè.

Inſt. 5. Qui peccant ex purâ malitiâ, volunt peccatum, etiam ut peccatum eſt,& ut malum; alioqui non poſſet explicari quomodo differret à peccato fragilitatis. ℞. Peccare ex pura malitia eſt velle id quod malum eſt moraliter, ſeu potiùs quod eſt bonum illegitimum, quamvis nulla vehementior paſſio ad illud proſequendum impellat ; & ſic habetur diſcrimen à peccato fragilitatis.

Inſt. 6. Poſſumus velle inimico malum ut malum eſt, ſine ulla ratione boni : ergo ſic malum eſt appetibile. *Diſt.* Vt formaliter, & præcisè malum eſt. *N.* Vt affert nobis delectationem. *C.* Sicque dæmones gaudent de hominum damnatione. Quo loco notabis dictum D. Ioan. Damaſc. contra Manichæos : *Malorùm omnium principium & finem eſſe amorem boni ; quòd boni causâ, tam bona, quàm mala fiant.*

Objic. 3. Intellectus poteſt ſibi repræſentare tam verum, quàm falſum. *Tr.* Ergo à pari, voluntas tam poteſt ferri ad malum, quàm ad bonum, *N. parit.* Nam voluntas proſequens, aut fugiens, comparanda ſolùm eſt cum intellectu vel aſſentiente, vel diſſentiente ; at quomodo non poteſt intellectus aſſentiri falſo, ita per proportionem nec voluntas appetere malum.

Dico II. Vt voluntas non poteſt appetere malum ſub ratione mali ; ita nec poteſt averſari, ſeu odiſſe bonum ſub ratione boni. Prob. Quia ex oppoſito objectum proprium, & formale averſionis & fugæ eſt malum.

CAP.

CAP. III. *De Malo.*

DE malo philoſophandum eſt per oppoſitionem ad bonum, cujus eſt contrarium. Quare

Dico I. Malum abſolutè loquendo idem eſt ac imperfectum; ſeu quod non habet omnia requiſita ad propriam perfectionem. Ita quis judicatur eſſe malus orator, malus architectus; ita dicitur mala veſtis, mala domus, quæ ruinoſa eſt, &c. Sed

Dico II. Aliud eſt malum reſpectivè; quod quidem licèt reſpectu alterius ſit perfectivum, & bonum, ut calor reſpectu ignis; reſpectu tamen alterius eſt malum, & deſtructivum; puta calor idem reſpectu aquæ.

Notandumque eſt primò, ſic omne malum, vel privari, vel privare ſubjectum ſuum aliquâ perfectione debitâ, id eſt, quæ deberet inexiſtere. Ita enim oculus cœcus privatur perfectione ſibi debita; ita calor in aqua exiſtens ipſam privat ſuo frigore. Item

Not. 2. Aliud eſt malum privativum; aliud poſitivum. Malum privativum eſt privatio, ſeu carentia debitæ perfectionis. Vt cœcitas in oculo; mors in corpore animalis. At malum poſitivum illud eſt quod per aliquid poſitivum & reale conſtituitur in ratione mali.

Dico enim III. Datur aliquod poſitivè malum, etiam ſecundùm rationem formalem mali. Prob. Quia calor *v. g.* per ſuam poſitivam entitatem eſt contrarius aquæ: nec dolor ut ſic formaliter eſt quid malum animali, ex eo quòd dicat privationem voluptatis, ſiquidem hæc privatio poteſt eſſe abſque dolore: ergo dolor eſt poſitivè aliquid malum præcisè, & de

ſe,

ſe, non conſiderata privatione voluptatis. Item in communi ſententia, actus peccati ut ſic, qui committitur contra legem divinam, eſt poſitivè malus, habetque malitiam poſitivam. Prob. Quia poſitivè, & per ſuam realem entitatem repugnat legi Divinæ; cùm juxta D. Auguſt. ſit aliquid poſitivè factum, vel dictum, vel volitum contra illam legem; illique actus, ut poſitivi ſunt, directè & formaliter ſint prohibiti. Item, Ariſt. *c. de oppoſ.* docet bonum, & malum ut ſic, eſſe contraria; contrarietatem verò eſſe tantùm inter poſitiva, &c. Quare

Notabis quemadmodum ſint accipiendi SS. PP. cum ajunt peccatum eſſe nihil: tunc enim loquuntur vel de peccato habituali, ut ſumitur pro privatione gratiæ ſanctificantis; Vel agunt de peccato non formaliter, ſed tantùm cauſaliter, prout videlicet infert privationem gratiæ, aut privationem actus oppoſiti. Quomodo autem inde non ſequatur Deum fore cauſam peccati ut ſic, quatenus concurrit ad effectum omnem cauſæ creatæ, ſolet explicari in Phyſica.

Objic. Omne reale eſt ens, & bonum, adeóque appetibile. Ergo malum ut ſic nullum eſt reale. ℞. Ens ut ſic eſt bonum tranſcendentali bonitate entis, & abſolutè, quatenus habet perfectionem eſſentiæ, & exiſtentiæ: ſimul tamen poteſt eſſe malum moraliter; ut actus peccati; vel malum reſpectivè, puta calor reſpectu aquæ.

Dico IV. Malum omne vulgò dividitur in triplex iſtud genus. 1. Eſt malum naturale, ſeu malum naturæ, quando eſt aliquid contrarium naturæ, & ipſius deſtructivum; ut calor in aqua; cœcitas in oculo, mors animali illata. 2. Eſt malum morale, ſeu malum culpæ; ubi

ubi aliquid contrarium eſt rectæ rationi; & conſequenter meretur vituperium, & pœnam. 3. Eſt Malum pœnæ, quod videlicet infertur propter culpam; ſoletque etiam vocari ſupplicium. At reatus pœnæ, unde quis dicatur reus, in eo eſt tantùm qui ex propria culpa contraxit obligationem ad ſubeundam pœnam: & ſic reatus eſt debitum morale ad ſubeundam pœnam ortum ex propria culpa. Alioquin ſi quis pro altero debeat ſubire pœnam, non ideo dicitur reus.

DISPVTATIO II.

DE FINE.

CAP. I. *Natura, diviſiones, & proprietates finis.*

Dico I. *Ex 2. Phyſ.* Finis eſt id cujus gratia aliquid fit, & ad quod tendit ipſa agentis operatio: quomodo ſanitas dicitur finis medicinæ. Quæ autem fiunt in ordine ad finem obtinendum, vocantur media. Item, dicuntur eligi & ſuſcipi media ex intentione finis; quamobrem *finis*, ut vulgò ajunt, *prior eſt intentione, poſterior verò in executione.* Contra autem, *media priora ſunt executione, & poſteriora intentione.* At quemadmodum iſta cauſent, explicatur in Phyſica.

Dico II. Multiplex eſt diviſio finis. Primò enim eſt *finis cujus gratiâ*; tum *finis cui.* Finis cujus gratiâ, eſt id quod intenditur per media obtinendum; ut ſanitas per medicinam. Finis cui; eſt homo ſanandus.

Item alius eſt finis proſecutionis, qui eſt bonum aliquod appetibile. Alius eſt finis averſionis,

nis, ſeu fugæ; videlicet malum propter quod effugiendum eliguntur media idonea.

Item alius eſt finis operis, alius autem finis operantis. Finis operis, eſt is ad quem opus per ſe, & ex natura ſua tendit: ſic finis ædificationis eſt domus. Finis operantis, qui & moralis, ille eſt quem operans pro ſuo libito intendit; ut ſi quis ædificet, vel lucri, vel gloriæ cauſa.

Item alius eſt finis immediatus, qui proximè, & nullo mediante; alius eſt remotus & mediatus, qui alio mediante obtinetur.

Item alius eſt finis non ultimus, qui ad ulteriorem alium finem ordinatur: alius verò è contra eſt ultimus, qui ad ulteriorem alium non ordinatur; ſeu qui propter ſe tantùm appetitur, cætera autem propter illum.

At finis ultimus alius eſt ex natura rei, & per ſe, ad quod cætera omnia referuntur ex natura rei, poſſibilemque omnem appetibilitatem continet, unde ultra nihil poſſit appeti; idemque eſt ac ſupremum bonum; quod ſoli Deo competit. Alius eſt finis ultimus per accidens, ubi quis bonum aliquod creatum ſibi præſtituit, tanquam bonum ſupremum, omniáque ad illud refert: quomodo avarus pecunias, tanquam ultimum finem proſequitur.

Item alius dicitur finis ultimus totalis, qui ſolùm propter ſe appetitur, cætera autem omnia propter ipſum; ſicque omnem ſatiat appetitum. At finis ultimus partialis ille eſt, qui cum alio, vel aliis totalem aliquem conſtituat. Vnde ſequitur implicare in ipſis terminis, ut quis ſimul duos pluresve ultimos fines totales intendat. Eſto enim *A* finis ultimus totalis, tum præterea & *B*: hic ſimul eſſet totalis ex hypotheſi, omnemque ſatiaret appeti-

tum, ita ut nihil ſupereſſet ipſi appetibile. Aliunde verò ſimul non eſſet ultimus totalis. Quia præterea ſupponeretur alius finis ultimus totalis *A*, qui aliam ſibi propriam haberet appetibilitatem; quæ poſſet priori accedere: ergo eſſet, & ſimul non eſſet finis ultimus totalis: quod implicat. Ergo potius dicendum eſt in eo caſu fore duos partiales ultimos, qui ſimul unum totalem conſtituerent.

Dico III. Finis etiam proſecutionis ut ſic, non idem eſt ac bonum ut ſic; vel ſi lubet, finis & bonum non reciprocantur. Prob. Quia omne quod habet rationem boni, non habet rationem finis; ſiquidem medium habet bonitatem utilitatis ſibi propriam, appetibilem duntaxat in ordine ad finem, ſicque illi opponitur: nam finis ut ſic, habet bonitatem propter ſe appetibilem. Quanquam

Dico IV. Nihil eſt propriè & ſimpliciter finis, niſi quod bonum eſt, & objectum proſecutionis. Prob. Quia finis propriè & ſimpliciter eſt illud quod eſt terminus ultimus volitionis noſtræ omnis. Atqui hoc ſolùm competit bono. Nam per fugam non evito malum, niſi quatenus oppoſitum eſt bono quod amo; neque ulla eſt averſio à malo, quæ conſequenter non ſit converſio ad bonum. Confirmatur. Quia non fugimus malum, niſi quatenus volumus ejus carentiam, quæ carentia mali, habet aliquam rationem boni, ſaltem quoad æſtimationem noſtram. Ergo ſic *bonum* eſt ſimpliciter finis, & terminus ultimus volitionis noſtræ.

CAP.

CAP. II. *Quemadmodum res omnes agant propter finem.*

C*Auſalitatem* finis in rebus, unde ſcilicet intelligantur res agere propter finem, olim negavere impii non pauci, qui omnia vel caſu, vel fortuitò contingere aſſerebant. At

Dico I. Deus agit propter finem, quotieſcunque ad extra operatur. Prob. Quia non agit niſi maxima ex ſapientia: ergo non temerè, & fortuitò. Ergo certum in finem. Quæ fuſiùs explicabuntur in metaphyſ. ubi de providentia Dei, aliiſque ipſius attributis.

Notabis autem actus immanentes, nempe actus intelligendi & volendi qui ſunt in Deo, non eſſe formaliter propter finem. Quod enim fit propter finem, eſt aliquid propriè cauſatum in ordine ad aliud, tanquam ad finem. At ipſa *v.g.* intellectio Divina non eſt aliquid cauſatum à Deo, cum illa ſit Deus ipſe; nec refertur ad Deum, cum idem ad ſeipſum non ordinetur. Item

Not. 2. Finem illum propter quem Deus agit, non poſſe illi eſſe aliquid intrinſecum; neque enim agit propter aliquod bonum ſui intrinſecè perfectivum, quia eſt infinitè perfectus; neque illi quidquam ejuſmodi perfectionis poteſt accidere. Quare

Not. 3 Deum agere propter finem, quatenus res eas quas producit, ordinat varios in fines, ac maximè ad gloriam ſuam. Sed

Not. 4. Gloriam illam ſumi duobus modis. Primò enim eſt gloria formalis, quæ definiri ſolet, cognitio Divinarum perfectionum, unde ipſum Deum laudemus, veneremur, amemus. Secundò eſt gloria objectiva, ſeu objectivè

ſumpta, illæ nimirum perfectiones Divinæ, quas cognoſcamus, laudemus, &c. Item,

Not. 5. Gloriam ejuſmodi aliam eſſe Deo intrinſecam, & eſſentialem; nempe cognitionem illam qua ſeipſum comprehendit, & eum amorem quo ſe amat. At præterea alia eſt extrinſeca, tum objectiva, tum formalis. Extrinſeca objectiva, ſunt illæ omnes perfectiones quas communicavit creaturis Extrinſeca formalis eſt cognitio per quam Divinas perfectiones, vel in ipſo Deo exiſtentes, vel in creaturis ab ipſo participatas recognoſcimus, eámque ob cauſam illum laudamus, amamus, colimus; quod etiam idem eſt ac ſervire Deo, legem ipſius ſervando, &c. ſicque omnia propter bonum gloriæ ſuæ Deus condidit; ut poſtea iterum explicabo.

Dico II. Homo, & à fortiori Angelus agunt propter finem. Prob. Nam ipſi in nobis experimur quemadmodum in agendis rebus determinemus finem, tum etiam eligamus media in ordine ad illum obtinendum. Item

Dico III. Agentia naturalia agunt etiam propter finem. Prob. Quia determinata ſunt ad unum, & eodem ſemper modo agunt; ut conſideranti manifeſtum eſt. Ergo non agunt caſu, & fortuitò: ergo certum in finem: quæ enim caſu fiunt, non ſemper fiunt, aut eodem ſemper modo fiunt.

Notandumque eſt conſequenter, ex rebus iis quæ agunt propter finem, alias eſſe intelligentes, & libera voluntate præditas, ut Deum, Angelum, & hominem: alias dici naturales, tum quæ in appetendo finem & bonum ſibi proprium reguntur ſola cognitione ſenſitiva, ut brutæ animantes: tum quæ deſtituuntur omni cognitione, ut res inanimatæ.

Dico

Dico autem IV. Agentia intellectualia agunt propter finem, ipſum intendendo. Prob. Quia propriè loquendo finem intendere, eſt determinare ſibi finem, ſeu dirigere ſeſe ad finem ut finem; id eſt, ad finem cognitum ſub ratione finis; tum media eligere in ordine ad illum finem. Atqui hoc præſtant agentia intellectualia; habentque omnia ad id requiſita, nempe cognitionem reflexivam ad bonitatem finis ut ſibi convenientis; tum ad proportionem quam habent media ad ipſum obtinendum; deinde habent libertatem, unde ad illa ſeſe determinent. At

Not. Poſſe aliquid intendi variis modis. 1. Formaliter, ſeu expreſsè & explicitè; quando agens cogitat actu de illo fine propter quem operatur. 2. Implicitè, & virtualiter: quando ad finem illum non advertens, tamen ex vi, ſeu in virtute intentionis formalis & explicitæ quam habuit, agit id quod agit; alii vocant intentionem iſtam *interpretativam*. 3. Denique alia dicitur intentio habitualis; eſtque diſpoſitio aliqua in nobis, unde quæ agimus referremus ad certum finem, ſi cogitatio illius recurreret.

Dico V. Agentia naturalia agunt quidem propter finem, ad ipſum tendendo, ſed non propriè intendendo. Quia nec ſibi illum determinant, defectu libertatis; neque ad illum tendunt ut finem formaliter, id eſt, cognitum ſub ratione finis, cum ordine mediorum ad ipſum obtinendum. Prob. Quia brutæ animantes non habent cognitionem reflexivam ad bonum ut ſibi conveniens, nec mediorum utilitatem percipiunt, illa comparando cum fine. Quare

Notandum eſt, agentia naturalia non ſe diri-

gere ad finem, ſed potiùs ad illum dirigi, & determinari à Deo : ſicque etiam res inanimatæ agunt propter finem cognitum, non quidem ſibi, ſed Deo dirigenti; quomodo ſagitta dirigitur in finem, ſeu ſcopum, non quidem ſagittæ ipſi cognitum, ſed ſagittario. Quanquam

Not. 2. Agentia naturalia dirigi in finem, per virtutem aliquam ſibi naturalem, cujus beneficio ad ipſum finem tendant. Sic enim ignis *v. g.* ſurſum tendit per levitatem ſibi à natura inſitam. At brutæ animantes habent inſtinctum ſibi quoque à natura impreſſum, unde ad finem proprium tendant : ille autem inſtinctus, eſt cognitio boni convenientis, cum inclinatione ac determinatione naturali ad ipſum proſequendum.

CAP. III. *De ultimo rerum omnium fine.*

DIco I. Creaturarum omnium finis per ſe, & ex natura rei ultimus eſt Deus. Prob. Ex Apoc. 1. *Ego ſum α & ω, principium & finis.* Confir. ratione. Quia ſolus habet conditiones requiſitas ad finem ultimum per ſe, & ex natura rei. Primò enim ſolus eſt bonum propter ſe, & ultimò appetibile; cùm ſit ſupremum bonum. Secundò conſequenter, omnes alii fines illi ſubordinari debent. 3. Denique ſolus poteſt ſatiare hominis appetitum, ut poſtea oſtendam. Conf. 2. Quia nullus poteſt alius aſſignari finis per ſe ultimus hominis, nec debet hîc admitti proceſſus in infinitum; alioqui fruſtra eſſet ille appetitus, qui finem in quo quieſceret, nunquam poſſet adipiſci.

Objic. Si Deus ex natura ſua eſt finis ultimus per ſe, & ſupremum bonum, ad quod cætera ordinari debent; non poſſet unquam licitè

appeti

appeti ſub ratione medii, ſeu in ordine ad aliud. Atqui falſum eſt illud conſequens: poteſt enim quis licitè amare Deum, & de ejus exiſtentia gaudere, quatenus eſt cauſa noſtri productiva. ℞. Sic *per accidens* tantùm Deum amari ſub ratione utilis, non autem per ſe.

Dico II. In ipſum Deum virtualiter ſaltem, atque implicitè fertur omnis humana appetitio, per quam beati fieri volumus, qualecunque tandem bonum proſequendo. Prob. Quia nihil appetimus niſi in virtute illius inſtinctus naturalis quo volumus eſſe beati quàm perfectiſſimè, & conſequenter quo volumus bonum illud, cujus poſſeſſione poſſimus eſſe perfectè beati. Atqui bonum illud aliud nullum eſt quàm ſupremum, nempe Deus, ut poſtea oſtendam. Vnde ſequitur, ſic à nobis virtualiter appeti Deum, qualecunque tandem bonum appetamus. Item, ut inquit Suares *in metaph. diſp.* 24. *ſ.* 2. *cum D. Thom. & D. Auguſt. quos citat.* Cùm bonum omne creatum ſit participatio quædam boni increati, à quo efficienter derivatur; qui in bonum illud creatum tendit, cenſetur quoque virtualiter ſaltem, & bonum increatum appetere.

Objic. Dum appetis *v. g.* pomum, in eo ſiſtit appetitio, neque aliud quidquam intendis appetere: ergo illud tantùm appetis. *Diſt.* Illud tantùm appetis formaliter, & explicitè *C.* virtualiter, & implicitè, *N.*

Inſt. 1. Nequidem tunc cogitas Deum, aut ſummum bonum; imò fieri poteſt ut ne quidem cognoſcas. *Diſt.* Poteſt tunc non cogitari, aut etiam non cognoſci diſtinctè, & explicitè *C.* At confusè, & implicitè apprehendis aliquod bonum quo ſatiari poſſit tuus appeti-

tus, illudque eſt ſupremum bonum; & conſequenter Deus.

Inſt. 2. Sequeretur appetitionem omnem noſtram eſſe moraliter bonam, quia ſic tenderet ad Deum virtualiter. ℞. Nego appetitionem eam eſſe moraliter bonam quæ tendit ad Deum, niſi debito modo ad illum tendat, ut dicetur in ſequenti Tractatu. Item illa virtualis appetitio Dei eſt indeliberata, & neceſſaria, ex naturali inſtinctu; non autem nobis libera, unde non poteſt contrahere ullam bonitatem moralem.

Inſt. 3. Fieri poteſt ut noſtra appetitio ſit peccaminoſa, puta ſi fuerit de bono illicito. *C.* Ergo non habebit tendentiam ad Deum. *Diſt.* tendentiam formalem, & moralem. *C.* virtualem, & phyſicam *N.*

Inſt. 4. Simul eſſet averſiva à Deo, quia ſupponitur eſſe peccaminoſa; ſimulque eſſet converſiva ad Deum; quod implicat. ℞. Eſſet averſiva moraliter, & demeritoriè à Deo; ſimulque ad Deum virtualiter phyſicè converſiva; quod non implicat.

Dico III. Agentia naturalia, etiam cognitione deſtituta agunt propter finem qui ultimus eſt per ſe, id eſt propter Deum. Prob. Quia omnia ſerviunt gloriæ Divinæ, quatenus Divinas perfectiones in ſe relucentes nobis repræſentant, unde ad cognoſcendas, amandaſque ipſas excitemur: hucque refertur illud Davidicum, *Cœli enarrant gloriam Dei.* Conf. Quia nullus eſt rei creatæ effectus, qui ſimul à Deo ut causâ univerſali non procedat: ergo nullus eſt effectus, qui non fiat propter Deum, quantùm eſt ex parte Dei. Nam

Dico IV. Ex 16. Proverb. *Omnia propter ſemetipſum operatus eſt Dominus.* Hoc eſt propter

glo-

gloriam ſuam. Sic enim primò, res univerſæ Deum glorificant objectivè, ut ſupra explicui, bonitatem & potentiam illius in ſui creatione; ſapientiam in ordinatione, & gubernatione; tum alias perfectiones nobis manifeſtando; unde, quemadmodum jam inſinuabam, illum cognoſcamus, & quo decet cultu proſequamur; quæ eſt formalis Dei glorificatio. Atque ita mundum propter hominem conditum eſſe oportuit, ut per hominem Dei gloriæ ſerviret, ac totus in Deum refunderetur.

DISPVTATIO III.

DE BEATITVDINE HVMANA.

CAP. I. *Quæ præſupponi debent de variis naturæ humanæ ſtatibus.*

S*Tatus* hoc loco ſumitur pro certa vivendi conditione, in qua homines ſecundùm ordinem Divinæ providentiæ, aut fuerunt conſtituti, aut conſtitui potuerunt. Vt autem hîc prætermittam agere de *ſtatu viæ*, qui tunc intelligitur exiſtere, quando creatura rationalis tendit ad poſſeſſionem finis ultimi, qui dicitur *ſtatus patriæ*, qualem habent Beati in cœlo; ad cæteros pergo cum Suare, *Prolegomeno* 4. aliiſque melioris notæ Theologis. Hi autem ſtatus vulgò numerari ſolent, primò, ſtatus puræ naturæ, qui licet extiterit nunquam, ſaltem poſſibilis eſſe ſupponitur; eſtque imprimis neceſſaria illius cognitio ad cæterorum intelligentiam. Tum ſequitur ſtatus naturæ integræ; ac deinde ſtatus juſtitiæ originalis; ac tandem ſtatus naturæ lapſæ, ejuſque poſtmodum per Chriſtum reparatæ.

Dico igitur I. Status puræ omnino naturæ ille eſt, in quo præter perfectionem eſſentialem, & facultates naturales cum Dei concurſu, & providentia illi connaturaliter debita, nihil habeat naturæ ſuperadditum, nec peccatum, aut quid conſequens ad peccatum; nec perfectionem aliquam naturæ indebitam; ac proinde non habeat niſi finem naturalem, nec media niſi in ordine ad beatitudinem naturalem.

Notandumque eſt conſequenter, in illo ſtatu non reperiri perfectam concupiſcentiæ, ut vocant, id eſt, appetitus ſenſitivi ſubjectionem ad rationalem; ſed exiſtere potiùs inter utrumque illum pugnam naturalem, quam & *peccati fomitem* appellant; unde oritur tanta difficultas ad bene operandum, dum uniuſ appetitus propenſio, propenſionem alterius impedit, &c. quæ poſtea explicaturus ſum, tunc maximè ubi agetur de natura paſſionum humanarum in communi. *Tract.* 3. *Diſp.* 1. *cap.*1. 2. & 3. Quem locum ſi modò accuratè conſulueris, magnam tibi in hoc negotio lucem afferet. At

Dico II. Status naturæ integræ ille eſt, in quo ultra omnes naturales facultates, habet homo quandam ſpecialem perfectionem, quæ conſiſtit in carentia fomitis, & effrenatæ concupiſcentiæ; ſeu in perfecta ſubjectione appetitus ſenſitivi ad rationalem, ita ut inferior contra ſuperiorem moveri, aut rationem prævenire non permittatur. Alioquin cum ex diſſidio illius duplicis appetitus natura humana difficultatem, & repugnantiam ad bene operandum patiatur maximam, ſi pax acceſſerit, & concordia, tunc cenſetur quaſi *integrari*, id eſt, ita perfici, ut rectè & convenienter, non autem quaſi claudicando in moribus progredi poſſit. Ac proinde

inde vox illa *integritatis* viſa eſt idonea ad iſtiuſmodi perfectionem ſignificandam.

Dico III. His accedit ſtatus innocentiæ & juſtitiæ originalis, in quo ſunt conditi primi parentes; qui juxta communem Theologorum doctrinam, præter naturæ integritatem includit primò gratiam ſanctificantem, quam vulgò ſacræ literæ *juſtitiam* appellant, quia maximè conſtituit hominem rectum in ordine ad Deum. Item hic ſtatus continet immunitatem erroris in intellectu, tum corporis immortalitatem, cum immunitate ab aliis corporis pravis affectibus.

Notandumque eſt vulgò à Theologis cum D. Thoma appellari hunc per excellentiam *ſtatum naturæ integræ*, quia maximè integritatem naturæ, de qua jam ajebamus, continet, & quidem modo præſtantiori. Item vocatur ſtatus juſtitiæ originalis, quia ſanctitatem illam cum aliis quæ jam enumerabantur donis acceperunt primi parentes, quam ad poſteros per originem, id eſt per generationem naturalem à ſe propagandos transfunderent, niſi peccatum obſtitiſſet.

Notabis enim 2. In communi etiam Theologorum doctrinâ, Adamum fuiſſe totius naturæ humanæ caput, non modò phyſicum à quo cæteri homines per naturalem generationem procederent; ſed etiam & caput morale, quatenus Deus pro ſuo ſupremo dominio, noſtrum omnium voluntates in ipſius voluntate moraliter univit, ipſumque conſtituit tanquam caput ſub quo cæteri homines, veluti membra quædam corpus unum morale conſtituerent; ſicque ipſe Adamus in perſona totius generis humani, quam ex Divinâ illâ ordinatio-

ne ſuſtinebat, pactum admiſit, ut ſi præceptum ſibi impoſitum ſervaret, juſtitiam originalem ad poſteros tranſmitteret; ſin illud violaret, in ipſo peccaremus omnes, & pœnam communem incurreremus; quod quidem poſtremum contigit. Sic enim ad Rom. 5. legimus, *per unum hominem peccatum intravit in mundum.* Item, *in omnes mors pertranſiit, in quo omnes peccarunt, &c.* Atque ita

Dico IV. Succeſſiſſe illum qui dicitur ſtatus naturæ lapſæ, ſeu per peccatum corruptæ. In quo lapſus Adami non tantùm fuit perſonalis, ſed potiùs capitalis, & totius naturæ humanæ, quià in illo fuit tanquam in capite totius naturæ ita conſtituto ex ſpeciali ordinatione Divina. Quamobrem ipſe cum poſteris orbatus fuit omnibus prærogativis quæ ſtatum innocentiæ illuſtrabant. Ac primus quidem, & immediatus illius peccati effectus fuit ſubtractio juſtitiæ originalis, quæ continebat non modò gratiam ſanctificantem in anima, cum virtutibus ſupernaturalibus illi annexis, ſed etiam & habitus in appetitu ſenſitivo qui illum rationali ſubjiciebant; tum immortalitatem in corpore, & immunitatem à morbis, ipſi humano corpori inditam per qualitatem aliquam ſupernaturalem, non tamen ſine externa Dei protectione. Sicque ut docet S. Th. 1. p. q. 85 a. 3. Sublatâ juſtitiâ originali quatuor hæc vulnera naturæ humanæ inflicta ſunt per peccatum Adami; primò, ignorantia intellectus; malitia in voluntate; concupiſcentia in appetitu concupiſcibili; infirmitas in iraſcibili; quibus accedit in corpore mortalitas, & pravi morborum affectus.

Nec dicas, iſtas eſſe imperfectiones naturales, quæ futuræ etiam fuiſſent in ſtatu puræ naturæ.

Ergo

Ergo non ſunt vulnera per peccatum. ℞. Cum Becano; ſunt quidem defectus iſti naturales, ſeu cum natura ipſa ex principiis ipſius intrinſecis conjuncti; ſed tamen per juſtitiam originalem fuerant ſublati; quia verò per peccatum Adami iterum revixerunt, ideo dicuntur effectus peccati. Sicque habes quemadmodum natura humana per peccatum Adami dicatur læſa, quomodo ex Tridentino ſeſſ. 5. *Totus homo ſecundùm corpus & animam ſit mutatus in deterius.* Item, *quomodo liberum arbitrium ſit viribus attenuatum, inclinatumque:* ut loquitur idem Trid.

Notabis enim ex Suare *Proleg.* 4. *de gratia.* Ex Bellarmino *lib. de gratia primi hominis c.* 5. Per peccatum non deſtrui ullo modo naturalia in homine; uti neque in Angelo. Quare ut ſcribit Bellarm. juxta communem Theologorum tam veterum, quàm recentiorum doctrinam; *Non magis differt ſtatus hominis poſt lapſum Adæ, à ſtatu ejuſdem in puris naturalibus, quàm differat homo ſpoliatus à nudo; neque magis infirmitate & ignorantia laborat, quàm eſſet, & laboraret in puris naturalibus. Proinde corruptio naturæ, non ex alicujus doni naturalis carentia, neque ex alicujus malæ qualitatis acceſſu, ſed ex ſola doni ſupernaturalis, ob Adæ peccatum, amiſſione profluxit.*

Cum igitur ajunt *naturam fuiſſe læſam, corruptam, depravatam; liberum arbitrium viribus eſſe attenuatum, &c.* Diſtinguendum eſt: debetque concedi fuiſſe quidem ſic læſam, & corruptam naturam quoad ſupernaturalia, quia ſublata difficultate, & repugnantia appetituum, & poſita gratia ſupernaturali, multa poterat quæ in ſtatu peccati non poteſt. Sed negandum eſt læſam fuiſſe, & vulneratam in iis naturalibus, quoad

ipſa naturalia; cùm eadem ſic præſtare poſſit, ac ſi foret in puris naturalibus conſtituta. Vide Becanum *In Summa*, *Parte* 2. *Tract.* 1. *cap.* 1. *ubi de libero arb.*

Atque iſti quidem effectus peccati originalis ſunt tantùm pro hac vita: nam præterea poſt mortem, niſi ejus macula deleatur per Chriſti Baptiſmum, infert æternæ vitæ privationem. Vnde Ioa. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aquâ, & ſpiritu, non poteſt intrare in regnum Dei.*

CAP. II. *Natura beatitudinis humana.*

Dico I. Beatitudo humana eſt ſtatus ex eorum aggregatione bonorum perfectus, quibus hominis ſatietur appetitus, ipſéque homo contentus vivat. Prob. Quia ſic beatitudo opponitur miſeriæ: miſer enim ille eſt, qui vivit non contentus, privaturque eo bono quod efficaciter appetit tanquam proprium ſibi, & aliqua ratione debitum; id eſt, quod debet eſſe, vel ex Dei ordinatione, vel ex noſtri exigentia. Quare

Not. Beatitudinem hominis eandem eſſe cum ipſius fine ultimo, quo adepto ceſſet proſecutionis motus, ipſéque homo quieſcat tandem, & contentus vivat. Quanquam beatitudo ut ſic formaliter, non eſt idem ac finis. Nam propriè Deus dicitur habere beatitudinem, non finem ultimum, cum ad finem non ordinetur, ſed potiùs ipſe ſit rerum omnium finis.

Dico II. Quilibet eſſe beatus cupit, quocunque tandem genere beatitudinis. Prob. Quia prima & maximè naturalis operatio hominis eſt appetitio boni, cujus poſſeſſione & fruitione beatus fiat. Deinde ut ſcribit D. Aug. *in pſal.* 118. *Beatum eſſe tam magnum eſt bonum, ut hoc boni velint, & mali; nec mirum eſt, quòd mali etiam*

etiam propterea ſint mali, ut ſint beati: nam quiſquis libidinibus corrumpitur, in hoc malo beatitudinem quarit, & ſe miſerum putat, cum ad ſua concupiſcentia voluptatem non pervenerit. Certè cum omnes judicent beatitudinem eſſe perfectum quoddam bonum, excludens rationem omnem mali, nemo conſequenter poteſt illam non appetere; quia nemo poteſt refugere bonum ut bonum; ſicut nemo poteſt ſibi appetere malum ſub ratione mali.

Notabis tamen, neminem in hoc vitæ præſentis ſtatu poſſe eſſe perfectè beatum; quòd innumeris tum animi, tum corporis malis hæc vita ſit obnoxia. At

Not. 2. Beatitudinem aliam eſſe objectivam; aliam formalem. Objectiva dicitur bonum illud quod eſt objectum noſtri appetitus, cujus poſſeſſione, & fruitione beati efficiamur. Formalis autem beatitudo, eſt ipſa poſſeſſio & fruitio boni beatifici; ſive unio hominis cum illo objecto. Item, alia eſt beatitudo naturalis, quæ ſcilicet non ſit ſupra vires, & exigentiam naturæ ſolius, qualem dicemus ſuo loco poſitam eſſe in cognitione Dei abſtractiva, &c. Alia è contrà eſt ſupernaturalis, qualem etiam dicemus eſſe claram Dei ut in ſe eſt viſionem.

CAP. III. *Hominis beatitudo objectiva.*

Dico I. Bona hujus vitæ non poſſunt eſſe objectum noſtræ beatitudinis. Prob. Quia bonum cujus poſſeſſio, & fruitio beatos efficere nos poſſit, debet eſſe nobis conveniens, quatenus homines ſumus; id eſt, quatenus intelligentia præditi, & nati ad majora, quàm quæ ſenſibus uſurpentur: neque enim ſi aurum, aut honores equo deferas; inde futurus erit beatior, quia

quia non eſt bonum ipſi conveniens. Et verò quod eſt bonum beatificum, debet eſſe noſtri perfectivum; atque ut habet D. Aug. ſerm 2. in Pſal. 32. *Cum beatus fueris, melior utique eris, quàm cum miſer es; nec fieri poteſt, ut res deterior te faciat meliorem.* Atqui bona hujus vitæ, utpote corporea & caduca, infra nos ſunt, cùm ſecundùm animam ſimus incorporei, atque immortales. Item, bona illa creata homini ſubordinata ſunt tanquam fini ſuo: ergo ſunt homine inferiora: ergo non poſſunt eſſe illius objectum beatificum. Item, bona illa non tam in ſe, quàm ex noſtro errore bona ſunt; nam *divitiæ*, ut inquit Seneca, *honores, potentia, & cæterà quæ hîc appetuntur ad beatitudinem, opinione tantùm noſtrâ cara ſunt, pretio autem ſuo vilia. Neſcimus æſtimare res, de quibus non cum fama, & errore vulgi, ſed cum ipſa earum natura deliberandum eſt. Concupiſcuntur quia laudata ſunt, nec laudantur quia concupiſcenda; & cum ſingulorum error publicum fecerit, ſingulorum errorem facit publicus.* Item, quod eſt bonum beatificum, debet eſſe malis impermixtum; quod bonis hujus vitæ non convenit: comparantur enim cum labore, ſervantur cum ſollicitudine, ac denique majori cum dolore amittuntur. Item, quod eſt bonum beatificum, debet ſatiare appetitum, unde illo obtento quieſcamus: At bona creata finita ſunt, proindéque inſufficientia ad replendam animi noſtri capacitatem, & appetitum ad omnia tam creata, quàm increata univerſalem; imò quò plura nobis affluunt, ſolemus plura appetere, unde inſtar falſæ cujuſdam aquæ, ſitim potiùs accendunt, quàm reſtinguant; ut patet communi experientiâ: quare ſunt vaniſſima, & prorſus inutilia ad beatitudinem. Quod etiam pro-

proprio experimento teſtatur Salomon in Sacris paginis.

Dico igitur I I. Tam excellentis naturæ eſt homo, quatenus homo eſt, ſeu quatenus ad imaginem Dei factus; ut ſolo Deo beatus eſſe poſſit, quocunque tandem in ſtatu. Nam homo quatenus ad imaginem Dei factus, habet perinde per proportionem ac Deus, habet inquam, intellectum ad omne verum, tum voluntatem ad omne bonum univerſalem, nec conſequenter ſatiari poteſt niſi omni bono, ſeu ſupremo bono, ipſóque Deo. quam ob cauſam ſic habet ſacra ſcriptura: *Benedic anima mea Domino, qui replet in bonis deſiderium tuum.* Item, ſic rectè D. Auguſt. in Confeſſ. *Verè tu Domine feciſti nos ad te, & inquietum eſt cor noſtrum donec requieſcat in te.* Tum in epiſt. 52. *Non facit hominem beatum; niſi qui hominem fecit, nam qui tanta bonis, maliſque largitur ut ſint vigentes ſenſibus, valentes viribus, opibuſque affluentes, ſeipſum debet bonis ut beati ſint, quibus etiam ab ipſo munus hoc conceſſum eſt, ut boni ſint.*

CAP. IV. *Hominis beatitudo formalis.*

DIco I. Beatitudo formalis eſt aliqua hominis unio cum Deo. Quia bonum non reddit hominem beatum niſi cum ipſo aliqua ratio ne uniatur; ſic enim *v. g.* divitiæ non facient m divitem, niſi mihi uniantur per poſſeſſionem, dominium, unde dicantur meæ. At

Dico I I. Ad illam beatitudinem non ſuffi unio Dei cum homine, quam vocant *per il ſum*, id eſt, per præſentiam intimam aliqu ſpecialem; alioquin ſic ipſi dæmones forent ti, cum ſit illis intimè præſens per ſuam im ſitatem. Item nec ſufficit unio hypoſtatica:

quin ſola Chriſti humanitas foret beata. Item nec poſita eſt in aliqua noſtri transformatione ſubſtantiali in Deum; nam ſic deſineremus eſſe. Quin potius

Dico III. Illa unio cum Deo debet fieri per aliquam hominis operationem circa ipſum Deum. Prob. Ex Ariſt. 1. *Eth. c.* 7. Vbi tradit hominis beatitudinem eſſe poſitam in aliqua ipſius operatione. Qui enim dormit, ut inquit, etſi reliqua habuerit, toto illo tempore quo dormit, non differt à miſero, ex eo quòd nullam exerceat operationem circa objectum beatificum. Et verò, beatum eſſe idem eſt ac beatè vivere; idemque eſt, ex doctrinâ Catholicâ, beatitudo Sanctorum, ac vita æterna. At repugnat vivere ſine aliqua operatione, quæ vulgò dicitur vita actualis.

Notandumque eſt, illam operationem debere eſſe hominis, ut homo eſt; ſeu quatenus eſt intelligentiâ, & voluntate præditus; neque enim debet tantùm habere beatitudinem ſecundùm operationes ſenſitivas, & ut participat communem cum brutis naturam. Ergo debet eſſe illa operatio tum intellectus, poſita in aliqua Dei cognitione; tum operatio voluntatis, qualis eſt amor ipſius Dei, & gaudium: ſunt enim iſti actus voluntatis perfectiſſimi, per quos uniri poſſit cum Deo. At

Not. 2. Aliam eſſe Dei cognitionem, quæ *abſtractiva* dicitur, & per creaturas, cujuſmodi etiam vulgò à nobis habetur naturaliter. Verùm alia præterea eſt quæ vocatur *intuitiva*, & *quidditativa*, ſeu clara viſio Dei ut in ſe eſt; nec poteſt haberi ſolis naturæ viribus; nam *lucem habitat inacceſſibilem, quem nemo hominum videre poteſt* 1. ad Timoth. 6. Quamobrem intellectus

bea-

beatificus ad eam viſionem eliciendam elevatur per qualitatem ſupernaturalem, ipſi divinitus infuſam, quam *lumen gloriæ* nuncupant.

Notandumque eſt 3. Deum pro ſua ſpeciali bonitate hominem de facto elevaſſe ad ipſam quoque viſionem beatificam. Ita 1 Ioa. 3 *Videbimus eum ſicuti eſt.* Item Matt. 5. *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt* immediatè, quidditativè, id eſt, eſſentiam ipſius clarè intuendo.

Objic. Debet eſſe proportio inter objectum & potentiam quæ circa illud verſatur. Atqui nulla eſt intellectus creati etiam elevati proportio ad Deum; quia nulla eſt finiti ad infinitum. *Diſt.* Nulla eſt proportio in ratione entis, & mathematica, qualis eſt inter magnitudines. *C.* Nulla eſt metaphyſica, & in ratione objecti; ſeu etiam in ratione perfectibilis & perfectivi. *N.*

Inſt. Non poteſt videri Angelus oculo corporeo. *Tr.* Ergo nec Deus oculo incorporeo, ſeu per intellectum creatum: quia magis Deus diſtat ab intellectu creato, quam Angelus ab oculo corporeo, ſiquidem Deus infinitè diſtat ab omni ente creato: Ergo Deus minùs intellectui creato proportionatur, quàm Angelus oculo corporeo. *Diſtinguo* illud magis & minùs. In ratione entis, *C.* in ratione objecti. *N.*

Notabis obiter 4. Contra nonnullos antiquiores, viſionem illam beatificam, non eſſe ipſam increatam qua Deus ſeipſum videt, homini communicatam: viſio enim, quæ eſt operatio vitalis, non poteſt denominare intellectum videntem, niſi eum à quo manat effectivè; ut oſtenditur in Tractatu de Anima. At viſio Dei increata non poteſt eſſe niſi ab intellectu Divino; imò ipſa idem eſt ac intellectus, aut eſſentia etiam Divina, & de ſe eſt improducibilis, ut expli-

plicatur in Metaphyſica. Multùm igitur abeſt, ut per eam intellectus creatus fieri, & denominari poſſit videns. Nec dicas; Ergo beatitudo hominis non eſſet niſi res creata. *Diſt.* Beatitudo formalis *C.* objectiva. *N.* His itaque poſitis,

Dico IV. Hominem de facto beatificari formaliter per claram Dei viſionem. Hoc docent ſacræ literæ, ubi legimus beatos fore ſanctos, *quoniam ipſi Deum videbunt*; *Matth.* 5. eamque ob cauſam, ut jam monui, intellectus beatificus per lumen gloriæ elevatur. Probatur primò, quia ſic homo unitur Deo ut primæ veritati; ipſeque appetitus ſciendi ſatiatur perfectè, cùm objectum ſcientiæ perfectiſſimum, tum in ipſo quicquid pulchrum eſt, quicquid magnificum cognoſcatur. Secundò; quia illa viſio, eſt ipſa Dei ut finis ultimi, ac ſupremi boni poſſeſſio: poſſidere enim aliud nihil eſt, quàm ita rem habere, ſeu tenere in noſtra poteſtate, ut pro noſtro libito percipiamus bona omnia, quæ ex illa percipi à nobis poſſunt: Res autem diverſæ poſtulant ex natura ſua diverſo modo haberi, & teneri; nam pecunia quidem tenetur manu, ſed tenetur ſolùm viſu tabellæ pulchritudo, &c. Atque ita ſolùm à nobis tenetur Deus per viſionem; cùm illius operationis proprium ſit, rem apprehendere, & veluti præſentem nobis ſiſtere; quamobrem potentiæ cognoſcitivæ appellari ſolent *apprehenſivæ*; ideoque intellectus dicitur quaſi quædam manus animæ noſtræ. Quare ut beatitudo noſtra objectiva poſita eſt in ſupremo bono, ſeu in Deo; ita & formalis beatitudo in ipſius viſione, & poſſeſſione. Sed contra ſuperiorem doctrinam

Objic. Poſſeſſio eſt tantum jus operandi circa rem aliquam, aut illa utendi: ergo ſic tantùm

dicit

dicit facultatem, non autem operationem actualem. Quo pacto infans dicitur verè dominus, & poſſeſſor hæreditatis paternæ, cum tamen illa uti nondum queat. ℞. Hîc ſermonem eſſe de poſſeſſione in actu ſecundo, & non tantùm in actu primo; illa autem poſita eſt in actuali operatione, cujuſmodi eſt viſio per quam poſſidetur Deus.

Inſt. 1. Si illa Dei poſſeſſio poſita eſt in operatione hominis; ipſe diceretur beatificare ſeſe; nam ipſe per ſuam operationem viſivam conſtituit ſe videntem; ergo & Dei poſſeſſorem: ergo non diceretur accipere à Deo ſuam beatitudinem, aut præmio ab ipſo affici. ℞. *Diſt.* Sic beatificaret ſe ſecundariò, & ſecundùm quid. *Tranſ.* Sed primariò & ſimpliciter à Deo ſolo beatificatur, à quo ſcilicet vim accipit eliciendæ viſionis beatificæ, beneficio luminis gloriæ; tum & à quo determinatur per modum objecti fungendo vices ſpeciei impreſſæ repræſentantis ipſam Divinam eſſentiam. Sicque aliquando etiam præmium conſiſtit in actione illius qui præmio afficitur; ut ſi cui in præmium concedatur viſio rei alicujus præſtantiſſimæ; aut jucundiſſimi alicujus cibi manducatio.

Inſt. Quidni perinde poſſideatur Deus per amorem? ℞. Quia amor abſtrahit à rei præſentia, neque eſt objecti apprehenſivus.

Dico V. Beatificari quoque hominem per amorem unitivum ipſius cum Deo ut ſummo bono. Nec parùm de ſe confert ad beatitudinem ut ſic, amor rei poſſeſſæ; ſiquidem, quod ait D. Aug lib. de moribus Eccleſiæ; *nemo beatus eſt qui non amat quod habet, etſi optimum illud ſit:* patetque experientiâ in rebus omnibus. Item confert maximè amor ad beatitudinem, quia ſum-

ſummæ eſt voluptatis amare, & amari: quæ quidem vis amoris in hoc præcipuè caſu vigere debet, ubi eſt objectum infinitæ amabilitatis, & dignitatis. Item Beati ex eo amore maximam contrahunt dignitatem, quòd viciſſim redamentur à Deo tantæ majeſtatis, &c.

Notandumque eſt amorem hunc beatificum eſſe perfectiſſimum. Primò, quia eſt de objecto perfectiſſimo, & perfectiſſimè poſſeſſo. 2. Quia eſt ſupernaturalis; unde voluntas ad illum eliciendum elevari debet per habitum ſupernaturalem charitatis. 3. Quia eſt univerſalis, extenditque ſeſe ad illud omne quod ſecundùm Deum eſt amabile. 4. Quia eſt indefectibilis, ſeu invariabilis, cùm neceſſarius ſit. Vbi enim clarè & perfectè repræſentatur ſupremum bonum, cùm ſit infinitæ amabilitatis, tam potenter allicit voluntatem, ut illi reſiſtere non poſſit, aut ſuſpendere actum ſuum. Certè cum ſuprema bonitas moveat voluntatem ſine ulla proportione ad bonum quodcunque aliud; neceſſe ut illam non relinquat liberam; ſeu indifferentem ad amorem ſui. Nec dicas, modus operandi ex neceſſitate, imperfectior eſt, quàm ex libertate. *Nego*, ſi neceſſitas illa oritur ex infinitâ amabilitate objecti; tum enim præſtantius quiddam eſt ipſi neceſſariò, & indefectibiliter uniri.

Dico VI. Gaudium, ſeu voluptas, & delectatio reſultans ex poſſeſſione rei amatæ, eſt actus voluntatis locum habens inter præcipuas beatitudinis partes. Quinetiam, ut ſcribit D. Aug. lib. 10. Conf. c. 24. *Omnes gaudium vitam beatam putant, túmque ſe æſtimant beatos cùm poſſunt gaudere.* Et verò Chriſtus ipſe beatitudinem nomine gaudii deſignat, dum ſic loquitur: *Intra*

in

in gaudium Domini tui. Quale autem ſit gaudium de poſſeſſione tanti boni, vitæque tam beatæ; facilè eſt judicare. Quò refertur illud Pſalmiſtæ: *Inebriabuntur ab ubertate Domus tuæ, & torrente voluptatis potabis eos.*

CAP. V. *Statuitur de eſſentia, & proprietatibus formalis beatitudinis humanæ.*

QVæſtio eſt de illis tribus actibus; an ſcilicet viſio Dei ſola conſtituat eſſentiam formalis beatitudinis, ut volunt Thomiſtæ; an ſolus amor, ut Scotiſtæ; an gaudium ſolum, ut alii; an potiùs, ut ſcribit D. Bonaventura, & Leſſius, tres illi actus ſimul; ſicque omnium concilientur ſententiæ.

Dico I. Inadæquatè, ſeu partialiter, & incomplexè ſinguli ex illis actibus; adæquatè verò, ſeu totaliter, aut completè illi tres ſimul beatitudinem formalem conſtituunt ſecundùm eſſentiam. Prob. Quia eſſentia beatitudinis illius poſita eſt in unione cum Deo per operationes eas quibus homo ipſi uniri poteſt; ſic enim inquit Pſalmiſta, *adhærere Deo mihi bonum eſt.* Atqui homo uniri Deo poteſt non tantùm per operationem intellectus, ſeu per viſionem; ſed etiam & per actus voluntatis, id eſt, per amorem, & gaudium: ergo eſſentia beatitudinis formalis completa, & adæquata, poſita eſt non tantùm in unione cum Deo per viſionem, ſed etiam per amorem & gaudium. Conf. 1. Tam enim per ſe & immediatè homo eſt perfectibilis, & beatificandus ſecundùm voluntatem, quàm ſecundùm intellectum; cùm voluntas tam ſit propria hominis facultas, & tam naturalis, quàm intellectus. Confir. 2. *Cum apparuerit*, inquit D. Ioan. *ſimiles ei erimus*; nempe in beati-

tudine: ergo, quemadmodum Divina beatitudo poſita eſt non ſolùm in ea cognitione per quam ſe cognoſcit, ſed etiam in amore ſui & gaudio; ita à pari per proportionem æſtimandum eſt de noſtra beatitudine.

Notabis igitur concedi quidem à me viſionem eſſe de eſſentia beatitudinis, ſed non ſolam; Nec quamcunque etiam aliam hominis operationem, ſi ſeorſim ſumitur conferre ad illam niſi inadæquatè. Item conſequenter

Not. 2. Rectè etiam dici beatitudinem hominis eſſentialem adæquatam, & completam poſitam eſſe in poſſeſſione Dei ſimul, & fruitione; quia poſſeſſio Dei idem eſt ac ipſius clara viſio; fruitio autem idem eſt ac amor & gaudium, ut aliàs explicabitur.

Objic. 1. Habemus ex ſacris literis fore nos beatos quia viſuri ſumus Deum. *C.* Ergo beatitudo noſtra poſita eſt in viſione Dei. *C.* Sed illa viſio præcisè ſumpta, dicit tantùm inadæquatam beatitudinem.

Inſt. Illud debet eſſe noſtra beatitudo quod ſimiles Deo nos reddit in ipſa beatitudine. *C.* Atqui hoc ſolùm præſtat viſio. *N.* Nam ſimiles quoque illi erimus in amore, & gaudio.

Objic. 2. Viſio eſt quid primum in beatitudine; nam præſupponitur neceſſariò ad amorem & gaudium tanquam naturâ prior. *C.*Ergo in ea poſita eſt eſſentia beatitudinis. *Diſt.* Inadæquatè ſaltem. *C.* Adæquatè, & completè. *N.*

Inſt. 1. In eo tantùm poſita eſt rei eſſentia, quod eſt primum ipſius conſtitutivum. *Diſt.* Quod eſt primum adæquatum, ſeu adæquatè conſtitutivum. *C.* inadæquatè ſolùm. *N.* Nam niſi animal diceretur aliquo modo eſſe quid priùs in homine, non idcirco rationalitas ab ipſius hominis eſſentia excluderetur.

Inſt.

Inſt. 2. Viſio ſola eſt perfecta Dei ut finis ultimi conſecutio, & poſſeſſio. *Tr.* Ergo ſola eſt de eſſentiâ beatitudinis. *N. Conſ.* Huc enim præterea accedit fruitio poſita in amore & gaudio, qui concurrunt ad unionem adæquatam hominis cum Deo.

Inſt. 3. Quæ conſequuntur ad Dei poſſeſſionem, ſeu ad beatitudinem, ſunt tantùm illius proprietates. Atqui ſic ſe habent amor, & gaudium. *Diſt. Ant.* Quæ conſequuntur ad Dei poſſeſſionem, ut actus complentes beatitudinem. *N.* Quæ conſequuntur ut aliquid fluens ab ejus eſſentia, qualis eſt impeccabilitas, &c. *Tr.* vel ſi lubet, quæ conſequuntur ad beatitudinem adæquatè ſumptam *C.* tantùm inadæquatè ſumptam, *N.* Et verò, ut confirmetur noſtra doctrina; ſic argumentor: Ex eo quòd aliquid conſequatur ad aliud, ipſum-ve præſupponat, non ideo eſt illius proprietas; ſic enim ſecunda & tertia mentis operatio dicerentur eſſe proprietates primæ; ſic operationes voluntatis dicerentur eſſe proprietates operationum intellectualium; quod falſum eſt: & conſequenter nihil hoc modo probant adverſarii.

Inſt. 4. Beatitudo formalis eſt maxima hominis perfectio *C.* Ergo poſita eſt in perfectiſſima hominis operatione. *Diſt.* In ſolâ hominis perfectiſſimâ operatione, qualiſcunque illa ſit, ſive viſio, ut alii volunt; ſive amor, ut alii; *Nego.* Niſi beatitudo ſumatur inadæquatè.

Inſt. 5. Damnatio eſſentialis poſita eſt in privatione viſionis beatificæ. Ergo ex oppoſito beatitudo eſſentialis in viſione. *Diſt. Ant.* Damnatio inadæquatè ſumpta, *C.* Nam adæquatè dicit etiam privationem amoris, & gaudii.

Objic. 3. Deus eſt objectum noſtræ beatitu-

dinis, quatenus eſt ſummum bonum. *C.* Ergo beatitudo formalis poſita eſt tantùm in amore, per quem ſolummodo illi bono uniri poſſumus. *N. Conſ.* Nam illi etiam unimur per intellectum quatenus eſt verum bonum; ſicque etiam per intellectum comprehenditur, ſeu apprehenditur & poſſidetur ſupremum bonum, ut per voluntatem ametur.

Inſt. Sola voluntas eſt principium quo meremur beatitudinem: ergo in ea ſolùm poſita eſt. ℞. Nos mereri quoque per actus intellectus imperatos à voluntate, nec ſolam debere beatificari.

Ob. 4. Beatus contriſtari poteſt, quomodo Chriſtus dicitur fuiſſe contriſtatus. *Tr.* Ergo beatitudo poteſt eſſe ſine gaudio; nec conſequenter gaudium eſt de illius eſſentia. *Diſt. Conſ.* Beatitudo inadæquatè ſumpta. *Tr.* Adæquatè *N.* At præterea ℞. Chriſti Domini triſtitiam non fuiſſe ſecundùm animæ partem ſuperiorem, in qua habet gaudium beatificum, ſed tantùm ſecundùm inferiorem. Vel certè ℞. Per miraculum Divinæ omnipotentiæ, in eadem voluntate fuiſſe ingens gaudium beatificum de bonis Divinis; ſimulque maximam triſtitiam de hominum peccatis, &c.

Ob. 5. Eſſentia illa eſſet aggregatum per accidens ex tribus illis actibus *C.* Atqui nulla eſſentia eſt aggregatum per accidens ex multis. ℞. Verum eſſe illud de eſſentia entis per ſe, non entis per accidens. Vt in Logica diximus de eſſentia ſyllogiſmi.

Inſt. Illa eſſentia poſſet recipere magis & minùs. *Tr.* Atqui eſſentiæ non recipiunt magis & minùs. ℞. Tranſeat de eſſentiis metaphyſicis: *Nego* de phyſicis accidentalibus. Sic enim beatitudo adæquata dicitur eſſe magis beatitudo,

do, quàm inadæquata. Certum eſt autem poſſe recipere magis & minùs ſecundùm intenſionem; etſi non poſſet ſecundùm eſſentiam; ſic enim viſio beatifica poteſt eſſe clarior,& clarior.

Dico II. Inter proprietates beatitudinis primo loco eſt impeccabilitas. Sicut enim Beati poſito lumine gloriæ non poſſunt ceſſare à viſione Dei, cùm intellectus ſit potentia neceſſaria, quæ poſitis ad agendum neceſſariis operatur neceſſariò; ita & neceſſariò amant Deum ſupra omnia; ſicque illi diſplicere non poſſunt, ſeu peccare. Vnde B. Pet. 1. *ep.* 2. vocat beatitudinem *hereditatem incorruptibilem, & immarceſſibilem.*

Objic. Ex libro Iob. *In Angelis ſuis reperit pravitatem.* ℟. Loqui de Angelis in via, non in termino exiſtentibus.

Secunda Beatitudinis illius proprietas, eſt perpetuitas. Eſt enim de fide fore æternam; quia talem fore pro ſuâ bonitate promiſit Deus; nec mutare ſententiam poteſt. Alioqui potuiſſet non eſſe æterna; ſiquidem perpetuitas non eſt de ejus eſſentia. Et verò ſi jam aliquis è beatis annihilaretur, non idcirco negaretur fuiſſe beatus, nam habuiſſet omnia requiſita ad eſſentiam beatitudinis.

Notabis autem, has tantùm dici beatitudinis proprietates; quia tantum conſequuntur ad unionem cum Deo,quæ ſola unio cum Deo, eſt eſſentialiter formalis beatitudo. Nec perpetuitas *v. g.* confert ad illam beatitudinem niſi ſecundùm accidentalia; quia ſcilicet per illam intelligitur eſſe unio cum Deo firmior; non autem ad illam confert ſecundùm eſſentialia ipſius unionis.

Objic. Sine perpetuitate beatitudo non eſſet

perfecta, nec perfectè ſatiaret appetitum beati; nihil enim poteſt magis eſſe appetibile in beatitudine, quàm ipſius perpetuitas Ergo illa eſt etiam de eſſentia beatitudinis. *Diſt. Ant.* Non eſſet perfecta, aut perfectè ſatiaret appetitum, tam ſecundùm eſſentialia, quàm accidentalia. *C.* Secundùm eſſentialia. *N.*

Inſt. Torqueretur beatus tam ingentis boni perdendi ſollicitudine. Ergo non eſſet beatus. *N. Ant.* Nam qui beatus eſt, perfectè diligit Deum, eſtque perfectè conformis illius voluntati, nihilque ipſi jucundius quidquam eſt, quàm illam implere.

Notabis igitur, impeccabilitatem, & perpetuitatem, non pertinere niſi ad beatitudinem accidentalem. Quam etiam beatitudinem Sanctorum accidentalem augent non parum, primò, loci quem inhabitant forma, amplitudo, præſtantia, & majeſtas. Secundò, quòd illi inter ſe jucundiſſimam habeant amicitiæ neceſſitudinem, & familiaritatis uſum. Vno verbo, nulla excogitari poteſt voluptas, modò hunc gloriæ ſtatum non dedeceat, quæ illis denegari debeat. At

Notabis ultimò Martyres, Virgines, ac Doctores habere præterea in cœlo ſpecialia quædam inſignia dignitatis, quas vocant *Aureolas*, ob ſpecialem quam habuere cum Chriſto Domino conformitatem. Ita vulgò ſentiunt Theologi ex variis Sacræ Scripturæ locis, quibus iſtud innuitur. ut Danielis 11. *Qui ad juſtitiam erudiunt multos*, inquit, *fulgebunt tanquam ſtellæ firmamenti, &c.*

CAP. VI. *Beatitudo corporis.*

Dico I. Ad beatitudinis eſſentiam non requiritur conſortium corporis. Prob. Quia eſſen-

eſſentia beatitudinis humanæ poſita eſt in Dei poſſeſſione & fruitione, quæ habetur independenter à corpore.

Notandumque eſt idcirco damnatam fuiſſe doctrinam Origenis, quòd doceret nos ante corporum reſurrectionem non fore beatos; cùm repugnent ſacræ literæ, maximè verò illud Chriſti Domini dictum ad latronem, *hodie mecum eris in paradiſo.*

Dico II. Reſumpto corpore animæ futuræ ſunt beatiores, ſaltem extenſivè, & ſecundùm accidens. Prob. Quia tunc anima habebit eſſe perfectius, cùm ex natura ſua ordinata ſit ad informandum corpus, cum quo eſſe hominis conſtituat; ſicque exiſtet perfectiori modo in corpore quàm extra corpus. Eamque ob cauſam animæ beatæ corporum reſurrectionem appetunt, poſtulantque à Deo: ſecluſâ tamen anxietate, & ſollicitudine, quia Divinæ voluntati ſunt perfectè conformes.

Dico III. Conſentaneum eſt etiam bonitati & providentiæ Divinæ, ut caro virtutis ac laboris particeps, fiat etiam beatitudinis conſors. Prob. Quia totus homo quatenus conſtat ex corpore & anima, benè aut malè agendo meretur præmium, aut pœnam; cui conſequenter ſic retribui debeat.

Dico IV. Corpora beata reſurgent ſub eâ formâ & præſtantiâ quæ fuit Chriſti Domini, & circa annum ætatis trigeſimum haberi ſolet. Ita vulgò ſentiunt Doctores cum D. Aug. *lib.22. de civit. Dei*, colligiturque ex eo loco epiſtolæ ad Eph. c. 4. *Donec occurramus omnes in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti.*

Dico V. Corpori glorioſo vulgò attribuuntur illæ dotes 4. Nempe impaſſibilitas, claritas,

agilitas, & ſubtilitas. Habeturque maximè ex 1. ad Corinth. c. 15. ubi comparatur ſemini, ſeu grano frumenti, quod poſtquam in terra corruptum eſt, ad Solis novos influxus quaſi reviviſcit. Ita enim quando Sol juſtitiæ Chriſtus è cœlo deſcendet mundum judicaturus, corpus juſti ſuſcitabitur, tuncque, ut ait ille, quod *ſeminatum eſt in corruptione*, id eſt, cum mortalitate, *ſurget in incorruptione*; quia induet immortalitatem, impaſſibilitatemque, unde morbis, aliiſque incommodis non ſit futurum obnoxium. *Seminatur in ignobilitate, ſurget in gloria.* Quia ornabitur maxima claritate, unde ajebat Chriſtus, *fulgebunt ſicut ſol in regno Patris mei.* Item, *ſeminatur in infirmitate, ſurget in virtute*, per quam moveat ſe ſe maxima cum agilitate quamcunque in mundi partem libuerit. Denique *ſeminatur corpus animale, ſurget corpus ſpirituale*; quatenus per donum ſubtilitatis reddetur penetrabile cum aliis corporibus: aut etiam quia tunc cibo & potu non indigebit, cùm nullas ampliùs vitæ vegetativæ operationes ſit habiturum.

Dico VI. Corpora beatorum habebunt uſum ſenſuum in ſtatu perfectiſſimo, cum maxima oblectatione. Prob. Quia maximè ſecundùm ſenſus beatificari poſſunt: ſicque anima noſtra quatenus ſenſitiva eſt, beatitudinis eſt capax, per applicationem & perceptionem objectorum præſtantiſſimorum, quæ defutura non ſunt, juxta exigentiam illius ſtatus beatifici. Conf. Quia damnati patiuntur ſecundùm ſenſus; ac præcipuè quidem in iis per quos peccarunt: Ergo ex oppoſito ſancti beatificari debent in ſenſibus, ac maximè in iis per quos aliquid pro Chriſto ſunt paſſi. Quanquam

Dico

Dico VII. Duo tantum ex ſenſibus externis per ſe beatificandi ſunt; nempe auditus, & viſus. Prob. Quia reliqui tres ſunt tantùm per ſe inſtituti ad corporis nutritionem, aut accretionem, aut etiam ad generationem; qui fines cùm ceſſent in altera vita, neceſſe eſt quoque ut ceſſent ejuſmodi ſenſuum operationes, quantum quidem eſt de ſe. Nam pro ſuo libito poterunt per ſenſum guſtandi, & odorandi percipere aliquam voluptatem ex objectis idoneis. At ſenſus videndi & audiendi, cum præcipuè ordinati ſint ad operationes animæ rationalis, ſine proprio tunc non carent. Et verò quomodo vigeret illa tam jucunda beatorum ſocietas, niſi mutua colloquia exercendo, cæteráque id genus quibus deſervit audiendi ſenſus? Vt quid tanta in cœlo rerum pulchritudo, ſplendor, majeſtas, niſi oculis beatorum fieret aſpectabilis? Satiari quidem oculus videndo non poteſt ut vulgò ajunt, dum rebus aliis, & aliis in infinitum poſſit intendere. At nihilominus

Dico VIII. Sacro-Sancta Chriſti Domini humanitas ipſum rei cujuſcunque alterius videndæ appetitum, ſola per ſe ſatiare poteſt. Prob. Quia ratione propriæ dignitatis primum inter res corporeas locum tenet, ſicque in ſe collectum continere debet quicquid pulchritudinis & majeſtatis in inferioribus diffuſum eſt. Præcipuè verò ex eo ſatiat hunc appetitum, quòd ſit objectum maximè omnium amabile, & à quo omnis beatorum fœlicitas emanat. Nullum autem eſt objectum aſpectui noſtro jucundius illo, vel perſonâ illâ, quam maximè diligimus, & à qua nos maximè diligi, ſentimus; ut probat communis experientia.

Hæc de fine ultimo & beatitudine hominis

ſupernaturali. Vnum iſtud addo ex D. Aug. ſerm. 1. in Pſal. 118. *Si vis eſſe beatus, eſto immaculatus*, id eſt purus ab omni ſcelere. *Illud omnes, hoc verò pauci volunt, ſine quo non perveniunt ad illud quod omnes volunt.* Neque etiam ullus in hac præſenti vita verè beatus eſſe poteſt, niſi qui fidem & charitatem in Deum conſtanter ſervaverit.

CAP. VII. *De humana beatitudine in ſtatu puræ naturæ.*

S*Vppono* 1. Sic hominem creatum eſſe à Deo in ordine ad finem ſupernaturalem, ſeu ad claram ipſius Dei viſionem, ut ab eo fine deficere non poſſit niſi per peccatum, quo mereatur æternam damnationem; neque inter utrumque illum ſtatum, aut gratiæ ſanctificantis, aut peccati fuiſſe unquam, aut futurum eſſe alium, quem vulgò *ſtatum puræ naturæ* appellant, cum ordine ad beatitudinem tantùm naturalem. At nihilominus,

Suppono 2. Statum hujuſmodi puræ naturæ, aut beatitudinem purè naturalem non eſſe de ſe impoſſibilem; potuitque omnino Deus creare hominem ſine ullo dono gratiæ ſupernaturalis, & ſine ordine ad finem ſupernaturalem, id eſt, quemadmodum loquuntur alii, *in puris naturalibus*. Prob. Quia hoc nullam involvit contradictionem: huicque oppoſitam aſſertionem damnant Summi Pontifices contra Baïum, & Ianſenium, ut explicat ſatis copioſè P. Franciſcus Annatus *In Auguſtino à Baïanis vindicato*. Et verò in adverſariorum doctrina ſic creatur homo, ut non poſſit illi à Deo denegari gratia ſupernaturalis per quam diſponatur ad viſionem beatificam; ac proinde fatentur in eo caſu gratiam

tiam deberi ſaltem ex debito connaturalitatis, quatenus ſine illa non poſſet homo creari modo connaturali, ſicque illi eſſe connaturalem; neque alio ſenſu tunc dici gratuitam, quàm quia ſequitur ad gratuitam creationem naturæ intelligentis. Quare etſi excludunt quidem à gratia debitum meriti, ſeu debitum fundatum in merito bonorum operum, non negant poſſe illam conſiſtere cum debito connaturalitatis, unde connaturaliter exigatur à ſubjecto. Sed hæc doctrina etiam proſcripta eſt ab iiſdem Summis Pontificibus; nec fuit ex Catholicis ullus Theologus qui etiam hoc modo gratiam eſſe indebitam, & ſupra naturæ omnem exigentiam non docuerit; quanvis aliqui dixerint eo ſenſu fuiſſe primo homini connaturalem, quòd illi ſit data *cum naturâ*. Immò communior eſt Theologorum ſententia, nequidem de potentiâ abſolutâ dari poſſe ex puris creaturis tam præſtantem, cui lumen gloriæ, aut alia id genus gratia ſit connaturalis. Item

Suppono 3. Aliam eſſe quæ ſit omnino pura natura, nihil habens ſibi ſuperadditum perfectionis non debitæ. Alia autem eſt quæ habet ſibi ſuperadditam integritatem, ſeu perfectam ſubjectionem appetitus ſenſitivi ad rationem, *ut cap. 1. hujus Diſp. tum fuſiùs Tract. 3. Diſp. 1. c. 1. expoſui:* Quæ quidem integritas ſi datur tantùm per habitus quoſdam ordinis naturalis, & in ordine ſolummodo ad finem naturalem, intelligetur adhuc ſtatus puræ naturæ, prout opponitur ſtatui gratiæ ſupernaturalis, cum ordine ad finem ſupernaturalem, qualis eſt clara Dei ut in ſe eſt viſio; de quo genere ſtatus puræ naturæ hîc etiam ſermo eſt. Atque his ſuppoſitis,

Dico I. Beatitudinis naturalis, ſeu quæ ſtatus puræ naturæ eſt propria, nullum aliud datur objectum ſaltem primarium, & eſſentiale quàm Deus. Prob. Quia ex doctrina capitis 2. hujus diſputationis, nullum aliud bonum ſatiare hominis appetitum poteſt; neque eſt alius finis per ſe ultimus hominis, quàm Deus. At

Dico II. Formalis beatitudo illius ſtatus poſita eſſet in unione cum Deo per actus intellectus, & voluntatis; quomodo per proportionem expoſuimus de beatitudine ſupernaturali. Quare poſita eſſet in abſtractiva Dei cognitione ex creaturis, tum in amore naturali ſupra omnia, qualem poſtea docebimus eſſe admittendum. Vno verbo, illa beatitudo naturalis eſſet ſtatus bonorum naturalium aggregatione perfectus, quibus contenti viverent quicunque illam adepti fuiſſent. Quod autem ſpectat accidentalia hujuſmodi beatitudinis;

Dico III. Poſſet eſſe perpetua, aut non perpetua, pro libero Dei arbitrio. Item poſſet & ſtatus ille ſervari immunis ab omni peccato per media, ſeu auxilia quædam ſpecialia ordinis tantùm naturalis. Eo enim ſenſu dicitur ille ſtatus eſſe puræ naturæ, quòd non contineat beatitudinem ſupernaturalem, puta claram Dei viſionem; nec media ulla; ſeu gratiarum dona ſupernaturalia ad illam ordinata; ſed tantùm naturalia, cujuſmodi non repugnant de ſe; ut legere eſt apud Suarem De Gratia Proleg. 4. & paſſim in aliis; apud Turrianum in opuſculis: tum vulgò apud alios Theologos.

Dico IV. Beatitudo illa naturalis foret vera beatitudo, & in ſuo genere perfecta. Probatur authoritate Ariſtotelis, aliorúmque Philoſophorum, qui ſic aliquam admiſerunt eſſe poſſibilem

veram

veram hominis beatitudinem, cùm nullam agnoſcerent ſupernaturalem. Prob. ratione. Quia uniri cum Deo per cognitionem abſtractivam naturalem, tum per amorem ſupra omnia, adjunctâ etiam bonorum naturalium aliorum copiâ, quibus aliquis contentus vivat, eſt aliquod verum bonum: ergo eſt aliqua vera beatitudo. Item, eſt naturalis finis ultimus hominis: ergo eſt verum bonum, & beatitudo vera.

Dico V. Potuit homo creari in ſtatu illius beatitudinis naturalis. Quid enim repugnat? Item, potuit eſſe viator capax vitii & virtutis, bonarumque actionum moralium, quibus tenderet ad beatitudinem illam naturalem: nihil enim repugnat. Item potuit ad illam tranſire morte etiam priùs non obitâ. Prob. Quia iſta nullam involvunt contradictionem, pendentque à libero Dei arbitrio. Quanquam,

Dico VI. Potuiſſet Deus hominem, etiam culpâ vacuum morti priùs ſubjicere, cùm illum etiam abſolutè poſſet quocunque in ſtatu annihilare. Prob. Quia illud poſtulat ratio ſupremi dominii Divini, ut abſolutè poſſit etiam Angelos, mundumque univerſum annihilare. Et verò Deus plus habet poteſtatis in creaturam, quàm figulus in vas fictile. Ergo ſi pro ſuo libito abſolutè poteſt figulus vas ſuum perdere; ita à fortiori, juxta Apoſtolum ad Rom. 9. poteſt Deus abſolutè creaturam, aut conſervare, aut perimere, & in nihilum redigere, ut fuſiùs explicat Leſſius *De Dominio Dei.* Quod autem creaturæ rationali malum de facto nullum unquàm inferat, niſi culpâ aliquâ præſuppoſitâ, Benignitatis ejus eſt; non juris, aut poteſtatis defectus.

Quæ hactenus aſſertiones omnes ſunt contra Baïum, & Ianſenium. Neque adverſùs poſtre-

mam hanc dicant, non habere Deum injuſtum dominium, ut innocenti pœnam inferat: quippe quòd *ex ſuo quidem bonus eſt*, nempe cumulans beneficiis etiam eos qui nihil apud ipſum promeriti ſunt; *At ex noſtro eſt juſtus*, nullam ſcilicet pœnam inferens, niſi ob noſtram culpam. ꝶ. malum pœnæ ut pœna eſt, non infertur niſi ob culpam; nec malum quod innocenti inferretur à Deo haberet rationem pœnæ. Etſi autem pro ſua bonitate Deus homini mortem non inferat, niſi ob culpam, ut modò ajebam, poſſet nihilominus abſolutè citra omnem injuſtitiam, pro ſuo ſupremo dominio, creaturas etiam omnes alias & annihilare; tantùm abeſt ut ex juſtitia ipſe, aut quis alius præſtare illud teneatur, quod eſt puræ bonitatis, aut majoris bonitatis. Et verò ſi teneretur facere illud quod eſt majoris bonitatis, deberet tandem aliquando omnes damnatos ſalvare, quod aſſeruêre aliqui hæretici; tum eos unire ſibi hypoſtaticè, &c. Quæ per ſe omnino abſurda ſunt.

Dico VII. Poſſet Deus pro ſuo etiam libito, in eo ſtatu hominem mortuum, vel beatificare tantùm ſecundùm animam; vel ſuſcitare à mortuis, ut corpus fieret beatitudinis particeps. Nihil enim hæc repugnant. Nec opponas; illa reſurrectio foret ſupra vires naturæ; Ergo res non contineretur intra terminos puræ naturæ, deſtrueretúrque iſte ſtatus; quod eſt contra noſtram hypotheſim. Reſpondent quòd illa reſurrectio foret à Deo ut authore naturæ, & juxta exigentiam aliquam naturalem animæ rationalis, ſibi corpus tanquam proprium ſubjectum quod informet, connaturaliter appetentis. Sed *tranſeat*, hoc enim nihil moror. ꝶ. His terminis definiri tantummodo ſtatum puræ naturæ, de

quo

quo diſputamus; nempe ut neque finem ſupernaturalem, puta viſionem beatificam: nec media in ordine ad illum obtinendum ſupernaturalia contineat, quemadmodum ſupra monebam ad ſuppoſitionem 3.

CAP. VIII. *Solvuntur Objectiones.*

QVi contra ſummorum Pontificum decreta, puræ naturæ poſſibilitatem rejiciunt, eo maximè abutuntur argumento, quòd finem ultimum, veramque beatitudinem ullam adipiſci homo non poſſet. Sicque

Objic. 1. Debet hoc Deus ſuæ providentiæ & bonitati, ut hominem quem creat, ordinet proprium in finem. *Tranſ.* Atqui nullus ille alius eſt, quàm Deus ipſe ſupernaturaliter poſſidendus. *N.* Sufficeret enim poſſeſſio naturalis, per abſtractivam ipſius cognitionem, &c.

Inſt. 1. Debet ordinare hominem ad finem eum cujus eſt capax. *Diſt.* Sive ille ſit naturalis, ſive ſupernaturalis. *Tr.*

Inſt. 2. Debet ſuæ bonitati ut ordinet ad perfectiſſimum finem cujus ſit capax: Ergo ad ſupernaturalem. *N. Ant.* Neque enim, ut jam monui, tenetur facere id quod eſt in aliquo genere perfectiſſimum.

Inſt. 3. Cum Deus ſit agens perfectiſſimum, debet illius opus eſſe perfectum. *Tr.* Atqui non eſſet perfectum, niſi homo deſtinaretur ad finem ſupernaturalem. *N. min.* Foret enim illud opus perfectum ſaltem in ordine naturali.

Inſt. 4. Careret maxima perfectione, nempe illa ordinatione ad finem ſupernaturalem. *Tr.* Ergo eſſet quid imperfectum. *N. Conſ.* Nam illa perfectio major non eſt debita. Sic hominis natura non ideo eſt imperfecta, quòd careat

perfectione propria naturæ Angelicæ, quia hæc non eſt homini debita.

Objiciunt 2. Ille non eſt finis ultimus hominis proprius, qui non poteſt eſſe vera illius beatitudo. *C.* Atqui hæc cognitio Dei abſtractiva, & finis tantùm naturalis, non poteſt eſſe hominis vera beatitudo. Ergo non poteſt eſſe illius finis ultimus. Prob. min. *ex D. Auguſt.* Eam enim ſolam docet eſſe veram beatitudinem, quæ poſita eſt in Dei viſione. *Diſt.* Ea eſt tantùm vera Theologicè, id eſt, qualem tradunt Theologi eſſe hominibus de facto deſtinatam à Deo. *C.* Ea tantùm eſt vera philoſophicè, id eſt, juxta demonſtrationes philoſophicas, ex natura ipſius rei petitas *N.* Nota hic ſermonem eſſe de beatitudine ſaltem inadæquatè ſumpta, ubi ſermo eſt tantùm de viſione Dei, aut cognitione illius abſtractiva.

Inſt. In eo non eſt poſita hominis vera beatitudo, quod commune eſt bonis cum malis, aut etiam damnatis. Atqui cognitio Dei abſtractiva & per creaturas, communis eſt etiam damnatis, *v. g.* dæmonibus, qui perfectè ex creaturis cognoſcunt Dei exiſtentiam, multaſque ejus perfectiones. ℞. Non eodem modo eſſe communem beatis, ac damnatis. Nam in beatis reperitur juncta cum amore & gaudio, ſine admixtione ullius mali. Sed in Dæmone, aliiſque damnatis non eſt niſi ad majus ſupplicium. Et verò beatitudo definiri ſolet, *Bonum, quod ſit bonorum omnium aggregatione perfectum*; ac proinde mali expers. Alioquin beatitudo illa non foret niſi incompletè aut inchoativè beatitudo. Nec Dei cognitio affert beatitudinem, niſi ſub certis circumſtantiis; cum è contra ſub aliis poſſit eſſe cauſa majoris tormenti; ut in damnatis.

No-

Notandumque eſt, ſic beatitudinem naturalem poſſe fieri inæqualem in diverſis, pro diverſitate meritorum, ſi Deus aliis majorem ſui communicaret cognitionem, cum majori amore & gaudio. Quomodo per proportionem diximus de beatitudine ſupernaturali.

Inſt. 2. Illa non eſt vera beatitudo quæ perfectè non ſatiat appetitum. Atqui talis foret beatitudo puræ naturæ. Nam illam poſſidens torqueretur nihilominus deſiderio viſionis beatificæ, quam, ut inquit D. Th. 1. p. lumine naturali cognoſcimus eſſe poſſibilem. Certè nemo verè eſt beatus qui non habet id quod appetit. *Diſt.* Quod appetit appetitu efficaci; habet enim adjunctam anxietatem, & dolorem *C.* appetitu ſimplicis complacentiæ *N.* Sic autem ſolummodo appeteretur. Nam cognoſceretur viſio Dei intuitiva pro eo ſtatu eſſe impoſſibilis; quare quæ foret in hujuſmodi Beato ſapientia, & voluntatis rectitudo, illam non appeteret efficaciter; alioquin ſtultè ageret. Item cùm omnis beatus ſit perfectè amans Dei, habet conſequenter perfectam cum Divina voluntate conformitatem, ſuáque ſorte contentus vivit.

Inſt. 3. Illa non eſt vera beatitudo quæ non eſt mali expers. Atqui beatitudo naturalis non eſſet mali expers: ergo, &c. *Prob. min.* Quia facilè poſſet in ea peccatum contrà legem naturalem admitti: ergo non eſſet expers mali, quo nullum aliud eſt majus. *Prob. Ant.* Quia in eo ſtatu non eſſent impeccabiles; unde enim illius impeccabilitatis principium? Neque verò poteſt quis diu ſervari immunis à peccato, ſine auxilio gratiæ ſupernaturalis, cujuſmodi nulla eſt in ſtatu naturæ puræ: nam Adamus, & Angeli, quantumvis inſtructi gratia ſupernaturali, potue-

potuerunt nihilominus peccare: ergo à fortiori qui auxilio illo deſtitutus foret. Ergo etiam poſſet hac ratione amitti illa beatitudo; nec de illius poſſeſſione forent ſecuri: quæ res maxime turbare deberet omnem beatitudinem. ℟. Etſi finem habitura eſſet illa beatitudo, non deſineret eſſe beatitudo ſecundùm eſſentialia; nam, ut ſupra dictum eſt, perpetuitas non eſt de eſſentia beatitudinis, ſed aliquid tantùm ipſi accidentale. Item, Qua ratione Deus in providentia gratiæ ſupernaturalis modum inſtituere poteſt, non tantùm quo liberemur à culpa, ſed etiam quo poſſint homines ab ea prorſus ſervari: ita per proportionem in providentia puræ naturæ poſſent homines ſanari, aut etiam ſervari ab omni peccato per media ordinem ſupernaturalem non attingentia, ut Suarez loco citato docet ex communi ſententia; quanvis huic repugnent alii. Ita communis Doctorum ſententia fert de pueris morientibus abſque baptiſmo: eo enim in ſtatu futuri ſunt per totam æternitatem, ut contra legem naturalem actu non peccent; quod tamen non habent per auxilia gratiæ ſupernaturalis, quæ de ſe ordinatur ſolùm ad viſionem beatificam.

Objic. 3. Non poteſt conſtitui homo in ſtatu ullius beatitudinis, quin teneatur imprimis amare Deum ſupra omnia; ne quid dicam de aliis virtutum actibus: hoc autem non fit niſi per auxilia gratiæ ſupernaturalis, ut vulgò tradunt Theologi: ergo illa beatitudo non eſſet puræ naturæ: ergo repugnat omnis beatitudo puræ naturæ. ℟. Vnam eſſe ex propoſitionibus quas damnarunt Summi Pontifices contra Baïum, & Ianſenium, qua negant Deum, ut authorem naturæ, ſic poſſe viribus naturæ à nobis diligi.

diligi. Et verò illud per ſe non repugnat; ſi ſaltem auxilium aliquod ordinis etiam naturalis acceſſerit, quo difficultates hîc occurrentes ſuperentur; ut aliàs commodiùs declarabitur. Sed præterea ℟. 2. Cum Card. de Lugo *Diſp.* 9. *De Fide. ſect.* 1. Cum Leſſio *In apologia de gratia efficaci.* Cum Salas, Coninch, Granado, &c. Licet diſſentiat Suares nonnullique alii; Deum quoque ut authorem donorum ſupernaturalium poſſe à nobis diligi per actum naturalem, etiam ex eodem motivo quo diligitur per actum charitatis theologicæ ſupernaturalis: nec conſequenter illi actus inter ſe differunt ratione objecti, aut motivi, ſed tantùm ratione principii effectivi, ſeu facultatis, aut habitus à quo procedunt; quo pacto per proportionem viſio mei oculi quâ percipitur leo, tùm viſio quâ idem leo percipitur ab intellectu Angelico, & humano differunt inter ſeſe ratione principii à quo producuntur. Prob. Reſponſio. Quia nihil impedit quominus Deus per vires naturæ ametur propter ſuam bonitatem, quæ per diſcurſum philoſophicum ex creaturis fiat evidens: imò quantò majus eſt bonum ſive naturale, ſive ſupernaturale quod repræſentatur nobis, tantò majori cum voluntatis propenſione ad illud afficimur: ut ſi quis apud ipſos etiam infideles diſſerat de æterna beatitudine quam Deus Sanctis præparavit. Ita poſſumus idem objectum ſupernaturale, puta viſionem beatificam, cognoſcere, & appetere, tum per actus naturales, tum ſupernaturales. Quomodo è contra nihil eſt tam naturale, & vile quod cognoſci non poſſit per cognitiones non modò naturales & materiales, ſed etiam intellectuales humanas, aut Angelicas, tum naturales, tum & ſupernaturales.

Inſt.

Inſt. Actus hujuſmodi facultatum diſtinguuntur inter ſe per ordinem ad diverſa objecta; ergo ſpecificantur quoque, ſeu conſtituuntur in ſua tali ſpecie per ordinem ad talia objecta. ℞. Non tantùm; ſed etiam per ordinem ad ſua principia. Sic enim viſio corporea, & ſpiritualis ejuſdem objecti inter ſe diſtinguuntur ſpecie, quia diſtinguuntur genere; neque enim poſſunt ea eſſe ſpeciei ejuſdem, quæ ſunt generis diverſi; ut commodiùs in Tract. de Anima explicari ſolet. Et verò etiam, quidni qualitas naturalis, à ſupernaturali dicatur abſolutè, & ſufficienter diſtingui per ipſammet ſuam entitatem, ſeu per principia ſui intrinſeca; quo pacto per proportionem dicuntur inter ſe diſtingui entitates materiales, & ſpirituales?

Inſt. Fruſtra ergo aſſignarentur aliqui actus ſupernaturales circa objecta illa. *Nego. ſeq.* Non enim Deus nos diſponit ad objectum ſupernaturale hujuſmodi promerendum, niſi per actus ejuſdem ordinis; ut pro ſua ſapientia ſervet proportionem inter meritum & præmium. Quamobrem docet nos fides exiſtere habitus infuſos. Quanquam non nego eſſe aliquos actus ſupernaturales, qualis eſt clara Dei viſio, quorum objectum non poſſit attingi per actus ordinis naturalis.

TRA-

TRACTATVS II.
DE ACTV MORALI, SEV HVMANO.

PRÆFATIO.

De variis actus humani principiis in communi; tum in primis de ſupernaturali.

BEATITVDINEM, *quæ eſt ultimus hominis finis promeremur humanis actibus. Neque enim adultis ſaltem, ſeu qui uſum rationis attigerunt, ipſa conceditur à Deo, niſi tanquam bonorum operum merces; ut docet Chriſtiana Fides.*

At eorum principia quidem effectiva, ſunt vel innata, ut Intellectus, & Voluntas libera: vel infuſa, ut gratia ſupernaturalis: vel acquiſita, ut habitus virtutum moralium: vel directiva, ut Lex; de quibus modò nobis diſputandum eſt: tum poſtea de nonnullis diviſionibus, nec non de bonitate, & malitia ipſorum actuum diſſeretur. Quod quidem priuſquam aggredior,

SVPPONO *Beatitudinem illam, utpotè ſupernaturalem, iis tantùm hominibus deſtinari, qui ſint elevati ad ſtatum gratiæ ſupernaturalis; nec poſſe cadere ſub meritum niſi eorum actuum qui ſint ſupernaturales, & à principio gratiæ ſupernaturalis. Quorum quidem terminorum intelligentiam cùm Philoſophum moralem fugere non deceat, proſitque omnino ad res alias explicandas;*

SCIENDVM *eſt obiter, Gratiam latè ſumptam, idem eſſe quod donum gratis collatum; ac primò quidem tribuitur amori, qui vocari ſolet primum donum,*

donum, & aliorum radix, ita ut in phraſi ſcripturæ ſacræ, amari ab alio, idem ſit quod apud illum gratiam inveniſſe : hucque ea revocantur quæ amorem conciliare ſolent, eamque ob cauſam gratiæ *nuncupantur. At maximè tribuitur* gratia *illi dono quod gratuitò & ex amore confertur : dicitur autem gratuitum, cùm neque meritis, nec perſonæ dignitati debetur, neque etiam ex ipſius rei principiis intrinſecis exigitur.*

Iam verò ut agamus de eâ quæ propriè dicitur gratia more ſcripturæ ſacræ, tum more Conciliorum contra Pelagianos; explicandæ ſunt variæ acceptiones, & diviſiones doni gratuiti, *ſeu rei illius quæ gratuitò ex amore, ut modò ajebamus, donatur.*

Ac primò quidem, omnia beneficia naturalia ſunt Dei dona gratis collata; ſolentque revocari ad beneficium Creationis, comprehenditque naturam, facultates naturales, concurſum Dei univerſalem, omniaque illa quæ ad ipſius conſervationem, & operationes naturales conferunt. At quæ propriè eſt gratia more S. Scripturæ, eſt donum ſupponens hanc naturam, ipſique indebitum, ſive ordinis ſimpliciter ſupernaturalis; ſive etiam fuerit ordinis tantùm naturalis. Quo pacto Suarez, Turrianus in opuſculis, & alii, gratiam dividunt in eam quæ eſt ordinis ſupernaturalis; tum quæ eſt naturalis. Hæc igitur erit prima diviſio gratiæ, nempe in gratiam Creationis; tum in eam maximè quæ dicitur ſalutis, ſeu cum ordine ad beatitudinem. At præterea

Gratia alia eſt externa, ut miracula, prædicatio Euangelii, externa protectio, cæteraque id genus, quibus tandem animus excitetur ad res Divinas, & ſupernaturales : alia verò eſt gratia interna, quæ nos internè afficit, ſive increata, ut cum dicitur Spiritus S. nobis donari, & in nobis habitare;

tare; ſive creata, ut qua anima, ejuſque potentiis inhæret.

Hæc porro dividitur in gratiam gratis datam; *& in* gratiam gratum facientem. *Etſi autem gratia omnis verè ſit gratis data, illi tamen ex communi uſu loquendi hoc nomen attributum eſt, quæ confertur ad aliorum utilitatem, ac ſalutem; ut donum prophetiæ, donum miraculorum, &c. Cùm è contrà* gratia gratum faciens *ſit tantùm ad ſanctificationem illius cui confertur; nomenque illud* gratiæ *ſimpliciter obtinuit, propter excellentiam ſuam, nec ferè de alio genere gratiæ in hoc Tractatu ſermo nobis futurus eſt. Dividitur autem hæc gratia in* habitualem, *&* actualem.

Habitualis eſt qualitas in ipſa animæ ſubſtantia permanenter inhærens, ut ſcribit D. Th. per quam homo redditur formaliter Sanctus, ſeu Iuſtus, & Deo gratus, per quam etiam conſtituitur in eſſe filii ejus adoptivi, unde & jus habet ad vitam æternam, nec perditur niſi per peccatum mortale. Quinetiam hæc qualitas gratiæ ſanctificantis dicitur quoque Sanctitas ipſa creata, ſeu Iuſtitia, ejuſque acquiſitio ideo vocatur ſanctificatio, ſeu juſtificatio. Item per hanc dicimur fieri conſortes Divinæ naturæ; *ſic enim elevamur ad eſſe Divinum per accidentalem hujuſmodi naturæ Divinæ participationem; eſtque in nobis principium radicale operandi juſta in ordine Divino. Quamobrem ſemper habet ſibi adjunctos, ſimulque Divinitùs infuſos habitus virtutum ſupernaturalium, per quas illius ordinis actus exerceantur.*

Iam verò ut gratia habitualis confertur quaſi ad eſſe, *id eſt, ad hoc ut ſimus ſancti, ita* gratia actualis *datur ad* agere, *id eſt, ut operemur actus ſanctitatis. Eam enim ob cauſam hæc vocatur* auxilium gratiæ actualis, *quòd vires naturales de ſe inſuffi-*

cientes

cientes elevet ad ſtatum ſupernaturalem; noſque excitet, & adjuvet ad actus virtutum ſupernaturalium exercendos; neque idcirco exiſtit in nobis niſi tranſeunter, tunc nimirum cùm incitamur ad agendum, & de facto agimus.

Notabis enim 1. Illa auxilia nihil eſſe aliud quàm motiones quaſdam cogitationum in intellectu; tum affectuum indeliberatorum in voluntate, quibus incitamur, inclinamurque ad bonum opus; quo pacto gratia actualis complectitur tum cogitationem intellectus præviam, tum affectum indeliberatum voluntati impreſſum.

Notandumque eſt 2. Piam illam cogitationem præviam dici ab aliis vocationem, *quia hominem quaſi vocat ad bene operandum: item, dicitur* illuminatio; *quia manifeſtat bonum quod ſequatur voluntas: item gratia actualis iſta vocatur* inſpiratio, *vel quia provenit à Spiritu S. qui ubi vult ſpirat; vel quia movet, excitatque voluntatem, unde & appellatur quoque* Tactus cordis, *ubi ſcriptura ſacra per* cor *ſignificat voluntatem. Item*

Not. 3. Gratiam actualem vocari modò præmotionem, & gratiam prævenientem, *aut* excitantem, *quia hominem non attendentem, & quaſi dormientem à ſomno excitat, mentem actualiter illuminando, & cor tangendo: ſicque etiam dicitur præveniens, quia antecedit actum voluntatis, illam priùs diſponendo, & incitando, poſita intellectus cogitatione, ſeu illuſtratione.* Item *dicitur* adjuvans & cooperans, *quia ſimul cum libero arbitrio ipſum juvando, in actum influit. Item dicitur* ſubſequens, *ubi ſupponit vel aliam gratiam, vel aliquem actum liberum ex gratia factum, ratione cujus detur. Ita Suarez. Item,*

Not. 4. Gratiam hanc eandem modò appellari ſufficientem, *ratione virtutis & poteſtatis quam habet*

habet ad inferendum piæ voluntatis opus. At modò appellatur efficax , *ſeu effectiva actu operis illius, quatenus voluntas ſic præventa , in virtute illius gratiæ infert actum , ſeſe ad illum determinando : alioqui foret inefficax , diceretur que purè ſufficiens, ſi voluntas pro ſuo libero arbitrio conſenſum negaret , illamque gratiam repudiaret. Ita enim copiosè Leſſius* in Tract. de Prædeſt. in Reſponſ. ad argument. XI. *Becanus,* in eodem Tractatu. *Maratius* De Gratia Diſp. 6. Sect. 19. *docent pendere à noſtra voluntate , ut gratia quâ prævenitur fiat vel efficax, vel inefficax.*

Notabis autem 5. *Ex ſuperiori diviſione gratiæ gratum facientis , actualem hujuſmodi , appellari etiam* gratum facientem, *non quidem formaliter, quod eſt proprium gratiæ habitualis , ſed cauſaliter ſaltem , quatenus per opera gratiæ actualis vel acquiritur ſanctitas , vel augetur meritoriè. Ac tandem*

Not. 6. *Deum ex Chriſti Domini meritis, inſtar Solis cujuſdam omnes tam reprobos, quàm prædeſtinatos , quantùm eſt ex ſe, illuminare offerendo gratias ſufficientes omnibus qui illis uti poſſunt , id eſt , qui habent uſum rationis , ut ſi velint perveniant tandem ad ſalutem. Illi autem homines dicuntur* prædeſtinati , *quos Deus pro infinito veluti lumine ſuæ ſcientiæ ab æterno prævidet morituros in ſtatu gratiæ , ac proïnde ſalvandos.* Reprobi *verò ſunt ii quos prævidet morituros in ſtatu peccati mortalis , & conſequenter damnandos. Deum porro ſic omnibus offerre gratias ad ſalutem conſequendam ſufficientes, probatur. Primò, quia Chriſtus omnes ad ſe invitat, tum prædeſtinatos, tum reprobos.* 2. *Quia pro omnibus Sacramenta inſtituit.* 3. *Quia omnibus imponit præceptum Fidei , Baptiſmi & Pœnitentiæ : omneſque hortatur ad ſuæ legis cultum. Ac denique*

denique teſte ſcriptura ſacra vult omnes homines ſalvos fieri. 1. *ad Timoth.* 2. nolens aliquos perire. 2. *Petr.* 3. *Et verò Baii & Janſenii propoſitionem, quâ docebant Chriſtum eſſe duntaxat mortuum pro ſalute prædeſtinatorum, damnavit Innocentius* X. *tanquam* impiam, blaſphemam, contumelioſam, Divinæ pietati derogantem, & hæreticam. *Sic igitur in voluntate hominis ſitum eſt, ut gratiam Dei oblatam vel recipiat, vel repudiet. Nam quod legitur in enchiridio Concilii Colonienſis*, Vt oculus Solem videre non poteſt, niſi Solis lumen oculum præveniat, ut videat: tamen Sole lucente qui ſuper omnes oritur, homini liberum eſt oculos claudere, ne Solis lumen admittat; aut aperire, ut recipiat. Haud ſecus impio liberum eſt præveniente ſe illuminationis Divinæ gratia à peccato reſurgendi, eam vel accipere, vel non recipere.

Atque his ſuppoſitis, quæ ſunt humanorum actuum principia infuſa, *jam agam in particulari de* innatis, *nempe de Voluntario, & de Libero; tum de directivo; nam de acquiſitis, nempe de habitibus virtutum moralium, ſuus erit poſtea locus dicendi proprius.*

TRA-

TRACTATVS II.
DE ACTV MORALI, SEV HVMANO.

DISPVTATIO I.
DE VOLVNTARIO.

CAP. I. *Natura Voluntarii.*

C*Onfunduntur* ſæpe, & ſumuntur pro eodem *ſpontaneum*, *voluntarium*, *& liberum*. Quanquam

Notabis, Spontaneum propriè illud dicitur, quod fit à principio intrinſeco, ſeu ex propria cauſæ agentis inclinatione, ſive agat ex cognitione, ut canis ſponte currens ad prædam; ſive non agat ex cognitione, ut cum dicitur lapis ſponte cadere deorſum. At ſecundùm Ariſtotelem magis propriè dicitur ſpontaneum, quod eſt non modò ex inclinatione, ſed etiam & ex rei cognitione.

Dico autem I. Voluntarium propriè, inquit Ariſt. illud dicitur cujus principium eſt in agente cognoſcente ſingula in quibus eſt actus. Vel ut clariùs loquar, eſt id quod procedit ab agente juxta ipſius inclinationem, tum ex cognitione ſingulorum, id eſt circunſtantiarum, ſaltem earum quæ præcipuæ ſunt ex parte objecti. Quare

Not. 1. Voluntarium propriè ſumptum has involvere conditiones. 1. Debet eſſe à principio intrinſeco, id eſt, cum inclinatione voluntatis in objectum; ſicque opponitur violen-

tiæ, & coactioni. 2. Debet fieri ex prævia cognitione. Et verò illa eſt natura omnis appetitus, ſive rationalis qui eſt homini communis cum Angelo; ſive ſenſitivi qui perinde reperitur in brutis, ac in homine, illa eſt, inquam, appetitus tum rationalis, tum ſenſitivi natura, ut non agat, id eſt, non amet, non deſideret, non triſtetur, non gaudeat, &c. niſi ex prævia cognitione juxta illud, *ignoti nulla cupido.* Quo pacto ſenſitivus regitur cognitione ſenſitiva, & imaginatione: rationalis autem intellectiva. At nondum ex illis conditionibus voluntarium differt à ſpontaneo, niſi tertiam hanc addideris, nempe ut ſit ex cognitione circumſtantiarum, quæ ſaltem præcipuæ ſunt. Quamobrem ſi quis venator occidat hominem in ſylva deliteſcentem, quem prudenter credat eſſe feram, non dicitur ille actus eſſe voluntarius quatenus eſt occiſio hominis. Item

Not. 2. Voluntarium propriè tantùm convenire appetitui rationali, eamque ob cauſam iſte ſolùm propriè appellatur *voluntas*; quia ſolus regitur ab intellectu, à quo duntaxat illæ objecti circumſtantiæ conſiderari, & comprehendi poſſunt; nec proinde appetitus in brutis dicitur voluntas, niſi latè, & impropriè. Item

Not. 3. Voluntarii, ſeu actuum qui pendent à voluntate duplex eſſe genus; nam ex illis alii dicuntur *eliciti*, quos nempe ipſa per ſe & immediatè emanat voluntas; quales ſunt actus amoris, odii, triſtitiæ, &c. Alii dicuntur *imperati*, qui ſcilicet ab aliis facultatibus ſive animi ipſius, ſive corporis procedunt ex imperio, & applicatione voluntatis. Ita *v.g.* motus mei brachii dicitur voluntarius, cùm ille motus

tus ſit pro nutu, & imperio meæ voluntatis. Item

Not. 4. Voluntarium quoque illud dici aliquando, quod fit concomitante voluntatis complacentia, quanvis neque eliciatur, neque imperetur à voluntate. Quo ſenſu ajunt proceſſionem Filii à Patre in Divinis eſſe voluntariam. Item,

Not. 5. Aliquid poſſe dici voluntarium ex parte actus, quia ſcilicet eſt actus voluntatis, puta actus triſtitiæ, & doloris; quod tamen non eſt voluntarium ex parte objecti. Præterea verò

Dico II. Variæ ſunt ſpecies voluntarii. Primò enim aliud eſt directè voluntarium; nempe quod per ſe & poſitivè procedit à voluntate; ut boni alicujus proſecutio: aliud autem eſt indirectè voluntarium; quando quis non agit cùm poteſt, & debet; illud enim quod inde eſt conſequens cenſetur voluntarium. Ita ſubmerſio navis tribuitur nautæ qui negligat debitam operam adhibere ut ne pereat. Ita ſceleri alicui non reſiſtens, cùm poteſt & debet, cenſetur illud velle.

Item, Aliud eſt voluntarium ex propria voluntatis determinatione; unde nimirum voluntas poſitis omnibus requiſitis ad alterutrum, ſeſe ipſam ad aliquid determinet. Vt quando me determino ad loquendum, cùm potuiſſem non loqui; id eſt, cùm ante actum haberem voluntatem indifferentem ad alterutrum; quam ob cauſam dicitur eſſe illud voluntarium ex antecedenti indifferentia ad alterutrum. Contrà autem aliud eſt voluntarium prædeterminatum, ſeu ex antecedenti determinatione, quando voluntas in actum non prodit, niſi ad eum prævia

quadam motione determinetur, ita ut ſub illa motione prædeterminativa non poſſit præſtare oppoſitum. Quare

Notandum eſt, omne voluntarium prædeterminatum idem eſſe ac neceſſitatum, ſeu ex antecedenti neceſſitate ortum. Cùm enim illi prædeterminationi voluntas nequeat reſiſtere (ut quidem ſupponimus cum iis qui vulgò diſputant de prædeterminatione) conſequens eſt ut tunc voluntas agat neceſſariò neceſſitate antecedenti; quia ſic non poteſt non agere; eſtque illa ſimpliciter & abſolutè dicta neceſſitas, tunc maximè cùm à noſtra voluntate non pendet ut habeatur, aut non habeatur prædeterminatio illam voluntati neceſſitatem operandi inferens.

Notandumque eſt, duplex hoc loco recenſeri genus neceſſitatis. Alia enim eſt *antecedens* actum voluntatis, opponiturque *antecedenti indifferentiæ*, vocaturque etiam *abſoluta* neceſſitas. Alia autem eſt neceſſitas tantùm *conſequens* ad actum, & *hypothetica*; quomodo ex hypotheſi quòd loquor, neceſſariò loquor; neque in illa hypotheſi quòd loquor, poſſum non loqui; quanquam abſolutè loquendo, & antecedenter poſſum aut loqui, aut non loqui.

CAP. II. *De Involuntario.*

I*Nvoluntarium* eſt id quod opponitur voluntario, ſeu quod ipſum deſtruit, per defectum alicujus ex conditionibus requiſitis ad rationem voluntarii, duplexque eſt juxta Ariſt. alterum ex violentia, ſeu ex coactione; alterum autem ex ignorantia. Violentia enim contraria eſt inclinationi quæ imprimis facit ad rationem voluntarii; ignorantia autem impedi

alte

alteram ex conditionibus ad illud etiam requiſitis, nempe cognitionem. Atque ut primùm agam de violento, definiri ſolet; *id quod fit à principio extrinſeco, renitente paſſo.* Vt, quando lapis projicitur ſurſum.

Notandumque eſt, præterea huc revocari violentiam quoad vim activam privativè ſumptam; ut ſi cui cauſæ naturali jam ultimò diſpoſitæ ad agendum, denegaretur concurſus univerſalis Divinus, connaturaliter agenti creato omni debitus. Quinetiam & potentia paſſiva dicitur pati violentiam in ſuo genere: ut ſi aqua proprio frigore deſtituitur; aut formam contrariam ſui deſtructivam recipit. Atque his ſuppoſitis

Dico I. Voluntati poteſt vis inferri quoad actus imperatos; id eſt, quoad actus *v. g.* membrorum externorum corporis. Sic enim quis poteſt moveri aliam in partem, aut alio detineri in loco quàm vellet. At

Dico II. Voluntas quoad actus elicitos vim pati non poteſt. Prob. Quia actus volitionis non eſt à principio extrinſeco, ſed ab ipſa voluntate elicitus. Ergo jam ex eo capite non eſt violenta volitio. Item, ille actus fit ſemper juxta inclinationem voluntatis; eſt enim vel volitio boni, vel nolitio mali; quæ actiones ut ſic conformes ſunt inclinationi voluntatis, Ergo, &c.

Dico III. Concupiſcentia prout ſignificat amorem, deſiderium, iram, aliosque id genus appetitus ſenſitivi motus, auget voluntarium. Prob. Quia facit ut majori cum inclinatione & quaſi impetu voluntas feratur ad objectum ſuum, ut oſtendit experientia. Hæc autem inclinatio ad objectum eſt præcipua pars conſtitu-

ſtitutiva voluntarii. Ergo ſic augetur voluntarium.

Notandumque eſt, voluntatem ab appetitu ſenſitivo ſic moveri & excitari non formaliter & directè, ſed tantùm indirectè, & ex parte objecti; quia ſcilicet inde fit ut intellectus vi majori intendat in illud objectum, ac facilè judicet eſſe amandum & proſequendum. Nam ex Ariſt. 3. *Eth. c.* 4. Vt quiſque affectus eſt, talis ipſi videtur finis; ac proinde voluntas ad illud objectum magis afficitur. Quò ſpectant ſacræ ſcripturæ, dum legimus Eccleſ. 18. *Poſt concupiſcentias tuas non eas.* Item Danielis 13. *Concupiſcentia ſubvertit cor tuum.*

Objic. Concupiſcentia perturbat & minuit uſum rationis. Ergo minuit voluntarium. ℞. Si ita perturbat uſum rationis, ut nullus ſit; nullum fore voluntarium propriè, ſed duntaxat ſpontaneum. At ſuppono remanere ſufficientem uſum rationis. Vnde ℞. 2. Quanvis illa cognitio & uſus rationis minuatur, augetur tamen voluntarium, quatenus augetur inclinatio voluntatis, quæ eſt pars præcipua voluntarii.

Inſt. Ex D. Th. Concupiſcentia minuit peccatum, quia minuit voluntarium. ℞. Hic ſumi latè voluntarium pro libero: poteſt autem minui liberum, dum augetur voluntarium, ut tradam poſtea.

Dico IV. Metus non minuit per ſe voluntarium, quando res fit ex metu. Prob. Quia potiùs facit voluntarium: quod enim facit ut rem velimus, facit voluntarium: atqui metus (ubi eſt *v. g.* periculum naufragii) facit ut nauta velit projicere merces in mare: ergo ſic facit per ſe voluntarium. Etſi autem ægrè fiat illa projectio, (unde dicatur eſſe involuntaria ſecundùm quid,

quid, quia fit minori cum inclinatione voluntatis;) non oritur illud ex metu, ſed tantùm ex dolore, & triſtitia jacturæ illius; neque enim idem ſimul eſſe poteſt motivum volitionis, & nolitionis, ſeu nolleitatis. Quare

Not. 1. Per accidens duntaxat hoc pacto minui voluntarium ex metu, quatenus per metum projiciuntur merces in mare, quarum jactura conſequenter parit ægritudinem. At

Not. 2. Aliquid fieri cum metu, quod tamen non fiat ex metu. Vt quando quis furatur ex cupiditate habendæ pecuniæ. Ille autem metus concomitans non minuit voluntarium; cùm potiùs ſignum ſit maximæ cupiditatis, quæ non impediatur per metum gravioris mali impendentis ex furto.

Objic. Donationes, emptiones, venditiones, aliique contractus facti ex metu, ſeu potiùs metu extorti irritari ſolent. Ergo hæc non erant voluntaria: neque in iis rationem voluntarii deſtruere quidquam aliud potuit quàm metus. Ergo tantùm abeſt ut metus faciat voluntarium, cùm potiùs ipſum deſtruat. Eos autem contractus non eſſe voluntarios probatur, quia alioquin jure naturæ forent validi; neque ita reſcindi poſſent. ℞. Eſſe voluntarios, nec voluntarium in iis per metum deſtrui. Irritantur nihilominus, nullique ſunt, quia jus ipſum naturæ & civile præterea exigit, ut ex liberrima voluntate fiant: alioquin inde ſequerentur magna incommoda, ſi res id genus quæ metu graviori extortæ ſunt, valerent, aut reſcindi non poſſent. Et verò etiam multa imperant leges, non tamen obligando ſub illo onere, ſeu in illa circunſtantia. Quomodo ſi quis die feſto non iret ad ſacrum, ne incurreret in eum à

quo ſciat parari ſibi inſidias in via. Quanquam nullus eſt metus quantumcunque gravis, qui excuſet in iis quæ de ſe, ſeu ex naturâ ſuâ mala ſunt, quale eſt *v. g.* mendacium, blaſphemia, &c. quæ legibus negativis prohibentur, ut poſtea videbimus.

Dico V. Voluntarium poteſt omnino tolli per ignorantiam. Quod quidem ut ſtatuatur,

Suppono ignorantiam eſſe carentiam cognitionis illius quæ nobis ex officio deberet inexiſtere. Alioquin privatio cognitionis, ſeu ſcientiæ non debitæ, vocatur potiùs *neſcientia*. At

Not. 1. Aliam eſſe ignorantiam *Iuris*, ſive naturalis, ſive poſitivi; quando ſcilicet ignoratur præceptum quo aliquid aut imperatur, aut vetatur: aliam autem eſſe *facti*, quando ipſum factum ignoratur: ut ſi quis venator ubi occidit hominem, putet ſe tantùm occidiſſe feram.

Not. 2. Ignorantiam illam tam juris, quàm facti, vel eſſe *invincibilem*, vel *vincibilem*. Invincibilis ea dicitur quæ vinci non poteſt: id eſt, quando adhibita etiam ſufficienti diligentia res ſciri non potuit; unde & dicitur *antecedens* ad liberam voluntatis poteſtatem. Vincibilis contra, eſt quando ignoramus illud quod ſcirè potuimus, & tenemur: unde cenſetur volita, & *conſequens* ad liberam voluntatis poteſtatem.

Porro hæc vincibilis ignorantia iterum duas in ſpecies dividitur; altera enim eſt *ſimplex*, ſeu *craſſa* & *ſupina*: quando quis ex ſola negligentia rem non addiſcit, quam tenetur ſcire. Altera autem eſt affectata, quando quis directè ſcire illud non vult quod tenetur facere: hucque refertur illud ſacræ paginæ dictum; *non vult intelligere ut bene agat*. Atque his poſitis,

Dico

Dico V I. Ignorantia omnis invincibilis cauſat involuntarium, id eſt, rem facit eſſe involuntariam, excuſatque à peccato. Prob. Quia ignorantia hujuſmodi ſola eſt cauſa cur agas: cum autem nullò modo ſit volita, non cenſebitur quoque illud volitum quod ex ea conſequitur: ergo nec poterit eſſe peccatum; quia nihil eſt peccatum, niſi volitum. *Si cæci eſſetis, non haberetis peccatum.* inquit Chriſtus Dominus Ioan 9. Item cap. 15. *Si non locutus eis fuiſſem, peccatum non haberent.* Confir. Quia nihil eſt peccatum, niſi fiat cum rationis advertentia: quod hoc loco non contingeret, ubi nec cognitum foret, imò nec cognoſci poſſet illud quod maximè eſſet advertendum. Et verò etiam ſi teneremur illud facere, quanvis ita incognitum, ſequeretur nos teneri ad impoſſibile: quod falſum eſt, & hæreticum.

Dico autem V I I. Ignorantia vincibilis, facit quidem involuntarium ſecundùm quid; quia ſi rem ſciret ille qui agit, fortè non ageret, *factique pœnitet* ubi innotuit, inquit Ariſt. 3. *Eth. c.* 1. Vnde ſequitur eſſe quodammodo contra inclinationem voluntatis. At nihilominus.

Dico V I I I. Non efficit involuntarium ſimpliciter. Prob. Quia ut ignorantia vincibilis dicitur volita, ita & illud quod ex ea conſequitur, cenſetur volitum; neque excuſat à peccato, vel ab obligatione reſtituendi, ſi quis eam ob cauſam alteri injuriam fecerit.

Notandum verò eſt, Dogmatiſtas recentiores damnare peccati, non tantùm ignorantiam vincibilem, quæque ex ea inferuntur, ſed etiam & invincibilem, ſaltem quæ eſt juris naturalis. Sed repugnat univerſa Theologorum ſchola cum

D. Aug. lib. 3. de lib. arb. c. 19. dum ſic ait: *Non tibi deputatur ad culpam quod invitus ignoras, ſed quia negligis quærere quod ignoras.*

Objiciunt, *Ignorantiam* illam eſſe pœnam peccati originalis, & volitam ſaltem in Adamo; ipſeque David poſtulat veniam à Deo pro *ignorantiis*, tanquam pro peccatis; nec ſemel habet D. Aug. *ignorantiam & concupiſcentiam*, eſſe quædam mala. ℞. Etſi mala quædam ſunt; item quanvis ſint pœna peccati, non ſequitur eſſe peccata. Ita mors eſt malum quoddam, & pœna peccati, nec tamen ipſa eſt peccatum. Eam autem ob cauſam B. Aug. diſputans contra Pelagianos ſcribit *ignorantiam & concupiſcentiam* eſſe aliqua naturæ mala, quòd negaretur iſtud à Pelagianis, ne cogerentur admittere doctrinam de peccato originali, à quo neceſſe fuit ut proficiſcerentur, cùm ex ſacris literis habeamus hominem à Deo creatum fuiſſe *rectum*, cum integritate naturæ, &c. Quare defectus illi non fuerunt *primordia naturæ*, ſeu ab ortu cum ipſa natura conjuncti, uti quidem contendebant Pelagiani; quanvis de facto ſine culpa creatoris, naturæ primordia eſſe potuiſſent. Quemadmodum jam explicui *Tract.* 1. *Diſp.* 3. *c.* 1. ℞. 2. Nego ignorantiam illam eſſe quid à nobis volitum in Adamo. ℞. 3. Quando culpæ damnatur *ignorantia*, aut quando ſupponitur eſſe culpa, ut in allatis teſtimoniis, ſermonem eſſe tantùm de ignorantia vincibili.

D I-

DISPVTATIO II.
DE
LIBERO ARBITRIO.

CAP. I. *Supponuntur diverſæ ſpecies Voluntarii, & Liberi.*

SVppono 1. Voluntarium propriè illud dici, quod eſt à voluntate, ex cognitione circumſtantiarum quæ ſaltem præcipuæ ſunt. At voluntarium hujuſmodi aliud eſt ex prædeterminatione, & antecedenti neceſſitate; aliud verò contrà, fit prorſus ex antecedenti indifferentia, & poteſtate ad alterutrum, poſitis omnibus ad agendum requiſitis. Sed

Notabis varium *prædeterminationis* genus tradi à variis doctoribus. Primò enim alii *prædeterminationem* voluntatis explicant per influxum Dei, ut cauſæ primæ, cauſam omnem creatam ſibi in agendo ſubordinantis, illam applicando ad ſuos actus. Quod fuſiùs declaratur in Phyſica, ubi agitur *De ſubordinatione cauſæ ſecundæ ad primam.*

Secundus prædeterminationis modus, eſt eorum qui docent per judicium rationis practicè practicum, ut vocant, ſic voluntatem determinari, ut illo ſtante non ſit indifferens ad alterutrum, nec poſſit non operari: Quod rejicietur poſtea.

Tertiò verò alii maximè ex hæreticis ſupponunt voluntatem noſtram per peccatum originale læſam, debilitatam, & attenuatam fuiſſe in ipſis naturalibus, tum contraxiſſe proclivitatem ad bona ſenſibilia, quam etiam *concupiſcentiam* appellant, cui neceſſariò obtemperet, niſi dono

gratiæ ſupernaturalis præveniatur : ſicque voluntas noſtra, ut ajunt, ſublato gratiæ prævenientis auxilio, per impetum *concupiſcentiæ* prædeterminatur ad amorem rerum ſenſibilium rectæ rationi oppoſitum; neque ab eo veluti morbo ſanari poteſt, niſi per Chriſti gratiam, quam idcirco *gratiam medicinalem* appellant.

Notabis enim à dogmatiſtis recentioribus diſtingui duplex gratiæ illius actualis auxilium, ſeu adjutorium : & quidem ut ajunt, altera dicitur *Gratia ſanitatis*, ſtatus innocentiæ propria, in quo nulla exiſtebat *difficultas* concupiſcentiæ. Altera eſt propria naturæ lapſæ, quam, ut dixi, vocant *gratiam medicinalem*, tum ſpecialiter *gratiam Chriſti*, quia ſupponunt gratiam duntaxat naturæ lapſæ, ex meritis Chriſti nobis eſſe conceſſam à Deo, non autem gratiam naturæ integræ, quam ideo ſolùm nomine utrique communi vocitant *gratiam Dei.*

At fatentur quidem voluntati in ſtatu innocentiæ ineſſe vim illam, ut præventa gratiâ ſeſe ad opera pietatis pro libito aut determinet, aut ea omittat : negant autem idem fieri in ſtatu naturæ lapſæ. Docent enim modò voluntatem ſub gratia non habere vires determinandi ſeſe ad opus pium, cùm potiùs ab ipſâ gratiâ prædeterminetur, nec poſſe illi reſiſtere : quamobrem volunt gratiam hujus ſtatus propriam omnem eſſe efficacem; nullam quæ à nobis reddi poſſit inefficax.

Verùm etſi in illo caſu voluntas operetur neceſſariò neceſſitate antecedenti, ſtatuunt nihilominus ei ſufficere ad meritum, aut demeritum, quòd agat ſine coactione. Porrò quod ſpectat ad notionem *Liberi*,

Sup-

Suppono 2. Liberum in communi eſſe idem ac ſolutum ab aliquo vinculo vel coactionis,aut neceſſitatis; vel alicujus ſervitutis, aut rei cujuſpiam ſimilis. Sicque in ſacris literis dicimur *liberari à ſervitute legis Moſaïcæ*; *à peccato*; *à miſeriis hujus vitæ*; *à ſervitute corruptionis*, *in libertatem gloriæ filiorum Dei.* ad Rom. 8.

Sed in Philoſophiâ, & Theologiâ, Liberum latè ſaltem ſumitur pro ſpontaneo, & voluntario, quatenus omne ſpontaneum & voluntarium eſt liberum ab omni coactione. Cùm autem præterea voluntarium aliud ſit neceſſitatum, & quidem antecedenter, ut amor beatificus; aliud verò quod eſt liberum ab illa antecedenti neceſſitate: ideo præter libertatem à coactione,datur & libertas à neceſſitate, quam vulgò etiam appellant *libertatem indifferentiæ*, quia eſt à voluntate antecedenter ad actum indifferente, ſeu indeterminatâ; id eſt, quæ poſitis omnibus ad agendum requiſitis, poſſit pro ſuo libito ſeſe determinare ad alterutrum. Hæcque libertas indifferentiæ iterum eſt duplex: altera quæ dicitur libertas contrarietatis, per quam poſſumus alterutrum ex contrariis; puta, vel amare, vel odiſſe; altera eſt contradictionis, per quam poſſumus aut agere, aut non agere; puta, vel amare, vel non amare.

Huc porro accedit & *lubentia*, ut vocant, quando voluntas ex ſpeciali inclinatione & affectu, magis objecto adhæret, ſive neceſſariò id fiat, ſive non. Illáque lubentia ſæpe etiam confunditur cum voluntario,& libero latè ſumpto. Quæ cùm ita ſint,

Not. 1. Libertatem aliquam eſſe in nobis neceſſariam ad meritum,aut demeritum; illamque vulgò appellari *liberum arbitrium*. Quæ quidem

vox *arbitrium* ex communi uſu ſignificat non modò actum intellectus, cujus propriè eſt arbitrari; ſed etiam ſumitur pro ipſo voluntatis nutu, non tantùm actuali, id eſt pro ipſo actu voluntatis; ſed etiam pro habituali, id eſt, pro ipſa facultate agendi liberè. Item

Not. 2. Ex Fide Catholicâ eſſe omnino admittendum in nobis liberum arbitrium; contra Lutheranos & Calviniſtas, qui docent illud viguiſſe tantùm in ſtatu innocentiæ; ſed peccato Adami fuiſſe penitus deletum.

Notabis verò 3. Graviſſimam hiſce temporibus à Ianſenio Iprenſi Epiſcopo excitatam fuiſſe contentionem de natura liberi illius arbitrii, ſeu de libertate neceſſaria ad merendum, vel demerendum in hoc ſtatu naturæ lapſæ. Sequitur enim doctrinam initio hujus capitis ad primam ſuppoſitionem tertio loco explicatam; creditque ſufficere ad rationem liberi arbitrii, ſi quid fuerit voluntarium, etiamſi fiat neceſſariò; neque ad merendum, aut demerendum requiri neceſſariò libertatem indifferentiæ, quam eſſe nullam credit in hoc ſtatu; quoad opera ſaltem gratiæ. Id autem quod res eſt, diſtinctis aſſertionibus breviter expedio.

CAP. II. *Natura liberi arbitrii, ejuſque exiſtentia pro diverſis naturæ humanæ ſtatibus.*

Dico I. Homo in ſtatu innocentiæ, ſeu juſtitiæ originalis habuit libertatem indifferentiæ, non ſolùm quoad actus naturales, ſed etiam quoad ſupernaturales. Prob. Ex illo Eccleſiaſt. 15. *Deus ab initio conſtitui: hominem, & reliquit illum in manu conſilii ſui.* In hoc conveniunt tum Lutherani & Calviniſtæ, tum Baïani, Ianſenius, ac Theologi omnes Catholici. At

contra

contra Baïanos, Ianſenium, Lutheranos, & Calviniſtas,

Dico II. Liberum arbitrium per peccatum Adami non fuit læſum, aut diminutum in naturalibus, ſeu quoad vires naturales. Ita jam ajebam *ſuperiori Tractatu Diſp.* 3. *c.* 1. cum Bellarmino ex Suare, & D. Th. poſt peccatum remanere eadem naturalia, cum iiſdem tum corporis, tum animi facultatibus. Prob. ratione: eandem enim experimur nunc eſſe vim noſtræ libertatis, quæ foret in ſtatu puræ naturæ & non lapſæ. Quilibet enim ſentit ſe pro nutu ſuo poſſe tacere, aut loqui: ſedere, aut ambulare: emere, & vendere: ex officio parentem ſalutare, aut non ſalutare, &c. in quibus manifeſta eſt libertas indifferentiæ: quam quidem qui deneget, ſaltem in ejuſmodi naturalibus, non eſt cum illo agendum ratione, inquit Scotus, ſed tantùm verberibus, & tandiu contundi debet, dum fateatur te ceſſare tandem poſſe.

Dico III. Homo in hoc ſtatu naturæ lapſæ retinet libertatem indifferentiæ, etiam in actionibus ſupernaturalibus, nec gratia Chriſti illum ad agendum prædeterminat, neceſſitat-ve. Prob. ex 1. ad Corinth. c. 7. *Non habens neceſſitatem, poteſtatem autem habens ſuæ voluntatis.* Et verò ubi eſt vis eligendi alterutrum, ibi admittenda eſt libertas indifferentiæ: Atqui in nobis eſt vis eligendi alterutrum, etiam in actionibus ſupernaturalibus, nempe in iis quibus vitam æternam promereamur: Ergò in iis admittenda eſt libertas indifferentiæ. *Prob. min.* Vbi à Deo datur optio alterutrius, ſupponitur vis eligendi alterutrum: Atqui à Deo datur nobis talis optio in iis quæ ſpectant vitam æternam. Ita Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, ſerva man-*

mandata. Ioſuë 24. *Si malum vobis videtur ut Domino ſerviatis, optio vobis datur, eligite hodie quod placet.* Deuter. 30. *Teſtes invoco cœlum & terram quòd propoſuerim vobis vitam & mortem; benedictionem & maledictionem: elige ergo vitam ut vivas, & diligas Dominum Deum tuum.* Item, qui ſervat legem Divinam, ita ut potuerit non ſervare, habet libertatem indifferentiæ ad alterutrum: Atqui ſic loquitur ſacra ſcriptura Eccleſiaſtici 30. *Erit illi gloria æterna, qui potuit tranſgredi & non eſt tranſgreſſus; facere mala & non fecit.* Item gratia cui reſiſti poteſt, non prædeterminat, aut infert antecedentem neceſſitatem ad alterutrum: Atqui talis eſt Chriſti gratia interior nobis ad opus meritorium vitæ æternæ neceſſaria. *Prob. min.* Quia illi nonnunquam, imò ſæpè ſæpius reſiſtitur. Act.7. *Vos ſemper Spiritui Sancto reſtitiſtis.* Sic Trident. *Seſſ. 6. c. 5. & c. 4.* Vbi disertè ait poſſe à nobis abjici Spiritus Sancti inſpirationem. Ac tandem ut hac de re orta controverſia dirimeretur, ſic habet Innoc. X. contra Ianſenium; *Propoſitionem hanc,* interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur. *Hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.* Confir. Quia

Dico IV. Neceſſitas antecedens contraria illi indifferentiæ tolleret liberum arbitrium, ſeu libertatem ad merendum, aut demerendum neceſſariam. Ita quidem D. Th. *In quæſt. diſput. q. 6. de malo* cum omni Theologorum tam veterum, quàm recentiorum ſchola: ſed quia rem quoque iſtam maximè in controverſiam adduxerat Ianſenius, ideo ſic pronunciavit idem Innocentius X. *Propoſitionem hanc:* Ad merendum, & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas à neceſſitate, ſed

ſuffi-

ſufficit libertas à coactione : *Hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.* Prob. ratione: primò, quia ſi ad liberum arbitrium ſufficit libertas à coactione, nec requiritur libertas à neceſſitate, ſeu libertas indifferentiæ, non poterit afferri diſcrimen inter cauſam naturalem, & cauſam liberam. Ea enim dicitur *cauſa naturalis*, quæ poſitis omnibus requiſitis ad agendum, neceſſariò agit; nec poteſt non agere. Contra autem *cauſa libera*, ea ſemper dicta eſt, quæ poſitis omnibus ad agendum requiſitis, remanet de ſe indifferens ad alterutrum, dum ſeipſam ad unum ex oppoſitis determinet. Quamobrem agens liberum dicitur habere *dominium in ſuos actus*, quos nimirum poteſt pro ſuo libito vel non exercere, vel exercere.

2. Liberum arbitrium non eſt ſimplex voluntas, (quamvis hæc poſſit intelligi ſine coactione, qualis eſt voluntas beatitudinis ut ſic, quæ in nobis exiſtit neceſſariò :) nam liberum arbitrium eſt poteſtas eligendi : ergo ſine antecedenti neceſſitate, aut prædeterminatione ad unum; quia electio eſt inter multa : quamobrem electionem præcedit deliberatio; nec futura eſſet electio, aut deliberatio, ſi foret ad aliquid unum prædeterminatio.

3. Conſequenter, fruſtrà eſſent conſilia, exhortationes, præcepta, prohibitiones, præmia, &c. Neque enim aut pœnâ, aut præmio dignus quiſpiam juſtè reputari poſſet, qui illud ageret, quod non poſſet non agere. Sicque, ut loquitur D. Th. loco mox citato, ſubverterentur omnia Philoſophiæ moralis principia.

4. Nulla unquam fuiſſet quæſtio de libero arbitrio; neque Ariſtoteles reprehendi poſſet, ut inquit Bellarminus, quòd ſcripſerit Deum ex ne-

neceſſitate agere: neque ulla cum hæreticis remaneret controverſia. Nam neque Ariſtoteles, neque Manichæi, neque Lutherani, aut Calviniſtæ negarunt vel Deum, vel homines eſſe liberos à coactione. Ita profitetur Calvinus *lib.* 2. *in Pig.* Stare ſe pro libero arbitrio, ſi idem eſt ac voluntarium, aut liberum duntaxat à coactione. Ac Lutherus *lib. de ſer. arb.* ait hoc dogmate de voluntate neceſſitatâ, non autem coactâ, rerum ſuarum ſummam contineri, eóque Romanæ fidei jugulum peti. Et verò

5. Multa ſequerentur contra fidem de myſteriis tum gratiæ, tum prædeſtinationis, ac redemptionis, ſeu paſſionis Chriſti Domini. Nam primò, ſic conſequenter ſtatuunt adverſarii gratiam omnem ad operandum neceſſariam eſſe efficacem, nullamque eſſe tantùm ſufficientem cui reſiſti poſſit. Ac proinde 2. qui peccat, damnaturque, non habere à Deo auxilia ſufficientia unde ſalutem promereri poſſit. Nec 3. in illius qui peccat eſſe poteſtate ut non peccet, ſervetque legem Divinam; quia bonum illud opus à Deo imperatum implere non poteſt abſque auxilio gratiæ illius, quæ tamen ipſi denegatur; alioquin ſi adeſſet, non poſſet non bene operari. Vnde ſequitur 4. peccare aliquem in eo quod cavere non poteſt. Item, imperari à Deo impoſſibilia. Item, quicunque damnantur, aut ſalvantur, non poſſe non damnari, aut non ſalvari, ſicque induci damnatum antiquorum *fatum*, & rerum omnium humanarum inſuperabilem neceſſitatem. Item conſequenter, Deum non velle quantùm eſt ex ſe, omnes & ſingulos homines ſalvos fieri: nec pro omnibus prorſus hominibus Chriſtum eſſe mortuum; quæ quidem omnia dogmata non ſemel à Summis

mis Pontificibus contra Baïum & Ianſſenium reprobata ſunt. Et verò etiam ſi ita res habet, fruſtra eſt cura ſalutis, bonorum operum ſollicitudo, zelus animarum, &c. Omitto quòd vulgò ajunt fore ex adverſariorum ſententiâ, ut reperiatur uſus liberi arbitrii in pueris, furioſis, amentibus, ſomniantibus, imo & in belluis, quia ſponte agunt, & ſine ullâ coactione: ſed reſpondent ideo non eſſe in iis voluntarium, nec proinde liberum, quia non agunt ex cognitione circunſtantiarum, &c. At ſaltem negare conſequenter non poſſunt, quin amor beatificus ſit liberrimus; quin Deus pro libero arbitrio genuerit Filium; quoniam illum ſine coactione genuit, neque in iis abeſt cognitio perfecta: Hæc autem ſunt perabſurda, & contra SS. PP. ut legere eſt apud Bellarminum *lib. 3. de gratia & lib. arb. c. 5.*

Nec dicant adverſarii, ſufficere ad hanc libertatem, quòd voluntas remotè ſaltem illam potentiæ indifferentiam, ſeu indeterminationem retineat; vel ſi dicatur illam indifferentiam habere diviſim, ſeu in ſenſu diviſo, quatenus diverſis temporibus, aut ſub aliis circunſtantiis poteſt utrumlibet; quanvis proximè, & in ſenſu compoſito, id eſt, ſub illa præmotione, ſeu ſtante præmotione ſit determinata ad unum. Reſpondeo enim perinde eſſe ac ſi quis obductis oculis, vel potiùs in tenebris dicat ſe liberum eſſe ad videndum, etiam pro eo ſtatu, quia habet potentiam viſivam ſanam, per quam remotis illis impedimentis videret actu, &c. Certè difficultas eſſe non potuit de ſenſu diviſo, & de indifferentiâ remota, quando quæſtio de hac libertate indifferentiæ agitata eſt coram Summo Pontifice, & ab eo definita; quia nemo dubitavit unquam de illâ potentiâ remotâ, neque ullus

ex

ex hæreticis qui liberum arbitrium impugnant, negare iſtud voluit. Sed diſputatum eſt ſemper de ſenſu compoſito, num ſcilicet voluntas poſitis omnibus requiſitis ad agendum, id eſt, poſito judicio intellectus conſentaneo, tum poſitâ *exempli cauſa* motione gratiæ ad actum meriti prærequiſita, poſſit illam repudiare, & contrarium agere: alioqui diſputationi locus non fuiſſet. Neque verò etiam Tridentinum loquitur niſi de ſenſu compoſito, & de indifferentia proxima, dum ait, *ſi quis dixerit liberum arbitrium à Deo motum & excitatum non poſſe diſſentire, anathema ſit.* Quid enim eſt aliud *motum & excitatum*, niſi præſente & durante illa motione? &c. quæ aſſertione 3. ſuperiori obſervavimus. Neque enim inſpiratio, cui & per quam conſentimus, poſſet abjici, niſi præſens. Vide hæc iterum explicata adversùs prædeterminationem Thomiſtarum in Phyſicâ Vniverſali.

Fruſtra etiam reſpondent alii ſufficere ad libertatem indifferentiæ, quòd intellectus repræſentet objectum ſub indifferentia, oſtendendo illud de ſe poſſe *v. g.* vel amari, vel non amari. Contra enim eſt, nam illa repræſentatio intellectus una eſt ex iis conditionibus, quibus poſitis, debeat voluntas poſſe agere, aut non agere pro indifferentiâ quam habet ſibi inſitam: nec alioquin diceretur poſitis omnibus ad agendum requiſitis, habere dominium ſui actus. Certè motus gratiæ prævenientis qui vulgò dicuntur indeliberati, tum motus concupiſcentiæ non dicuntur liberi, ſiquidem non ſunt illi in noſtra poteſtate; cùm tamen ſæpe in nobis exiſtant manente judicio rationis indifferente circa illud objectum. Ergo illud non ſufficit ad libertatem arbitrii.

CAP. III. *Solvuntur objectiones.*

EA ſemper fuit conſuetudo hæreticorum, ut ſacræ ſcripturæ, & SS. Patrum authoritate abuterentur ad firmanda ſua dogmata: ſicque ajebat Calvinus totam eſſe ſuam ſacram ſcripturam; totumque Auguſtinum. Sed nihil probant ipſæ literæ ſacræ, aut SS. PP. niſi dum accipiuntur juxta ſenſum Eccleſiæ, quæ judex eſt controverſiarum in materia fidei; illaſque dirimit, vel per Pontificem qui eſt ſupremus Eccleſiæ paſtor; vel per Concilia à ſummo Pontifice approbata, quæ ipſam Eccleſiam repræſentant. Plures quidem è ſummis Pontificibus D. Auguſtini doctrinam commendant, tuenturque edictis graviſſimis, ubi agitur de gratia, & de libero arbitrio, quatenus docet contra Pelagianos hæreticos nihil poſſe à nobis fieri vitæ æternæ meritorium ſine Divina gratia. Verùm ut ſcribit ipſe Cœleſtinus Papa, *difficiliores partes intercurrentium aliarum quæſtionum, ſicut non debemus contemnere, ita non neceſſe habemus aſtruere.* Imò ſi quid contrarium traditur à ſummo Pontifice, ut ſcribit D. Th. quodl. 10. a. 16. *Magis ſtandum eſt illius ſententiæ, ad quem pertinet determinare de fide, quàm quorumlibet ſapientum opinioni.*

Notandumque eſt, ad ſolutionem eorum quæ proferuntur maximè ex D. Auguſt. ubi agitur de *neceſſitate*, diſtinguendum eſſe inter *neceſſitatem antecedentem* & *conſequentem*, qualem jam explicui. Præterea verò diſtinguendum quoque eſt inter *neceſſitatem ſpecificationis*; per quam *v. g.* non poſſum odiſſe bonum, aut amare malum; nec poſſum non amare beatitudinem ut ſic; tum inter *neceſſitatem contradictionis, aut exercitii*, per quam voluntas ſit ad unum hoc determinata; po-

poteſtque habere priorem neceſſitatem, cum libertate exercitii. Item ſic poteſt voluntas eſſe determinata ad unum objectum, cum dominio ſui actus, ad hunc, vel illum, ex tali, vel tali motivo exercendum: qua ratione explicatur D. Th. in 3. diſt. 18. q. 1. a. 2. ad 5. Item, ubi ſermo eſt de impoſſibilitate ad agendum, diſtingui debet inter *metaphyſicam* quæ abſoluta eſt, & ſimpliciter dicta impoſſibilitas: tum inter *moralem*, quæ nihil eſt aliud quàm maxima difficultas, & ægrè admodum ſuperanda. Item, ubi agitur de interitu liberi arbitrii per peccatum Adami, diſtingui debet interitus, vel *quoad vires illius ſupernaturales divinitùs infuſas*; vel *quoad naturales* quas diximus eaſdem remanere poſt peccatum. Quomodo etiam ubi videtur creari difficultas de Chriſti morte pro omnibus, ejuſque merito; diſtinguitur inter meritum *efficax*, & *non efficax*, concediturque Chriſtum non eſſe pro omnibus mortuum efficaciter, ob defectum qui reperitur ex parte ipſorum hominum. Atque his prætermiſſis, pergo ad ſolutiones difficultatum quæ doctrinæ de libertate hoc loco ſolent opponi.

Objic. 1. Poteſt tolli indifferentia ſtante libertate requiſitâ ad meritum, aut demeritum: ergo illa libertas non eſt poſita in indifferentiâ. *Prob. Ant.* Quia ſi quis ex conſuetudine peccandi habitum vitioſum contraxerit, unde inclinetur prorſus ad objectum malum, neque ullam in ſe ſentiat inclinationem ad bonum oppoſitum; tunc non habet indifferentiam ad alterutrum; nec tamen deſinit peccare admittendo malum: ergo ſublatâ illâ indifferentiâ non deſinit habere libertatem. ℞. In eo quidem caſu non habere indifferentiam contrarietatis, ſeu

ad

ad contraria: *Tr.* Sed habet ſaltem libertatem, ſeu indifferentiam contradictionis, unde poſſit non committere illud malum ad quod propendet ex habitu.

Inſt. Poteſt aliunde eſſe prædeterminatio, & agendi neceſſitas, ſtante libertate neceſſaria ad meritum, aut demeritum: ergo libertas ad id requiſita non eſt poſita in indifferentia. *Prob. Ant.* Quia voluntas non poteſt non agere juxta ultimum judicium intellectus, dictans hîc & nunc *illud* eſſe faciendum; quod vocant *judicium practicè practicum.* Prob. Quia nullus eſt actus voluntatis niſi conſequens ad actum intellectus, per quem proponatur objectum cui voluntas adhæreat; neque enim voluntas agere poteſt citra omnem actum intellectus. Ergo cum nullus ſit alius actus intellectus quem in eo caſu ſequatur voluntas, illum ſequetur neceſſariò, ſicque ab illo determinabitur. ℞. Per illum actum intellectus ita judicari aliquid eſſe hîc & nunc faciendum, ut ſimul repræſentetur poſſe non fieri, aut contrarium poſſe fieri, ſi libuerit: ac proinde judicium illud dicitur virtualiter duplex. Notabis porrò, Bellarminum eſſe quidem in ea ſententia de judicio practico voluntatis determinativo; ſed nihilominus tuetur libertatem ex eo, quòd doceat illud judicium eſſe in noſtra poteſtate, unde pro libito poſſit vel tolli, vel ſervari.

Inſt. 2. Determinatur voluntatis actus ad id quod judicatur majus bonum remanente libero arbitrio ad merendum neceſſario. Ergo, &c. *Prob. Ant.* Ille voluntatis actus eſt electio, quæ non cadit niſi ſupra id quod eſt magis eligibile; & conſequenter ſupra id quod eſt majus bonum. Et verò ut amor eſt alicujus boni; ita ele-

ctio

ctio quæ eſt major amor, ſeu amor unius præ alio, non poteſt non cadere ſupra illud quod judicatur eſſe præeligibile, ac proinde majus bonum. ℞. Voluntatem non determinari, ſed habere vim determinandi ſeſe etiam ad minus bonum, poſito ſimul illo præeligibili & majori bono, modò non ſit bonum infinitum clarè viſum; neque enim ab ullo finito determinatur, nec impedit dominium quod habet in ſuos actus.

Inſt. 3. Ex D. Aug. neceſſe eſt in eo caſu agere voluntatem ſecundùm id quod magis delectat: ergo ſecundùm majus bonum. *Diſt. Ant.* Neceſſe eſt ſecundùm quid, quatenus nimirum habet in eo caſu majorem propenſionem ad majus bonum. *Tr.* At non eſt illud ſimpliciter neceſſe; nam ut jam ajebam, poteſt etiam affici ad minus bonum, neglecto majori; ut patet quotidiana experientia.

Objic. 2. Eſt libertas in Deo, non autem indifferentia: ergo non eſt poſita in indifferentia. *Prob. Ant.* Quia indifferentia dicit imperfectionem; imperfectio autem non reperitur in Deo. *Diſt.* Indifferentia paſſiva qualis reperitur *v. g.* in materiâ primâ reſpectivè ad hanc, aut illam formam in ſe recipiendam, dicit imperfectionem. *Tr.* Indifferentia activa, per quam aliquis ſe determinet ad alterutrum. *N.*

Inſt. Non potuit eſſe illa indifferentia in Deo. Qui enim eſt actus liberæ voluntatis in Deo, puta creandi mundi, fuit ſemper, & ab æterno in Deo. Ergo non fuit ad illum indeterminatus. Alioquin debuiſſet priùs extitiſſe ſub ſtatu indifferentiæ, unde ad illum actum poſtea ſeſe determinaſſet. Atqui fieri hoc nequit ſine mutatione, cujuſmodi in Deum cadere nulla poteſt. Neque verò etiam in æternis reperitur

priùs,

priùs, aut poſteriùs; ut explicatur in Phyſica. ℟. Volitionem creandi mundum idcirco dici liberam in Deo, quia ſic in eo eſt ab æterno, ut perinde ab æterno potuerit eſſe nolitio creandi mundi; neque hîc fuit ullum prius, aut poſterius, cùm ad hoc non ſit neceſſe præextitiſſe ſtatum indifferentiæ.

Inſt. 1. actus liber dicitur eſſe ex antecedenti indifferentia: ergo debuit præextitiſſe: ergo ille actus non potuiſſet eſſe abſque mutatione in Deo. ℟. Non eſt neceſſe ut indifferentia illa antecedat poſitivè; ſatis eſt ſi negativè, hoc ſenſu, quod nihil antecedat prædeterminans, nempe quia ſic Deus vult ab æterno creationem mundi, ut ab æterno potuerit illam nolle.

Inſt. 2. Non minùs foret perfectus ille actus in Deo, quanvis eſſet neceſſarius, imò foret perfectior. Prob. Quia amor ille quo ſe amat Deus ex eo perfectior eſt, quòd ſit neceſſarius & abſque hujuſmodi indifferentia. Ergo à pari ℟. *Neg. par.* Eſt enim per accidens, nempe ratione objecti infinitè amabilis & perfectiſſimè cogniti, quòd amor ille ſit neceſſarius; ſicque amor qui eſt neceſſarius ex infinitate perfectionis quæ reperitur in objecto perfectior eſt libero. *C.* quanvis de ſe, abſtrahendo ab illa circunſtantia, libertas præſtantior eſt neceſſitate. Eſt enim in homine & Angelo perfectio quâ ſuperant bruta animantes; item eſt & in ipſo Deo, unde potuerit mundum pro ſuo libito non creare.

Inſt. 3. Neceſſitas illa qua beati vel vident, vel amant Deum, non impedit quominus vulgò à SS. PP. dicantur illi eſſe longè perfectioris libertatis, quàm ubi vitam hanc caducam trahebant. ℟. SS. Patres tunc maximè agere de libertate à peccato, & à miſeriis hujus vitæ quæ

perfruuntur beati; non autem de libertate naturali arbitrii. Neque enim SS. Patres volunt actus illos beatificos eſſe liberos, niſi fortè impropriè, quatenus libertas ſumitur prò lubentia. Quanquam extra beatificos actus non nego illos agere ex maximâ arbitrii libertate in multis quæ neceſſariam connexionem non habent cum viſione, aut amore beatifico; puta dum inter ſe colloquuntur, vel rebus noſtris intendunt, vel deambulant, &c.

Objic. 3. Fuit meritum in Chriſto Domino ſine libertate indifferentiæ, non tamen ſine libertate arbitrii ad id neceſſaria: ergo illa indifferentia non eſt de eſſentia libertatis ad meritum. *Prob. Ant.* Quia mors Chriſti fuit meritoria ſalutis noſtræ, ac proinde Chriſto libera, cum tamen ad eam eſſet antecedenter determinatus nec poſſet ſeſe illi ſubtrahere. Nam imperata illi erat à Patre; nec poterat detrectare imperium Patris; quia peccare non poterat; nec proinde Patri denegare obedientiam, quod ſine peccato præſtare non potuiſſet. Ergo non poterat non implere Patris mandatum ſubeundo mortem. Ergo illi mors erat neceſſaria, quanvis libera. ℞. Variis modis fuiſſe mortem Chriſto liberam ſufficienter ad meritum. Primò, quoad circunſtantias; quia poterat illam ſuſcipere ex tali, vel tali motivo; aut tali vel tali tempore; quam enim effugere mortem abſolutè non poſſum, dicetur nihilominus mihi libera, ſi illam ante prædefinitum tempus pro nutu meo ſubire voluero. Item mors Chriſto libera fuit etiam quoad ſubſtantiam, poteratque ſine peccato velle non mori, quia Patris mandatum non obligabat ſub pœna peccati. Item ex eo capite fuit ipſi libera, quatenus poterat obti-

nere

nere diſpenſationem illius mandati, quam noluit petere à Patre.

Inſt. Amor Chriſti in Deum, quo ſimul volebat ſalutem hominum; amor, inquam, ille erat in eo meritorius, & principium omnis meriti; & tamen erat neceſſarius, quia erat amor beatificus. Ergo libertas ad meritum ſimul poteſt eſſe cum antecedenti neceſſitate. *Diſtinguo.* Amor ille Chriſti quatenus terminatur ad Deum, eſt neceſſarius. *Tr.* At liber eſt quatenus terminatur ad homines quos vult ſalvare; cùm tamen potuiſſet illos juſtè damnare.

Objic. 4. Si voluntas in actu primo conſiderata habet indifferentiam & indeterminationem, non poterit explicari quomodo ab ea prodeat actus determinatus; neque enim is à cauſa ut indeterminata poteſt exiſtere. *Diſt.* Non poteſt à cauſa indeterminata non ſe determinante exiſtere. *C.* ſe determinante. *N.*

Inſt. Non poteſt ſe determinare, niſi ut ſubordinata Deo tanquam primo agenti à quo priùs determinetur. Alioqui explicari non poſſet quomodo ſervaret rationem cauſæ ſecundæ cum ſubordinatione ad primam. Quia præterea etiam habet hoc commune cum omni agente creato, ut determinetur ad actum in individuo per concurſum Dei ſimultaneum, ut docetur in Phyſicâ. Ergo non agit niſi priùs à Deo determinata. ℞. his difficultatibus ſatisfieri tantùm in Phyſica.

CAP. IV. *Solvuntur alia objectiones.*

OBjic. 1. Ex Hieremiæ 10. *Non eſt hominis via ejus, nec ut dirigat greſſus ſuos.* Quin potiùs Prov. 16. *A Domino diriguntur greſſus viri.* Quæ non poſſunt intelligi, ſi homo per liberum

arbitrium ſeſe ad alterutrum determinat. ℞ De facto non eſt hominis ſolius bene agere, aut rectè cogitare, maximè ubi agitur de rebus ad ſalutem pertinentibus, niſi præveniatur, illumineturque à Deo. At ipſe cum Deo, ſeu præventus, & adjutus à Deo præſtare illud poteſt.

Inſt. 1. Non aliam ob cauſam dicitur Deus corda hominum *quocunque voluerit inclinare.* Prov. 21. &c. ℞. Id fieri per internam ſuaſionem, immittendo cogitationes congruas, & excitando in voluntate affectus quoſdam indeliberatos, quibus ad conſentiendum pelliciatur. Quanquam non nego poſſe à Deo prædeterminari voluntatem ad aliquem actum: ſed in eo caſu voluntas non ageret cum ea libertate quæ eſt ad meritum, aut demeritum requiſita.

Inſt. 2. Ex 1. ad Corinth. 12. *Deus operatur omnia in omnibus.* Item Iſa. 26. *Omnia opera noſtra operatus es Domine.* Quæ cértè nequeunt explicari, ſi ad illa opera exercenda homo ſeſe determinet. ℞. Deus quidem per concurſum univerſalem ſimultaneum omnia operatur in omnibus, ſed non ſolus; ſiquidem cum illo ſimul agunt cauſæ ſecundæ, ut oſtenditur in Phyſica. Item, quod ad rem noſtram attinet; Deus quidem ut agens primarium voluntatem noſtram præveniendo, tum ſimul cum ea concurrendo omnia in nobis operatur: Verùm idcirco non excluditur liberi arbitrii cooperatio. Ita enim Apoſtolus 1. ad Cor. 15. *non ego*, inquit, *ſed gratia Dei mecum*, id eſt, non ego ſolus, nec ſola Dei gratia, ſed gratia Dei mecum operatur. Quo ſenſu etiam ad Phil. 2. dicitur *operari in nobis & velle, & perficere.* Item & nobis dare non modò quòd *poſſimus*, ſed etiam quod *velimus.* Sed

Not. gratiam illam (quæ eſt motio quâ præveni-

venitur liberum arbitrium) eſſe repudiabilem, ſeu talem eſſe, ut illi diſſentire poſſimus, juxta Trident. *ſeſſ. 6.* foretque in nobis fruſtra, niſi per vim ipſius elevata voluntas pro ſuo nutu ad pium opus ſeſe determinaret. Quò referuntur illa ſacræ ſcripturæ dicta: *Gratia Dei in me vacua non fuit.* 1. Cor. 15. Item, *vos Spiritui S. ſemper reſtitiſtis.* At

Inſt. 3. Ex D. Aug. *lib. de corrept. & gr. c.* 11. & 12. diſcrimen eſt inter gratiam naturæ integræ, quam appellant gratiam ſanitatis, & *adjutorium ſine quo*: tum inter gratiam medicinalem, ſeu gratiam naturæ lapſæ, quæ ab ipſo dicitur *adjutorium quo*: illud, inquam, diſcrimen eſt, quòd *adjutorium ſine quo non*, ſeu gratia naturæ integræ, voluntatem ad agendum, aut non agendum liberam relinqueret: gratia verò medicinalis, ſeu *adjutorium quo* in natura lapſa abſolutam agendi neceſſitatem inducat. Quem locum ferè ducenties inculcat Ianſenius cum Calvino, & Lutheranis. At ℞. cum Bellarmino *lib. de gratia primi hominis. c.* 4. Cum Anſelmo, & aliis; primum hominem juſtitiâ originali, & gratiâ ſanctificante, adjunctis virtutum ſupernaturalium habitibus inſtructum, non aliâ gratiâ ad opus ſalutis exercendum indiguiſſe, quàm mentis illuſtratione; quæ idcirco dicitur *adjutorium ſine quo*, quia voluntas niſi poſitâ intellectus cognitione, & illuſtratione agere non poteſt. Nos autem in naturâ lapsâ, præter illam mentis illuſtrationem, opus habemus peculiari voluntatis auxilio, ſeu motione & affectu indeliberato, quo excitetur, juveturque contra impetum effrænatæ concupiſcentiæ; diciturque *adjutorium quo*, quia per illud ſumus formaliter volentes, volitione ſaltem indeliberata. Quanquam &

tunc maximè dicitur *adjutorium quo*, ubi per liberam voluntatis determinationem, in opus meritorium ſimul cum ipſa voluntate concomitanter influit, tuncque appellatur propriè *gratia efficax*. Quod quidem ut intelligas,

Not. 1. Motionem illam Divinæ gratiæ ſupernaturalis per quam elevatur voluntas ad bonum opus exercendum, eſſe veluti cauſam partialem, quæ cum ipſa voluntate unam integram & totalem boni illius operis cauſam conſtituat. Quomodo per proportionem ſpecies impreſſa objecti, aut lumen cum facultate viſiva totalem unam cauſam viſionis conſtituit. Item,

Not. 2. Divinam illam gratiæ motionem, eſſe quidem in actu primo efficacem per ſe ſolam, & independenter à voluntate; id eſt, habere ex ſe ſola, & ex principiis ſibi intrinſecis vim efficiendi actus boni, inſtar cauſæ partialis; de qua efficacitate gratiæ in actu primo nulla eſt controverſia, ſed tantùm de efficacitate in actu ſecundo, unde ſcilicet intelligatur ſortiri effectum actu. At

Not. 3. Iſtam pendere à determinatione liberi arbitrii, id eſt, eſſe in noſtra poteſtate, ut gratia fiat efficax, quatenus velimus illi cooperari, cùm alioqui redderetur inefficax; ſicque ſe ſola non eſſe efficacem. Item, liberum arbitrium à Deo per gratiam præparatum eſſe directè cauſam cur hîc & nunc Deus & gratia influit in opus. Neque enim fit illud opus meritorium, niſi quia voluntas divinitùs præparata vult hîc & nunc illud facere. Qua ratione Deus gratiam ſuam, ut & concurſum ſuum ponit in noſtra poteſtare, &c. Quæ jam inſinuavi in Præfatione hujus Tractatus, maximè ex Leonardo Leſſio, *Tract. de Prædeſtinatione*, *tum in Apologia de Gratia*

effi-

efficaci. Cujus doctrinam imprimis laudabat Sixtus V. Pont. Max. & *Sanam* pronunciavit, adverſus Baïanos : magnamque nuper firmitatem accepit ex Conſtitutione Innocentii X.

Inſt.4. Non eſſet ergo illud verum quod vulgò ajunt, *ſic operari Deum in nobis, ſine nobis.* ℞. Mentis illuſtrationem, ſeu cogitationem ſanctam, ac pium voluntatis indeliberatæ motum *operatur in nobis, ſine nobis* utique liberè operantibus, quia prævenit uſum liberi arbitrii. *Conc.* At opus meritorium quod à voluntate ſeſe per vires gratiæ determinante promanat, non operatur niſi nobis liberè cooperantibus.

Inſt. 5. Sequeretur inde gratiam hanc ſubjici noſtro libero arbitrio : quod repugnat Concilio Arauſicano I I. Et verò gratia potiùs voluntatem ipſam ſubjicit Deo, pellicitque ad bonum opus. Quinetiam inde ſequeretur gratiam pendere à voluntate, cùm è contra voluntas à gratia pendeat. ℞. 1. Arauſicanum ſpectare tantùm Semipelagianos qui docebant gratiam *ſubjungi*, id eſt, ſubjici viribus liberi arbitrii, hoc ſenſu, quòd voluntas per ſolas vires proprias illam pro ſuo libito mereri poſſet. ℞. 2. Gratia quidem ſubjicit ſibi voluntatem illam elevando, & excitando ad bonum opus, ſicque à gratia dependet voluntas. At hoc non impedit quominus ipſius gratiæ uſus dependeat à voluntate ; quatenus inferre opus nequit, niſi poſitâ liberæ voluntatis determinatione. Nec tamen, ut jam monui, ſic voluntas per ſolas vires proprias ſeſe determinat, ſed potiùs adjuta viribus ipſius gratiæ.

Inſt. 6. Ergo ſic gratia expectaret conſenſum voluntatis, foretque illius *pediſſequa*; qui fuit Semipelagianorum error. ℞. cum Leſſio *in Apol.*

 c. 10.

c. 10. In eo fuiſſe errorem Semipelagianorum quòd crederent liberum arbitrium ſolis viribus propriis mereri gratiam fidei, tum juſtificationis; & ſic gratiam eſſe *pediſſequam* ad naturam. Verùm ut alio in loco ſcribit idem author, rectiſſimè ajunt gratiam quâ præventa eſt voluntas, expectare ipſius voluntatis conſenſum liberum, ut ſimul cum eâ in bonum opus influat. Sic Apoc. 5. *Sto ad oſtium & pulſo, ſi quis aperuerit mihi januam.* Item Iſa. 5. *Expectavi ut faceret uvas, &c.* Neque etiam hîc opponas. Cauſa efficiens non expectat effectum: C. Ergo nec gratia expectat voluntatis conſenſum. ℞. Non expectat propriè effectum, ſed tantùm alterius cauſæ cooperationem, unde inferatur communis effectus.

Inſt. 7. Sequeretur fidelem diſcernere ſeſe ab infideli, & juſtum ab impio, unde gloriari poſſit contra impium, quòd Dei gratiæ conſenſerit, quam ille contempſit, cùm tamen Apoſtolus ad Philipp. 1. & 2. doceat *poſſe credere*, & ipſum *credere* eſſe dona Dei. Quò refertur illud 2. ad Cor. 4. *Quis te diſcernit? quid habes quod non accepiſti?* ℞. Hæc omnino eſſe dona Dei, quia non fiunt niſi per gratiam Dei prævenientem, & concomitantem. Neque tamen negandum eſt fidelem ab infideli, aut juſtum ab impio diſcernere ſeſe per liberum arbitrium, non quidem ſolum (ut volebant Pelagiani) ſed viribus gratiæ adjutum. Qua ratione legimus *ſeipſum convertere.* Ioëlis 2. *Sibi cor novum facere.* Ezech. 18. *Mundare ſeſe à peccatis.* 2. Timoth. 2.

Inſt. 8. Ergo tota laus & gloria boni operis non tribueretur ſoli Deo; partemque in ea ſibi vindicaret liberum arbitriū. Atqui ex ſacris literis *Soli Deo honor & gloria.* ad 1 Tim. 1. ℞. Actum hunc

hunc meritorium ſic à Deo per gratiam prodire totum indiviſibiliter, ut ſimul etiam totus indiviſibiliter prodeat à libero arbitrio, quatenus eſt volitio libera; ac proinde ſic tota illius gloria ſoli Deo tribuitur tanquam agenti primario, ut tamen hoc non impediat quominus etiam laus homini tribuatur tanquam agenti ſecundario: Ita Eccleſiaſtici 30. Vbi de piis operibus viri juſti ſermo eſt, *Quis eſt hic*, inquit, *& laudabimus eum?* Item, *erit illi gloria æterna qui potuit tranſgredi & non eſt tranſgreſſus, &c.*

Objic. 2. Deus habet voluntatem, ſeu decretum ſalvandi homines, illudque efficax. Hoc autem explicari non poſſet, ſi noſtra ſalus penderet ab auxiliis gratiæ repudiabilis, id eſt, gratiæ cui reſiſti poſſet. Vbi enim gratiæ illi reſiſteretur, tum illud Divinum decretum dandæ ſalutis quod ſupponitur efficax, non foret efficax; quæ repugnant. Huc adde neminem poſſe reſiſtere voluntati Dei efficaci; alioqui Deus non diceretur omnipotens. ℞. Deus quidem habet quantùm eſt ex ſe voluntatem efficacem ſalvandi etiam omnes omnino homines; cùm eum in finem Chriſtus pro omnibus omnino hominibus mortuus ſit; Omnibus quantùm eſt ex ſe præpararit Baptiſmum, ſalva communi providentiâ, & rerum ordine. Item, quia adultis omnibus auxilia gratiæ ad bene vivendum offert, & facientibus quod in ſe eſt non denegat; ut copioſè Leſſius *in Apologia de Gratia*. Illud ergo Dei decretum à quo tam multi prodeunt effectus, eſt conſequenter efficax. At reſpectu beatitudinis conferendæ, non eſt efficax abſolutè, ſed tantùm *conditionatè*, ſeu ex hypotheſi quòd tu *v. g.* velis ejus gratiæ conſentire; dicendumque eſt ſine injuria omnipotentiæ Divinæ, illi

voluntati efficaci conditionatæ poſſe reſiſti, reſiſtendo ejus gratiæ quam dabat ex intentione conferendæ ſalutis, ſi voluiſſes illi conſentire. At voluntati abſolutæ nemo poteſt reſiſtere.

Notandumque eſt, voluntatem etiam abſolutam quam habeat ſalvandi aliquos, non eſſe independenter ab eorum libero arbitrio, tanquam à conditione præcognitâ: quatenus nimirum illis auxilia gratiæ ſuppeditat, quæ licet repudiabilia ſint, ea tamen confert ſub prævifione quòd ſint conſenſum omnino habitura. Quo loco

Not. 2. Divinam ſcientiam de futuris liberis, quam eſſe infallibilem ſupponimus, non propterea inferre illis aliquam neceſſitatem. Neque enim ideo res illæ futuræ ſunt, quia prævidentur à Deo, cùm potiùs à Deo prævideantur, quia de facto futuræ ſunt, aut futuræ eſſent; ut explicatur in Metaphyſicâ. Quinetiam

Not. 3. Deum, non præcisè ex parte mediorum quæ repudiabilia ſunt, habere certitudinem infallibilem de prædeſtinatione ſanctorum, ſed tantùm ex parte præſcientiæ per quam infallibiliter cognoſcit quinam bene, & quinam malè uſuri ſint gratiâ; & conſequenter, quinam ſalvandi, & quinam ſint damnandi.

Inſt. Si cuilibet inſpirationi voluntas pro ſuâ libertate poteſt reſiſtere, poſſet dari voluntas tam obfirmata, ut à Deo converti non poſſet. *Diſt.* Poteſt reſiſtere cuilibet diſtributivè, non cuilibet collectivè. Nam voluntas creata de ſe eſt mutabilis ad oppoſita, quantumvis pro aliquo tempore dicatur obfirmata: Deus autem videt modum quo talibus in circunſtantiis ita flectatur, ut etiam liberrimè conſentiat.

Notandumque eſt, gratiæ quidem efficaci, prout efficax eſt, reſiſti non poſſe; quia ſic gratia ſumi-

ſumitur in actu ſecundo, & quatenus infert conſenſum actu, cum quo ſimul non poteſt eſſe diſſenſus; hæcque eſt tantùm neceſſitas conſequens, non autem antecedens.

CAP. V. *Conditiones requiſitæ ad uſum liberi arbitrii.*

Dico I. Vt voluntas velle nihil poteſt niſi cognitum, ita nihil poteſt velle liberè niſi cognitum, ſeu repræſentatum cum diverſis rationibus oppoſitis, ſub quibus aut amari, aut repudiari poſſit. Prob. Quia libertas agendi poſita eſt in electione unius præ alio; voluntas enim dicitur libera, quia ſe determinat ad unum præ alio, quaſi factâ plurium inter ſe comparatione: ergo ſupponit plura, aut quaſi plura, vel rem eandem ſub rationibus diverſis repræſentari, &c. Quare

Dico II. Ad liberum, hæc duo maximè requiruntur: primò, ut ſit voluntarium, id eſt, ex inclinatione voluntatis, cum cognitione circunſtantiarum: ſecundò, ut illi voluntario accedat electionis indifferentia, tum ex parte intellectus repræſentantis objectum aut multiplex, aut idem ſub diverſis rationibus, aut faciendum, vel non faciendum; quæ dicitur *indifferentia objectiva:* tum ex parte voluntatis, quatenus non habet determinationem antecedentem ad unum, poteſtque ſeſe ad alterutrum determinare. Nam *indeterminationem antecedentem* vocant, quæ habeat ſaltem aliquam naturæ prioritatem ad effectum; hæcque attinet ad *activam indifferentiam.*

Notandumque eſt conſequenter, voluntatem, cùm de ſe determinata ſit ad actum proſecutionis circa bonum ut ſic, nec poſſit odiſſe bonum ut bonum, ſed duntaxat malum ut malum;

notandum eſt, inquam, voluntatem habere neceſſitatem antecedentem circa bonum, aut malum in communi, quæ dicitur *neceſſitas ſpecificationis*, quia ſic determinata eſt, nec habet libertatem ad oppoſitos ſpecie actus, ſiquidem bonum ut ſic poteſt ſolummodo eſſe objectum proſecutionis; nec malum etiam poteſt eſſe objectum niſi fugæ.

Quanquam, ut jam monui, cum illâ neceſſitate *ſpecificationis* poteſt ſervare libertatem *exercitii*: quatenus bonum ſaltem finitum poteſt aut proſequi, aut non proſequi.

Memineris verò ſub ea libertate indifferentiæ quæ ſcilicet ad meritum, aut demeritum eſt neceſſaria, contineri præcipuè duas illas ſpecies. Altera eſt libertas *contrarietatis*, ad oppoſita contraria, puta ad bene, aut malè agendum, qualis in nobis viatoribus reperitur, non autem in beatis. Altera eſt *contradictionis* puta ad agere aut non agere. Eſtque ineptum, aut malitioſum quærere an libertati ut ſic ſit eſſentialis potentia ad male agendum. Perinde enim eſt ac ſi quæreretur, utrum differentia conſtitutiva ſpeciei ſit eſſentialis generi. Has tamen quæſtiones apud diſcipulos ſuos ſupponunt adverſarii quaſi ea de re tantùm diſputaretur; quod falſum eſt. Nam quæritur potiùs, an libertati arbitrii ut ſic eſſentialis ſit indifferentia ad utrumlibet; ſive ad contraria, ſive ad contradictoria; ſive ad hos, aut illos actus, ex tali, aut tali motivo, &c.

Not. 2. Libertatem quidem *formaliter* ſumptam eſſe in voluntate, quæ ſe ad unum determinet potiùs quàm ad aliud, ipſumque præeligat: at nihilominus dicitur eſſe *radicaliter* in intellectu, quatenus hoc præſtare non poſſet voluntas, niſi

niſi præſupponeretur illa indifferentia ex parte objecti repræſentati per intellectum.

Item, ad electionem, & ad libertatis uſum perfectum præſupponi debet in nobis deliberatio, & conſultatio perfecta: alioqui ſi minùs perfecta foret illa deliberatio, diceretur etiam libertas minùs perfecta; unde & minor foret peccati malitia, aut minùs meritum actus boni.

Item præterea, debet eſſe uſus rationis expeditus, unde poſſit advertere ad principia omnia rei agendæ, & quæ ſunt opus ad prudentem deliberationem, & electionem. Quam ob cauſam

Dico III. Infantes, & ſtulti; item & homines dormientes non habent uſum libertatis. Quia in eo ſtatu non habent uſum rationis expeditum; nec habent in ſua poteſtate ea omnia quæ ſunt requiſita ad prudentem deliberationem. Vnde etiam tunc nec mereri, nec demereri poſſunt. Item, in moribus animi qui vocari ſolent primò primi, non eſt libertas, quia præveniunt rationis advertentiam. Item, ubi vehementior extiterit motus concupiſcentiæ, puta vel amoris, vel iracundiæ, &c. ſi tunc perturbetur uſus rationis, perit omnino voluntarium, remanente ſolùm ratione ſpontanei, ac proinde perit & liberum; nam liberum omne ſupponit, & includit voluntarium.

At remanente ſufficiente uſu rationis in motibus concupiſcentiæ, augetur voluntarium, quia vehementior fit inclinatio ad objectum; cùm tamen eo in caſu minuatur liberum. Probatur. Quia tunc minuitur liberum, quando minuitur indifferentia; minuitur autem indifferentia quando voluntas magis trahitur in unam partem quàm in aliam; quod contingit in motu concupiſcentiæ.

Item, metus per ſe, non perturbato uſu rationis nec minuit voluntarium, nec liberum; ſiquidem per ſe facit ut rem velimus, etiam poſitis omnibus requiſitis ad libertatem. Quomodo mercator liberè projicit merces in mare ex metu naufragii.

Dico IV. Brutæ animantes non habent libertatem. Prob. 1. Quia illis deeſt indifferentia objectiva, cùm etiam ratiocinari, aut deliberare non poſſint, ut docuimus in logica. 2. Quia conſequenter deeſt illis indifferentia formalis & activa ex parte ipſius potentiæ appetitivæ. Et verò ſatis patet experientiâ, quemadmodum illæ animantes ſint determinatæ ad unum, cùm idem ſemper, & eodem modo, & ubique omnes agant, meminerisque contrariam doctrinam eſſe erroneam, ut aliàs dixi.

Nec dicas, videntur aliquando eligere unum præ alio, quod eſt ſignum liberæ facultatis. ℞. Non eligunt propriè, quia non ſeſe determinant ad unum præ alio, cùm potiùs dicantur vel ab objecto, vel à proprio inſtinctu determinari.

Dico V. Voluntatem, tunc cùm agit, eſſe maximè liberam. Prob. Quia actus non deſtruit potentiam, immò potiùs illam perficit. Ita potentia viſiva tunc maximè dicitur viſiva, cum viſionem actu exercet. Et verò etiam tunc maximè voluntas eſt libera, cum actus eſt ſub libero illius dominio. Dicitur porrò actus eſſe ſub libero ipſius voluntatis dominio, & eſſe liber, quatenus ita exercetur, ut potuerit non exerceri, &c. Conf. Quia non poteſt alio modo explicari quemadmodum actio aliqua in Deo ſit libera ab æterno, niſi quia ſic in Deo eſt ab æterno, ut perinde ab æterno potuerit

in eo non eſſe. Conf. in Phyſica univerſ. 1. p. Tract. 2. Diſp. 3. c. 7.

Objic. Ille actus exiſtens non poteſt non eſſe: ergo exiſtit neceſſariò. Ergo non eſt liber. *Diſt.* Eſt neceſſariò conſequenter. *C.* antecedenter. *N.* Quare ſic idem actus dicitur ſimul neceſſarius conſequenter, & liber antecedenter.

Inſt. 1. Voluntas tunc eſt determinata ad actum; ergo non eſt libera quoad actum illum. *Diſt.* Eſt determinata conſequenter. *C.* antecedenter. *N.*

Inſt. 2. Si habet libertatem, ac proinde indifferentiam ad actum quem exercet, ille actus qui producitur poſſet non produci, & conſequenter poſſet ſimul eſſe & non eſſe. *Diſt. Ant.* Si voluntas ad actum quem exercet habet libertatem tam antecedenter, quàm conſequenter. *C.* Sed habet tantùm antecedenter, quatenus illum producit, quem poſitis omnibus ad agendum requiſitis poterat non producere.

Notandumque eſt, actum hunc realiter, ſeu entitativè eundem poſſe fieri modò neceſſarium, modò liberum, puta, ſi fiat modò advertente, modò non advertente ratione; ſicque idem differret eſſentialiter à ſeipſo, non quidem abſolutè, aut ſecundùm idem, ſed tantùm ſecundùm diverſas formalitates relativas. Non enim dicitur liber, niſi quatenus dicit ordinem ad potentiam liberam; ſeu quatenus fluit à voluntate in iis circumſtantiis quæ requiſitæ ſunt ad libertatem.

SVMMA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

LIBERVM *propriè, non eſt idem ac voluntarium, ſed potiùs voluntarii ſpecies. Atque ita libertas ea quæ ſupponi debet ad meritum, aut demeritum,*

ritum, voluntario ſuperaddit electionis indifferentiam, ſeu indifferentiam ad utrumlibet: hacque in duas potiſſimùm ſpecies ſubdividitur. Nam altera eſt libertas contrarietatis, ſive ad bonum aut malum, viatorum propria: altera autem eſt contradictionis, ſeu ad agere aut non agere, cujuſmodi maximè reperitur in beatis.

Hæc libertas omni antecedenti neceſſitati voluntatis eſt oppoſita. Alioquin Lutherus, & Calvinus libertatem arbitrii nunquam impugnaſſent, neque hac in parte fuiſſent hæreſeos damnati; quo nomine etiam damnata eſt nuper Ianſſenii Iprenſis doctrina. Item, ſi ſupponeretur antecedens illa neceſſitas, fruſtra eſſent præcepta, deliberationes, bonorum operum ſollicitudo, &c.

Huic libertati indifferentiæ præſtò eſt ſemper judicii indifferentia; neque in eligendo voluntas determinatur neceſſariò ſecundùm id quod eſt majus bonum, aut magis delectabile. Hanc Adami prævaricatio viribus non attenuavit, niſi ſecundùm ſupernaturalia.

Præterea nihil huic obſtat Divina præſcientia, nec æterna prædeſtinatio, ipſiuſve certitudo immobilis. Hanc efficacitas gratiæ non impedit; nec concurſus univerſalis ullus. Quemadmodum traditur in Phyſica.

Item hanc arbitrii libertatem ad utrumlibet in Deo non tollit eſſentialis immutabilitas; ſtatque in Chriſto Domino etiam circa mortis ſubſtantiam.

At ipſam perimit omnino, ac hæreticorum fatum inducit vis quælibet voluntatem ad actum prædeterminans, ſive quæ petatur ex efficacitate gratiæ; ſive quæ ſequatur ex decreto efficaci Divinæ voluntatis abſolutè & antecedenter noſtras actiones prædefinientis, non autem ex præcognitâ noſtri arbitrii propriâ determinatione.

D I-

DISPVTATIO III.
DE
PRINCIPIO HVMANORVM ACTVVM DIRECTIVO,
SEV
DE LEGE.

CAP. I. *Natura, & diviſio legis.*

Lex impropriè & latè ſumpta, eſt regula, ſeu modus agendi qui ſervatur ſive in rebus naturalibus, ſive in artificiatis. Ita enim vulgò ajunt ſervari à natura certas leges; ita præcepta aut artis, aut prudentiæ ſolent etiam vocari *leges*. Hîc autem agitur de *lege* propriè ſumptâ quæ pertinet ſolùm ad res morales. Quo pacto

Dico I. Lex ut ſic & ſecundùm ſe, eſt regula communis & ſtabilis noſtrorum actuum directiva, & obligans ad aliquid agendum, aut non agendum. Prob. hæc legis definitio: primò, quia quatenus eſt regula communis, differt à mandato propriè dicto, quod uni, vel paucis hominibus imponitur; nec de ſe eſt ſtabile, & perpetuum, ut lex. Item, differt à conſilio, quia conſilium vim obligandi non habet.

Sciendumque eſt, legem præterea conſiderari ut eſt in legiſlatore; quo pacto aliud nihil eſt quàm ille actus intellectus quo judicat regulam hanc debere ſervari in ordine ad certum finem, puta ad bonum commune; huc que accedit voluntatis actus, quo vult regulam iſtam de facto ſervari. Deinde promulgatio ſeu inti-

matio,

matio, aut publicatio, unde ſubditis reddatur manifeſta. At

Dico I I. Lex ut ſic dividitur in legem æternam, & participatam. Participata in naturalem, & poſitivam. Poſitiva in Divinam, & Humanam. Divina in veterem, ſeu Moſaïcam; & novam, ſeu Chriſtianam. Humana in Eccleſiaſticam, ſeu canonicam; tum in ſæcularem, ſeu civilem, quæ ab aliis jus civile appellatur: ſubdividiturque in Scriptam, & non Scriptam; quæ quidem non ſcripta, ſi propria eſt alicujus provinciæ, aut regni, vocatur Conſuetudo: ſin communis eſt regnis aliis, vocatur jus gentium. De ſingulis ut agam,

Dico I I I. Lex æterna ut latè ſumitur, eſt actus Divinæ mentis quo judicat Deus quemadmodum res ſingulæ ad finem ſuum tendere debeant. Atque hoc modo res omnes æternæ legi ſubjiciuntur, naturales quidem per facultates, & inclinationem ad unum determinatam; rationales autem per cognitionem, & liberam voluntatis ſuæ determinationem.

Quia verò lex propriè & ſtrictè ſumitur tantùm reſpectivè ad naturam intelligentem, quæ pro ſua libertate illi ſe conformare debeat quoad mores; ideo lex æterna propriè definiri ſolet, actus Divinæ mentis, quo Deus judicat quid rectum, honeſtumq; ſit; quid turpe, & fugiendum. Dicitur æterna, tum quia eſt in Deo ab æterno, tum quia eſt æternæ, & neceſſariæ, ſeu immutabilis æquitatis & honeſtatis: quomodo per proportionem propoſitiones neceſſariæ dicuntur eſſe æternæ veritatis. *Exempli cauſa*, iſtæ vocantur leges æternæ, *Deum eſſe colendum. Honorandos parentes. Nemini faciendam eſſe injuriam*, circa ea maximè quæ continentur in decalogo.

Dico

Dico IV. Lex naturalis propriè ſumpta, nihil eſt aliud ſecundùm ſe, quàm dictamen rationis, quo ex naturali inſtinctu judicamus quid rectum, honeſtumque ſit; quid turpe, & fugiendum. Paterque inde legem naturalem ſecundùm ſe ſumptam, eſſe eandem cum æterna, quæ ſic participetur à nobis. Dicitur naturalis, quia eſt nobis à natura inſita, ſeu *ſcripta in cordibus noſtris*; ejuſque præcepta ſunt ea quæ recta ratio ex inſtinctu naturali dictat nobis ſervanda eſſe. Hucque etiam per modum exempli revocanda ſunt quæ jam afferebam ſub finem ſuperioris aſſertionis.

Notabis autem hæc præcepta cùm ad legem æternam pertineant, perinde eſſe neceſſaria, & immutabilia, nec poſſe abrogari unquam, aut in iis diſpenſari ſub iis circunſtantiis cum quibus obligant: cum etiam odium Dei, blaſphemia, mendacium, aliáque id genus nunquam fieri poſſint licita, poſitis etiam quibuſcunque circunſtantiis. Et verò quæ ex iſtis permitterentur, fieri poſſent honeſtè, & ex virtute: Atqui mendacio blaſphemiæ, &c. competere iſtud ullis ſub circumſtantiis nunquam poteſt: ergo, &c. Item ſi fieri poſſet diſpenſatio in mendacio *v. g.* rueret divina omnis Religio, & Fides: niſi enim ſupponeremus Deum ita eſſe veracem, ut abſolutè nec falli poſſit, nec fallere mentiendo, relinqueretur aliquis dubio locus in iis myſteriis quæ ab ipſo nobis revelantur, neque infallibiliter credi poſſent. Vnde enim conſtaret nobis Deum in lege mendacii tunc ſecum non diſpenſaſſe, &c.

Notabis verò nos hoc loco diſcrepare à Iuriſtis, qui ajunt legem naturalem, ſeu jus naturale eſſe illud quod nobis commune eſt cum brutis,

brutis, ut liberorum educatio, &c. At jus gentium illud vocant quod ſoli homines habent inter ſe commune.

CAP. II. *De Lege poſitiva.*

LEx poſitiva dicitur ea quæ nobis non eſt innata, ut ajebam modo de naturali, ſed potiùs quæ eſt poſita, id eſt, inſtituta authoritate alicujus ſuperioris judicantis & decernentis aliquid eſſe faciendum, aut non faciendum, in ordine ad bonum commune. Et verò cum legis naturalis præcepta cuilibet ſatis explorata non ſint, ſi pauca excipias ſupra allata quæ univerſaliora ſunt, ideo fuit opus lege poſitiva non modò naturali, ſed etiam ſupernaturali, quæ nos dirigat tum ad finem ſupernaturalem obtinendum, tum ad ſervanda omni modo jura ſocietatis humanæ. At

Dico I. Lex poſitiva ſic definitur: Eſt regula communis & ſtabilis actuum noſtrorum directiva & obligans ad aliquid agendum, aut non agendum in ordine ad bonum commune, ab eo qui poteſtatem habet, inſtituta. Probatur bonitas hujus definitionis, quia continet conditiones requiſitas omnes ad legem poſitivam, ut patebit conſideranti. Et verò

Dico II. Non eſſe cujuſlibet legem ferre, ſed tantùm illius qui cum poteſtate præeſt communitati. Prob. Quia officia legis ſunt dirigere, & obligare: atqui nemo poteſt obligare niſi qui præeſt cum poteſtate. Item, quia lex eſt directiva, debet eſſe à ſapiente.

Dico III. Legis illius conditiones ſunt: primò, ut ſit juſta, alioquin diceretur potiùs imperium tyrannicum, quàm lex. Vt autem ſit juſta, debet eſſe propter bonum commune.

Item,

Item, debet eſſe proportionata conditioni ſubditorum, & de poſſibilibus; quia nemo tenetur, aut obligari poteſt ad impoſſibile. Quartò, debet ferri in ſubditos legis capaces, id eſt, qui per eam dirigi poſſint; unde pueri, & ſtulti lege non tenentur. 5. Debet ferri pro communitate, aut ſaltem majori ejus parte. 6. Non debet eſſe contraria legi naturali, & Divinæ, ſic enim obligare non poſſet. 7. Præterea debet lex eſſe ſtabilis, ſeu perpetua. Nam in hoc differt à mandato propriè ſumpto, quòd fertur non modò ad unum, aut pauciores, ſed etiam ad aliquod ſolùm tempus, *expiratque mandatum expirante mandante*. Lex autem è contra. 8. Debet eſſe promulgata. Nam legis officium eſt dirigere: at dirigere non poteſt niſi cognita, nec cognoſci, niſi promulgata.

Dico IV. Lex poſitiva, ut ſupra monui, dividitur in Divinam, & Humanam. Iuriſconſulti qui loco *legis* utuntur vocabulo *Iuris*, facta ipſius diviſione in jus naturale, & poſitivum; jus ipſum poſitivum poſtea dividunt in Divinum, & Humanum. Sed omiſſa illa nomenclaturæ diverſitate:

Dico V. Lex Divina vocatur ea quæ ab ipſo Deo inſtituta eſt. Hæc autem eſt duplex: primò enim alia eſt quæ dicitur vetus, ſeu Moſaïca, quam Deus per Angelos Moyſi, tum Moyſes Iudæis promulgavit. Secundò, alia eſt lex nova, ſeu Euangelica & Chriſtiana, ab ipſo Deo incarnato, id eſt, à Chriſto inſtituta, & per ipſum, tum per ipſius Apoſtolos promulgata. Vtraque autem vocatur teſtimonium & teſtamentum, ſeu vetus, ſeu novum; quia hoc pacto Deus teſtatur nobis ſuam voluntatem, nempe illud quod vult à nobis obſervari, ut beatitudinem conſequamur. No-

Notandumque eſt, præcepta legis Moſaïcæ in genere fuiſſe triplicia. Primò enim erant moralia, ad mores formandos; quorum ſumma Decalogo continetur. 2. Alia fuerunt cæremonialia, quæ præſcribebant certas cæremonias in Divino cultu ſervandas. 3. Alia fuerunt judicialia, quæ docebant rationem juſtitiæ ſervandæ. Eſt autem lex illa à Chriſto abrogata ſecundùm præcepta cæremonialia, & judicialia; non autem quoad moralia: nam eadem continentur in lege Chriſtiana cum quibuſdam aliis, cujuſmodi eſt præceptum de diligendis inimicis. Habetque inſuper lex Chriſtiana præcepta Fidei quibus omnes obligantur, tum præcepta ſacramentalia, ut de Baptiſmo.

Dico VI. Lex humana eſt ea quæ ab hominibus inſtituitur. Ius humanum vocant Iuriſtæ; ipſumque dividunt in Eccleſiaſticum, & Civile. Eccleſiaſticum etiam appellatur Canonicum; quia leges Eccleſiaſticæ vulgò dicuntur *canones*. Ius civile illud eſt quod principis, aut communitatis alicujus ſæcularis, ut vocant, authoritate ſancitur. Si ſcripto conſtat, dicitur *Ius ſcriptum*, continetur que libris legum, illique annumerantur Decreta Principum, & Senatus-conſulta. Ius non ſcriptum aliud nihil eſt quàm communis uſus, & conſuetudo, quæ legis vim habet, ſi juſta eſt & rationabilis; tum ſi viguit per certum aliquod tempus à lege præſcriptum, illique princeps aut reipublicæ moderatores non repugnant.

Notandumque eſt, principes tum eccleſiaſticos, tum laïcos, ſeu ſæculares, habere à Deo poteſtatem condendi leges per quas ſubditos regant, unde conſequens eſt ſubditos jure Divino ſic poſſe obligari etiam in conſcientia, id eſt,

ſub

ſub pœna peccati. Quanquam aliquæ ſunt leges quas pœnales appellant, quia ſic inſtitutæ ſunt, ut non obligent ad culpam, ſed tantùm ad pœnam, ſeu mulctam adverſùs transgreſſores præſcriptam. Iam verò

Dico VII. Legum quidem illarum omnia genera eſſe regulas quibus dirigatur vita humana, mediatè ſaltem; nam ex naturæ inſtituto regula noſtrorum actuum immediata, & per quam leges aliæ nobis immediatè applicentur, nulla eſt alia quàm dictamen, ſeu judicium rectæ rationis, & prudentiæ. Et verò ille actus dicitur bonus, qui conformis eſt præcepto, vel conſilio rectæ rationis; ſeu qui verſatur circa objectum, aut finem, aliaſve circunſtantias quas præcipit, aut ſaltem conſulit recta ratio. Item, illa dicitur recta ratio, quæ eſt conformis legi divinæ, aut legi æternæ, quam dixi eſſe actum Divinæ mentis, quo Deus judicat quid rectum, honeſtumve ſit, &c.

Notandumque eſt 1. Dictamen rectæ rationis idem eſſe ac conſcientiam. Nam conſcientia nihil eſt aliud quàm actus intellectûs quo judicatur aliquid eſſe aut faciendum, aut non faciendum; quamobrem dicitur conſcientia obligare, inſtigare, &c. Item, ſi quid judicatur vel bene, vel malè factum, dicitur teſtificari, aut conſolari, aut accuſare, &c. Quæ videre eſt in Phyſica *Diſp.* 1. *de facultatibus Animæ rationalis c.* 2. At

Not. 2. Conſcientiam dividi in rectam, erroneam, dubiam, probabilem, & ſcrupuloſam. Recta dicitur quæ judicat illud eſſe rectum, quod de facto ita eſt. Contra autem erronea; cujus quidem ignorantia, ſeu error, ſi eſt invincibilis, excuſat à peccato; ſin autem eſt vincibilis, non excuſat.

Dubia

Dubia, inter utramque partem contradictionis ſuſpenſa hæret, neutri conſenſum determinatum præbendo. Qui autem in dubio peccati operatur, is peccat; cùm exponat ſe peccati periculo, Dei gratiam & amicitiam ut par eſt non æſtimando. Et verò etiam ſic animo eſt ille affectus, ut velit agere ſive res licita ſit, ſive illicita: quod nefas eſt. Priùs ergo deponi debet dubium, tum eligi pars aliqua probabilis ad quam te determines, ut prudenter agas.

Probabilis dicitur conſcientia, quæ ducitur ratione probabili. Quare prudenter agit qui illam ſequitur, etiam relicta alia opinione æquè probabili, aut etiam probabiliori, ubi maximè non eſt periculum gravioris damni inde forſitan ſecuturi. Alioquin Medicus *v.g.* curando ægrotum, illi injuriam faceret, ſi viam certam, relictis probabilibus, aut ſi nulla certa eſt, probabiliorem non ſequeretur. Item, peccaret Iudex illi rem adjudicans cujus cauſa minùs foret probabilis; faceret enim contra æquitatem.

Scrupuloſa conſcientia eſt, quando quis probabiliter judicat rem eſſe licitam, ſic tamen ut leviori aliqua ratione turbatus, ſuſpicetur eſſe illicitam. Tutumque eſt agere contra hujuſmodi conſcientiam; ſic enim prudenter agis ſequendo rationem probabilem, relictâ hujuſmodi leviori conjecturâ.

APPENDIX.

De Lege antiquâ.

IAnſenius cum aliis novorum dogmatum ſtudioſis, cum Calvino, & Manichæis docet veterem Synagogam, ſeu Iudæorum congregationem quæ ſub lege Moſaïca merebat, fuiſſe tantùm colluviem quandam hominum carnalium,

de

de ſe vitioſam ac damnabilem; neque ad Eccleſiam Dei pertinuiſſe niſi juſtos, qui tum erant parvo in numero. Nam, uti qnidem ſcribit, Iudæi in veteri teſtamento legi Moſaïcæ eo modo & affectu quem ipſa lex, ſeu author legis præſcribebat, ſervientes, peccabant eo ipſo, & rei damnationis fiebant, quia ex motivo ſolùm rerum temporalium imperabatur; neque ad eam ritè ſervandam ſuppeditabantur à Deo gratiæ ſufficientes, unde fiebat illis impoſſibilis, & neceſſariò peccabant. Quamobrem negarunt Manichæi legem illam fuiſſe à Deo, ſed potiùs à Diabolo: quo ſolùm in articulo diſſentiunt à Manichæis recentiores dogmatiſtæ. Atque ut obiter doctrinam fidei hoc loco explicem, cùm in propugnandis Philoſophiæ moralis principiis non ſit parvi momenti:

Sciendnm eſt 1. Ex Tridentino *ſeſſ.* 4. Eundem eſſe authorem veteris, ac novæ legis Deum. Quod ſæpe teſtantur ſacræ literæ. Item, hanc Dei eccleſiam tam in veteri, quàm in novo Teſtamento, complecti bonos ſimul & malos.

Sciendum eſt 2. Legem Moſaïcam de ſe non inducere ad peccatum; alioquin ſic diceretur Deus fieri author peccati; quod eſt impium, atque hæreticum. Immò

Sciendum eſt 3. Legem illam eſſe *Sanctam, & mandatum Sanctum, & Iuſtum.* ad Rom. 7. Prob. ratione. Quia nullum habet præceptum ſive ex moralibus, ſive ex aliis, quod non ſit rationi conſentaneum. Item,

Sciendum eſt 4. Iudæis non defuiſſe gratias ſufficientes unde poſſent ritè illam ſervare, & cum merito. Ita Deuter. 30. *Mandatum hoc quod ego tibi præcipio hodie, non ſupra te eſt.* Huc adde illud Tridentini *ſeſſ. 6. cap.* 11. *Deus*

impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adjuvat ut poſſis.

Notandumque eſt, eo tantùm conſilio ab adverſariis doctrinam hanc ſupponi, ut tueantur ſuum dogma de libertate, & de gratiis ſufficientibus, quas in hoc ſtatu naturæ lapſæ nullas eſſe contendunt: tum ut dicant aliqua Dei præcepta hominibus juſtis volentibus, & conantibus, ſecundùm præſentes quas habent vires eſſe impoſſibilia. Quas propoſitiones *Temerarias, impias, blaſphemas, anathemate damnatas, & hæreticas declaravit, & uti tales damnavit* Innocentius X. Pont. Max.

Objic. Ezech. 20. Ipſe Deus ait ſe Iudæis dediſſe legem, ſeu præcepta *non bona:* Quæ verba poſſunt tantùm accipi in ſenſu Ianſenii. *Nego.* Ideo enim duntaxat lex illa dicebatur non bona, quia ipſis erat grave jugum, non modò propter difficultatem circuncisionis, ſed etiam quòd ingentem contineret multitudinem præceptorum tum cæremonialium, tum judicialium, ſub graviſſimis pœnis quæ transgreſſoribus infligebantur.

Objic. 2. Nihil imperabat niſi ex motivis rerum temporalium. Ergo illi ſervire cum iis motivis non poterant niſi cum peccato. Supponunt enim adverſarii peccatum eſſe id, ſi quid fiat ex alio motivo quàm Divinæ charitatis; nulloſque actus eſſe in individuo indifferentes. Sed hoc poſtea refutabitur; & interim ℞. Ad ſummum non debere æſtimari peccatum, ſi quis ea ſolùm inductus mente à ſcelere abſtineat, ne incurrat pœnas legibus præſtitutas. Et verò ſequeretur in adverſariorum ſententia nullam ferè eſſe legem aut Divinam, aut huma-

nam,

nam, quæ in peccatum non inducat, quia vix ulla eſt quæ non feratur ſub interminatione alicujus pœnæ. At præterea quod ſpectat Moſaïcam, perinde ac alias leges, *Quæro*; Quid illa ratio motivi temporalis de ſe non mali impediat, quominus ducerentur ſimul & amore virtutis? Nam & ipſe Deus hunc in finem auxilia gratiæ ſuæ omnibus ſemper obtulit.

Inſt. D. Paulus in Epiſt. ad Rom. 7. Satis apertè confirmat legem Moſaïcam fuiſſe de facto cauſam cur ubique peccarent Iudæi. Sic enim loquitur: *Peccatum per mandatum operatum eſt in me omnem concupiſcentiam.* Item, *cum veniſſet mandatum, peccatum revixit*, &c. ℞. Ex ipſomet Apoſtolo: *Quid ergo*, inquit, *dicemus? lex peccatum eſt? Abſit.* Hæc igitur in pio ſenſu accipienda ſunt. Nempe cum plerique ob ſcelera ſic eſſent excæcati, ut neſcirent ſe peccare, etiamſi revera peccarent; lex huic malo remedium attulit. Nam oſtendit quænam ſint facienda, quænam autem fugienda, ut boni mores informentur. Atque ideo *peccatum*, inquit, *non cognovi niſi per legem.* Item, *ſine lege peccatum mortuum erat*; ſic enim per ignorantiam legis videbantur excuſari à peccato, nec ſaltem ſciebant quidnam eſſet peccatum, ſicque apud illos erat quaſi mortuum, cùm de eo nulla fieret mentio. Verùm ne ſic more brutorum viverent ſine cognitione *recti*; tum ut intelligerent ſe eſſe peccatores, & quantoperè indigerent Chriſto redemptore, data eſt lex, ſeu mandatum; qua ratione *peccatum revixit*, id eſt, cognovere ſe peccatis eſſe obnoxios.

Inſt. Non tantùm hoc, ſed etiam fuit occaſio peccati. Nam, ut inquit, *peccatum. occaſione acceptâ per mandatum, ſeduxit me, & per illud*

 occidit;

occidit; & inventum eſt mihi eſſe ad mortem. ℞. Quia, ut vulgò ajunt, pro noſtræ voluntatis perverſitate, & licentia *nitimur in vetitum*; ideoque lex iis fuit *occaſio accepta*, non data, cur in peccatum ruerent: ſed hoc per accidens eſt ad legem ipſam, quæ potiùs de ſe abducit à ſcelere. Quamobrem ſubdit idem Apoſtolus: *Itaque lex quidem ſancta, & mandatum ſanctum, &c.*

CAP. III. *Varia Legis attributa, effectus, & proprietates.*

Dico I. Lex quatenus regula, ex natura ſua eſt directiva: id eſt, poteſt dirigere: ipſi enim tantùm accidentale eſt quòd dirigat actu. Quatenus verò tenemur eam regulam ſervare, dicitur obligans. Quæ obligatio in lege æterna, & naturali, ut vulgò ajunt, oritur ex natura rei; Nam obligat independenter à cujuſcunque libera voluntate, nec poteſt de ſe non obligare. Puta, *colendum eſſe Deum: nemini faciendam eſſe injuriam, &c.* At obligatio in lege poſitiva oritur ex voluntate, & poteſtate ſuperioris. Quare

Dico II. Lex poſitiva, ut eſt in legiſlatore, ſi adæquatè ſumitur, non eſt tantùm actus intellectus, ſed præterea ſecundùm eſſentiam complectitur actum voluntatis: quibus etiam accedit promulgatio, veluti ſaltem conditio eſſentialis. Prob. Vt enim habet à ſapientia legiſlatoris quòd ſit directiva, ita ſolùm habere poteſt ex ejus voluntate quòd ſit obligans: ergo contra Thomiſtas, perinde dicit actum voluntatis, ac intellectus. Prob. Ant. authoritate ſcripturæ: ex eo enim quòd aliquis faciat voluntatem Dei, dicitur legem implere; ſu-

mum-

muntur que iſta pro eodem. Vt Matth. 7. *Qui facit voluntatem patris mei*, &c. Conf. ratione. Quod enim ſuperior judicet aliquid eſſe ab inferioribus obſervandum, ex eo præcisè non obligat, ſi nondum velit obſervari. Prob. Quia poteſt illud eſſe duntaxat per modum conſilii: ergo lex debet ex eo differre à conſilio, quòd illi accedat actus voluntatis unde contrahat vim obligandi. Conf. Quia ex eo deſinit eſſe lex, quòd ſuperior ampliùs non velit obligare: ergo in eſſe legis conſtituitur etiam per actum voluntatis. Item per non uſum deſinit obligare, illudque habet ex eo tantùm quòd cenſeatur legiſlator non velle ampliùs obligare. Item lex eſt imperium quoddam: at imperium dicit aliquem actum voluntatis, ut poſtea explicabo: ergo & lex. *Ita D. Bonaventura cum Scotiſtis.*

Objic. Ex D. Th. lex eſt ordinatio, regula, &c. quæ pertinent tantùm ad intellectum; unde & vulgò ajunt, ſapientis eſſe leges condere. *Concedo* ſic pertinere inadæquatè ad intellectum, ſed quatenus eſt obligans, pertinet ad actum voluntatis.

Dico III. Lex de ſe obligat independenter à ſubditorum acceptatione. Dubium non eſt de lege naturali, aut de lege Divinâ; nam Deus abſolutè poteſt nos obligare ad illud quod voluerit, etiam independenter à noſtra acceptatione, cùm habeat dominium in creaturas omnes abſolutum. Prob. De lege poſitivâ humanâ. Quia lex illa eſt juſtum quoddam imperium ſuperioris ad ſubditos, propter bonum commune. Atqui imperium juſtum obligat ſubditos etiam reluctantes. Confir. Quia meritò poſſunt cogi ad legis obſervantiam: ergo ſic ad illam obligantur. Conf. 2. Quòd alioquin ſub-

diti poſſent eludere omne ſuperioris imperium, legemque omnem, per non acceptationem; nec ſuperior præſtaret poteſtate in ſubditos.

Objic. 1. Lex poteſt vim obligandi amittere per non uſum in ſubditis. ℞. Si fiat connivente, & non repugnante principe. *Tr.* Tunc enim cenſetur ampliùs non velle obligare ſubditos; alioquin vis eadem obligandi ſemper in lege remaneret.

Objic. 2. Sæpe in multis provinciis, & regnis expectatur conſenſus populi, ut lex valeat. ℞. Hæc fieri ubi princeps, vel communitas accepit tantùm poteſtatem condendi leges ſub eâ conditione. At plerique poteſtatem habent abſolutam, & independentem à ſubditis.

Dico IV. Quando lex eſt ſufficienter promulgata, ſuos habet effectus pro capacitate ſubjecti, non tantùm in iis quibus jam innotuit, ſed etiam & qui illam ignorant. Ita ſi quis ineat matrimonium clandeſtinum, aut alios contractus lege prohibitos, nullam vim habent, quanvis lex illos irritans ignoretur. Idémque eſt æſtimandum de legibus quæ inducunt inhabilitates, aut revocant conſuetudines, privilegia & facultates. Hæc enim non pendent à ſcientia ſubditorum, ſed à voluntate ſuperioris ſufficienter intimatâ; quomodo per proportionem res ſe habet in juribus, dominiis, & ſervitutibus quæ in nobis etiam ignorantibus oriri poſſunt per ſolam actionem & voluntatem alterius, ubi nihil eſt quod repugnet. Alioquin

Notabis, legem non poſſe eos obligare ſub peccato, à quibus invincibiliter ignoratur; petiturque iſtud ex rei naturâ, & incapacitate ſubjecti

jecti obligationi hujuſmodi repugnantis. Nam peccatum eſt voluntarium; ergo ſupponit in peccante aliquam rei cognitionem ſufficientem ad illud voluntarium: hanc autem cognitionem excludit ignorantia invincibilis, ſimul à culpâ excuſando.

Dico V. Effectus legis illi ſunt: 1. Dirigit præcipiendo bonum, & prohibendo malum. Quæ verò lex imperat aliquid faciendum, vocatur *affirmativa*: quæ prohibet, dicitur *negativa*: differuntque in eo, quòd negativa prohibeat omne malum, & pro omni tempore; ſeu, quemadmodum loquuntur, pro ſemper: affirmativa autem non imperat quodlibet bonum, nec pro ſemper. Sciendumque eſt legem dirigere per modum objecti cogniti, ſicut exemplar cui intendit artifex ſeſe ipſi conformando. Secundus legis effectus, ſeu officium, eſt obligare; unde & transgreſſorem facit obnoxium culpæ, tum pœnæ; alioquin fruſtra eſſet vis directiva, ſi deeſſet coactiva. Tertiò, conſequenter lex efficit bonos ſubditos, tueturque bonum commune; unde leges dicuntur eſſe quaſi Reipublicæ nervi quidam. 4. Lex non ſolùm imperat bonum, aut prohibet malum, ſed etiam permittit indifferentia: alioqui non eſſet juſta, neque accommodata, & proportionata conditioni ſubditorum, quos nimiùm gravaret.

Dico VI. Legis propria ſunt, Irritatio, Abrogatio, Diſpenſatio, & Declaratio, &c. Irritatio eſt quando abolетur antequam perfectè obliget: ut quando vis illius pendet ab alterius approbatione; ſi enim hæc denegetur, lex dicitur irritari.

Abrogatio eſt quando lex quæ perfectè obli-

gabat, ſimpliciter tollitur, ſeu aboletur. Derogatio verò eſt quando ex parte ſolùm tollitur.

Diſpenſatio eſt quando in aliquo caſu tollitur obligatio legis ab aliquo homine particulari, lege vigente in reliquis. Atque hujuſmodi quidem diſpenſatio non poteſt fieri niſi ab habente authoritatem.

Declaratio eſt quando exponunt legem in tali, vel tali caſu non obligare. Alij vocant legis *Interpretationem*. Hæcque eſt duplex; primò, quando explicatur mens, aut ſenſus legiſlatoris in aliquo caſu particulari, quem de facto habuit. 2. Altera dicitur correctio per æquitatem, vel ut vocant, *epiikiam*; quando explicatur mens legiſlatoris, aut ſuperioris quam prudenter judicamus habiturum fuiſſe in aliquo caſu, ſi illum prævidiſſet: vocaturque etiam hujuſmodi *interpretatio doctrinalis*: nam alia eſt *authentica*, quando ille interpretatur legem qui habet poteſtatem legis condendæ, unde ſubditi teneantur ſequi talem interpretationem.

DISPVTATIO IV.

Differentiæ, ſeu Diviſiones variæ actus Moralis.

CAP. I. *Actus eliciti.*

SVppono 1. Actum à voluntate noſtra elicitum conſiderari poſſe variis modis, ſeu ſecundùm diverſas formalitates. Primò, ſecundùm eſſe naturæ, quatenus eſt qualitas talis ſpeciei. 2. Vt eſt actio & effectus procedens à principio & cauſa efficiente. 3. Vt eſt actio vitalis, quia procedit vitaliter à potentia vitali.

4. Vt

4. Vt eſt volitio, quia eſt à voluntate. 5. Vt eſt actus voluntatis talis ſpeciei, quia eſt circa tale objectum, & ex tali motivo. 6. Vt habet rationem voluntarii, quia eſt ex cognitione circunſtantiarum, &c. 7. Quatenus eſt neceſſarius, ſi eſt à voluntate prædeterminata, & cum neceſſitate antecedenti. 8. Vt eſt liber libertate indifferentiæ, ſi eſt à voluntate ſeſe determinante, &c. Præterea verò

Suppono 2. Quod jam initio ſatis inſinuaveram, actui libero eſſentialem eſſe libertatem, ſeu potiùs hunc eſſe eundem cum libero; is enim non incongruè dicitur actus moralis, qui ex modo quo procedit à voluntate aptus eſt operantem facere bonum, aut malum, ſeu pœnâ, aut præmio dignum, ſi aliæ conditiones requiſitæ ex parte objecti, aut finis non deſint. Atqui hoc convenit actui libero. Ergo idem cum ipſo eſt. Nam & actus etiam liber, qui de ſe eſt indifferens, habet ex modo illo procedendi à voluntate, ut aptus ſit operantem facere aut bonum, aut malum in genere moris, ſi acceſſerit aliqua honeſta circunſtantia. Certè illud rectè dicitur eſſe conſtitutivum actus moralis, per quod diſtinguitur ab actu naturali, & qui non poteſt eſſe ſubjectum meriti, aut demeriti, quales ſunt illi actus omnes qui præveniunt uſum rationis, dicunturque indeliberati, &c.

Vel certè, ut cum Leſſio *in Morali, quæſt.* 18. loquar: *eſſe morale* humanorum actuum, prout differt ab eorum *eſſe naturali*, eſt fieri liberè cum ordine ad rectam rationem; qui ordo eſt fieri conſentaneè, vel diſſentaneè, vel indifferenter rectæ rationi. Atque his poſitis:

Dico I. Actus moralis alius eſt elicitus, nem-

pe qui immediatè ab ipſamet voluntate manat. Alii autem dicuntur imperati, qui ad imperium voluntatis eliciuntur ab aliis potentiis, ut ab intellectu, à ſenſu, à membris externis. Quo pacto ambulatio dicitur libera, quia imperatur à voluntate libera; ſicque habet illam denominationem ab extrinſeco.

Dico II. Ex elicitis actibus alii ſunt circa bonum; ut deſiderium circa bonum abſens, gaudium circa præſens, amor circa utrumque, abſtrahendo ſcilicet à præſenti, aut abſente. Alii verò ex iſtis elicitis, ſunt in fuga mali, ut timor circa malum abſens, triſtitia circa præſens, odium circa utrumque. Item

Dico III. Actus à voluntate eliciti, vel ſunt inefficaces, ſeu ſimplicis complacentiæ, aut diſplicentiæ: vel ſunt efficaces, ſeu efficacis complacentiæ, aut diſplicentiæ. Volitio & amor inefficax, ſeu ſimplicis complacentiæ, eſt quando habet quidem voluntas inclinationem ad bonum, ſed non ſe determinat ad media ut ipſum obtineat. Vnde potiùs dicitur velleitas, quàm volitio. Contra autem dicitur efficax ſive amor, ſive odium, quando voluntas ad media ſeſe determinat. Sic deſiderium, & gaudium; tum triſtitia, & timor dicuntur actus efficaces.

Notandumque eſt, voluntatem efficacem ferri ſimul non tantùm circa finem, ſed etiam circa media, ſaltem confusè. Prob. Quia ſic tantùm differt actus efficax ab inefficaci. Vnde ſcholaſticus ille non dicitur velle efficaciter fieri doctus, qui officii ſui partes omnes non curat, aliudve agit à ſtudiis. Ita nec ægrotus dicitur velle efficaciter ſanitatem, etſi amet illam intenſiſſimè, qui remedia non adhibeat. Conf. Ex

illo

illo communi dicto, *vis, & potes, ergo facies.* Et è contra, *potes, & non facis: ergo non vis*, eâ nimirum voluntate quæ eſt efficax, & ſola dicitur bona voluntas; ſumiturque hîc voluntas pro ipſius voluntatis actu. Huc pertinet dictum illud Chriſti. Ioan. 14. *Qui me diligit, mandata mea ſervabit.* Idem per proportionem æſtimandum eſt de odio, & diſplicentia peccati efficaci, cujuſmodi habere nos oportet, ut rectè perficiatur confeſſio Sacramentalis.

Not. 2. Volitionem & nolitionem efficacem de eodem objecto, quantumcunque ſub diverſis rationibus repræſentetur, non poſſe ſimul eſſe in eodem homine. Prob. Quia inferrent contradictoria, nempe rem fieri, ſimul & non fieri; ſiquidem hoc pacto media contraria ſeſe invicem deſtruentia ponerentur. At

Not. 3. Non pugnare ſimul efficacem, & inefficacem. Vnde illud ſacræ ſcripturæ, *Vult, & non vult piger*; quatenus enim habet ſolam voluntatem ſimplicis complacentiæ, non ſequitur media ad finem obtinendum. Præterea verò

Dico IV. Ex actibus à voluntate elicitis, alii verſantur circa finem; puta, amor ſimplicis complacentiæ, tum intentio, id eſt, amor efficax, ſeu volitio finis per media; tum fruitio. Circa media ſunt conſenſus, electio, & uſus.

Dico enim V. Poſita intentione finis determinatur intellectus ad inquiſitionem mediorum, quam conſilium, ſeu conſultationem, aut deliberationem appellant: unde facto judicio de mediis utilioribus ad finem comparandum, ſequitur electio unius præ alio.

Notabis autem conſultationem, ſeu conſilium quatenus eſt inquiſitivum mediorum, non cadere in Deum, cui res omnes ſunt manifeſtæ:

habet enim ſolummodo judicium de uno medio potiùs quam de alio. Item, non deliberatur de fine, ſed de mediis ad finem. Item, nec deliberatur de neceſſariis, aut impoſſibilibus, ſed de iis quæ à nobis fieri poſſunt.

Dico V I. Actus voluntatis qui primus ſequitur ad deliberationem, vocatur *conſenſus*; eſtque voluntatis ipſius libera determinatio ad aliquod medium fini intento proportionatum. Differtque ab electione; quia

Dico V I I. Electio eſt actus per quem ex pluribus mediis inter ſe comparatis, voluntas ſeſe ad unum potius determinat quàm ad aliud, ſicque unum præfert alteri. Quod non habet conſenſus; nam conſenſus eſt ſimplex determinatio, ſeu affectus voluntatis ad unum. Iam verò ab Ariſt. electio vocatur *conſultatrix mediorum*, quia conſultationem ſolet præſupponere; ideóque inter omnes voluntatis actus eſt maximè libera: nec deſinit eſſe abſolutè libera, etſi unicum duntaxat occurrat medium quod ſit neceſſarium ad finem obtinendum, modò libera ſit finis illius intentio; ſic enim electio illius medii neceſſaria erit tantùm ex hypotheſi finis qui liberè intenditur. Item, quando ſunt plura media æquè utilia; aut quamvis unum ex iis judicetur utilius; electio tamen non deſinet eſſe libera; quia nihil eſt in iis quod voluntatem neceſſitet ad eligendum unum potiùs quàm aliud.

Notandumque eſt, electionem eſſe duntaxat poſſibilium. Quia nihil poteſt eligi, niſi quod judicatur utile ad finem: ergo poſſibile.

Not. 2. Pueros etſi eligant, ac proinde libertatem habeant, non ideo peccare, cùm deeſt ſufficiens boni, aut mali moralis notitia.

Dico VIII. Vſus eſt actus voluntatis per quem aut ſeſe, aut alias facultates applicat ad executionem mediorum, unde obtineatur finis. At

Dico IX. Fruitio eſt actus voluntatis per quem fine obtento, ſeu bono poſſeſſo & amato quieſcit gaudetque. Quare fruitio non eſt niſi circa finem. Idemque eſt frui, ac delectari & conquieſcere in re poſſeſſa & amata. Cum igitur fruitionis objectum non ſit aliud quàm finis;

Notandum eſt, quàm præclarè dixerit B. Auguſtinus: *Hæc eſt humana perverſitas fruendis uti, & utendis frui.* Nempe in eo peccant homines, quòd bona creata, veluti finem ultimum quaſi contempto Deo proſequantur, & in eorum fruitione quieſcant; cùm tamen ſint tantùm media quibus uti debeamus in ordine ad aſſecutionem boni ſupremi, quod ex rei natura ſolùm eſt objectum noſtræ fruitionis.

CAP. II. *Imperium.*

IMperium ſumitur vel in actu primo, id eſt, pro poteſtate imperandi; vel in actu ſecundo, ſeu pro ipſo actu imperii; & ſic

Dico I. Imperium eſt ordinatio, ſeu applicatio inferioris ad agendum cum obligatione, propter finem à ſuperiore intentum. Quo pacto imperium differt à conſilio, quia conſilium non obligat. Item imperium non pertinet niſi ad ſuperiorem reſpectu inferiorum. At brutis non convenit, quia pertinet ſolùm ad potentias rationales, ordinare ad finem intentum.

Notandumque eſt, imperium non eſſe duntaxat actum intellectus, ut volunt Thomiſtæ; ex eo enim quòd ſuperior judicet aliquid eſſe faciendum ab inferiori, non idcirco tenetur illud præſtare, niſi præterea accedat voluntas; tum ipſius

voluntatis manifeſtatio, ſaltem ut conditio, unde oriatur obligatio ad agendum. Et verò

Dico I I. Voluntas in nobis, imperat quoque aliis potentiis ſibi ſubordinatis, quatenus illas applicat ad agendum. Sic ait D. Paulus *captivari intellectum in obſequium fidei.* Sic applicat oculos ad videndum, ſic potentiam motricem ad ambulandum, &c.

Notandumque eſt, duplex eſſe imperii genus: alterum vocatur *deſpoticum*; quando ille qui paret ſubjicitur imperanti inſtar mancipii, nec poteſt etiam jure ullo reluctari. Alterum eſt politicum, ſeu civile, quando ille qui paret reluctari poteſt.

Dico autem I I I. Voluntas imperat deſpoticè potentiæ loco motrici membrorum externorum. Prob. Quia citra omnem repugnantiam illi obtemperant, niſi obſtet morbus. Et ratio eſt, quia membra externa ſunt voluntati inſtrumenta ad nutum variis in rebus, unde illi perfectè ſubordinata eſſe debent. At

Dico I V. Imaginationi non imperat niſi politicè. Quia ut probatur experientiâ, ſæpe adeo tenaciter objecto ſuo adhæret, ut non niſi ægrè admodum à voluntate revelli poſſit. Quæ quidem tenacitas oritur primò vel ex præſentiâ objecti, vel 2. quia objectum eſt valde conforme naturali temperiei, & inclinationi; nec parùm etiam aliquando ad id confert Dæmon.

Dico V. Non imperat etiam niſi civiliter appetitui ſenſitivo. Prob. experientiâ, juxta illud Apoſtoli, *ſentio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ.* Eſtque illud commune: *Video meliora proboque, deteriora ſequor.*

Notandumque eſt, appetitum ſenſitivum non directè regi à voluntate, ſed potiùs indirectè, qua-

quatenus imaginationem ad alia objecta applicat: neque enim ille appetitus operationem exercet niſi circa objectum ab imaginatione repræſentatum. Item, cum libertatem non habeat, poſito objecto non poteſt non operari.

CAP. III. *Ius, Poſſeſſio, Dominium.*

ISTæ ſunt denominationes tantùm morales, quarum proinde notitia ad noſtrum inſtitutum pertinet.

Dico igitur I. Ius variis ſumitur modis: ac primò quidem pro eo quod eſt conforme legi; ſicque omni operi virtutis convenit, unde etiam appellantur juſti, qui opera virtutum exercendo placere Deo in omnibus ſtudent. 2. Sumitur pro eo quod eſt alteri debitum. Quomodo ajunt eſſe juſtitiæ, jus ſuum unicuique reddere. 3. Sumitur pro lege, quæ eſt regula juſtitiæ: unde qui leges addiſcunt dicuntur ſtudere juri; hincque etiam dicuntur Iuriſconſulti, qui leges interpretantur. Item, cùm ſententia judicis ſit quædam legis applicatio in aliorum controverſiis dirimendis, ideo jus dicit, ut ajunt, cùm ſententiam pronunciat. Præterea verò jus ſumitur pro legitima poteſtate quam quis habet ad rem aliquam vel faciendam, vel obtinendam, vel poſſidendam; at dicitur legitima, quæ à lege conceſſa eſt, ſeu permiſſa. At

Notabis poteſtatem illam vocari aut jus ad rem, aut jus in re. Ius ad rem, quando res quæ tua eſt, nondum à te poſſidetur, quia nondum tibi tradita eſt; contra autem jus in re, cum illam poſſides, ut ſi equus à te emptus jam fuerit tibi traditus.

Not. 2. Vt ſit jus in re tria requiruntur: 1. Ipſius rei exiſtentia. 2. Titulus, id eſt, cauſa

unde oriatur jus; cujuſmodi eſt vel emptio, vel donatio, vel hæreditas, &c. 3. Requiritur rei traditio, unde jam conſtituaris poſſeſſor.

Dico II. Poſſeſſio varias habet ſignificationes; aliquando enim ſumitur pro re poſſeſſa: at modò propriè illam ſumimus pro jure & actu poſſidendi, unde quis vocatur poſſeſſor. Sic autem à multis definitur, eſt occupatio rei tanquam ſuæ: cùm ſcilicet ita rem habemus in noſtra poteſtate, ut pro noſtro libito percipiamus bona omnia quæ ex eâ poſſunt à nobis percipi. Hæcque dicitur poſſeſſio facti. Nam alioquin vocatur poſſeſſio juris, cum ſic definitur; Eſt jus retinendi, & utendi re occupatâ, tanquam ſuâ: quæ particulæ, *tanquam ſuâ*, diſtinguunt propriè dictum poſſeſſorem, ab eo qui rem quidem occupat, ſeu illi inſiſtit; ſed nomine ſolùm alterius, & non tanquam ſuam; quo pacto tutor non eſt poſſeſſor bonorum pupilli, quibus tamen inſiſtit. At dicitur ille poſſeſſor bonæ fidei, qui rem juſto titulo detinet. Contra verò qui injuſtè retineret, eſſet poſſeſſor malæ fidei, nec verum haberet ipſius dominium.

Notandumque eſt, dominium eſſe extra eſſentiam poſſeſſionis; ſic enim beati Deum poſſident, cujus tamen dominium non habent: quanquam ea eſt plerumque rerum natura, ut rei poſſeſſio ſaltem juſta, dominium involvat.

Dico autem I. Dominium, unde quis vocatur Dominus, eſt jus vel gubernandi, vel diſponendi de re aliquâ tanquam ſuâ. Quare dominium ut ſic dividitur in dominium Iuriſdictionis, & Proprietatis.

Dominium juriſdictionis, eſt poteſtas gubernandi ſuos ſubditos, quod fit præcipiendo, vetando, permittendo, judicando, puniendo, præmiis afficiendo, &c. Do-

Dominium proprietatis, eſt jus diſponendi de re aliquâ tanquam ſuâ; quod fit illam pro libito vel retinendo, vel vendendo, vel dando, &c. At

Notabis 1. Soli naturæ intelligenti, ut Deo, & creaturis rationalibus convenire dominium. Prob. Quia per dominium non intelligitur potentia quælibet ad rem quamlibet: ſic enim potentia *v. g.* ſeu facultas in igne ad producendum calorem, non dicitur dominium: dominium igitur poſitum eſt in potentiâ liberâ, quæ pro ſuo libito poſſit re uti in ordine ad finem à ſe intentum; vel quæ poſſit regere ſubditos. Qua ratione Deus habet ſupremum in creaturas omnes dominium. Sic *Geneſ.* 1. conceſſum eſt homini dominium in hæc inferiora, &c. Quanquam

Not. 2. Dominium non fundari in actuali uſu libertatis; ſatis enim eſt ſi fuerit libertas in actu primo. Quomodo qui dormiunt, dicuntur nihilominus Domini rerum ſuarum; item ad Galat. 4. Puer dicitur Dominus, &c.

Not. 3. Rerum earum poſſe nos eſſe dominos, quas legitimo titulo acquirere poſſumus; puta, titulo emptionis, donationis, hæreditatis, &c.

Notandum verò eſt 4. Iure naturæ hominem non habere dominium in alium hominem, cùm ſimus omnes naturæ conditione pares. At jure gentium, & civili maximè inducta eſt ratio ſervitutis, per quam homines alii aliis ſubjicerentur; quæ tamen futura non fuiſſet in ſtatu Innocentiæ. Ita S. Auguſt. lib. 19. de civit. Dei, cap. 15. *Deus*, inquit, *rationalem hominem factum ad imaginem ſuam noluit niſi irrationalibus dominari, non hominem homini, ſed hominem pecori. Conditio quippe ſervitutis jure, intelligitur eſſe impoſita peccatori: proinde nuſquam ſcripturarum legi-*

legimus ſervum, antequam hoc vocabulo Noë juſtus peccatum filii vindicaret. Nomen itaque iſtud culpa meruit, non natura.

DISPVTATIO V.
DE
BONITATE, ET MALITIA
HVMANORVM ACTVVM.

CAP. I. *Natura actus boni.*

Docet Calvinus hominem quantumcunque dicatur ſanctificari, & juſtificari, (id eſt, tranſire ad ſtatum gratiæ ſanctificantis, quam & *juſtitiam* vulgò appellamus) non tolli peccatum, ſed tantùm veluti occultari, & tegi; ſicque in nobis remanere ſemper peccatum originale; neque alio modo nos fieri juſtos, & ſanctos, quàm per ſanctitatem in ipſo Chriſto exiſtentem, quæ nobis imputatur, quatenus illam apprehendimus per fidem. Eamque ob cauſam ſtatuunt hujus ætatis hæretici, non poſſe ab hominibus etiam juſtis eſſe ulla bona opera, quia illa coinquinantur ſemper à peccato nobis inhærente. Ex quo ſequitur, ut ajunt, legem Dei in hoc ſtatu naturæ lapſæ eſſe impoſſibilem, quia ſervari non poteſt per opera peccaminoſa; neque illa opera eſſe meritoria niſi damnationis æternæ, etſi fidelibus non imputentur à Deo. Item, ad ſalutem ſufficere ſolam fidem, per quam credamus peccata omnia nobis remiſſa eſſe propter Chriſti merita. Contrà autem

Suppono 1. Ex Fide Catholicâ, in juſtificatione peccatoris *tolli, deleri peccata*, & ab ipſis nos *mun-*

mundari, ut expreſſe habetur in ſacris literis. Item, infundi nobis qualitatem gratiæ juſtificantis, quâ homo interiùs renovetur, efficiaturque Deo gratus. Illáque eſt *Charitas Dei diffuſa in cordibus noſtris, per Spiritum Sanctum, &c.* ad Rom. 3. Item,

Suppono 2. Fieri à nobis poſſe opera moraliter bona, unde ſcilicet denominemur moraliter boni,& laude aut præmio digni. Ita Trid. ſeſſ 6. can.25. *Si quis in quolibet bono opere juſtum ſaltem venialiter peccare dixerit: aut, quod intolerabilius eſt, mortaliter, &c. ſit anathema.* Prob. Ex Scripturâ Sacrâ, quæ toties hortatur ad ſtudium bonorum operum. Sic legitur Magdalena *bonum opus operata.* Item Ioa. 15. *qui manet in Chriſto, fert fructum multum*, qui non poteſt eſſe niſi bonorum operum, ex influxu Chriſti ut vitis in palmites. Huc adde locum Matth. 7. de bona arbore.

Suppono 3. Contra Abailardum, ineſſe actibus externis aliquam bonitatem, aut malitiam. Nam & in ſacris literis aut laudantur, aut vituperantur. Quanquam maximè ineſt actibus internis. Sic enim actus fidei & charitatis, tum actus pœnitentiæ, ſeu contritionis laudantur maximè in ſcripturis.

Suppono 4. Hîc ſermonem eſſe de actu bono, vel ordinis ſupernaturalis, qui ſcilicet habeat aliquod ſui principium ſupernaturale, puta gratiam ſupernaturalem in ordine ad beatitudinem ſupernaturalem; vel ordinis tantùm naturalis, qui tantùm ſit à principio naturali, cujuſmodi ſolet appellari *actus moraliter bonus*, ut diſtinguatur à ſupernaturali, qui bonitatem moralem habet ſupernaturalem. Ab eâ igitur ut abſtraham, & explicem tantùm in communi quid ſit actus moraliter bonus;

Dico

Dico I. Ille actus eſt moraliter bonus, qui habet conformitatem cum rectâ ratione aliquid præcipiente, aut conſulente. Aut quemadmodum loquuntur alii, eſt ille qui verſatur circa objectum bonum, aut qui ex bono fine, aliis-ve circunſtantiis bonis, nullâ interveniente malitiâ exercetur. Prob. Hoc enim pacto habet integritatem, ſeu aggregationem earum perfectionum quæ à rectâ ratione præſcribuntur, *perfectum* autem idem eſt ac *bonum*. At

Not. 1. Bonum hujuſmodi actum vocari etiam *ſtudioſum*, & *honeſtum*: bonitatemque ipſam moralem per quam dicitur bonus, vulgò appellari *honeſtatem*, quæ eſt una ex præcipuis conditionibus ad meritum præmii. Item

Not. 2. Bonitatem illam ſumi, ſeu hauriri vel ab objecto, vel à fine, aliiſque circunſtantiis; quandoquidem actus non dicitur bonus, niſi quia eſt vel circa objectum bonum, vel ex bono fine, aut ex aliis circunſtantiis; quas Cicero vocat *adjuncta*, Ariſtoteles autem *ſingula in quibus eſt actus*, ſolentque hoc verſiculo comprehendi:

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

Notabis verò 3. Non eodem modo circunſtantias illas ſeſe habere ad actus noſtri vel bonitatem, vel malitiam. Primò enim aliæ ipſam augent, vel minuunt intra eandem ſpeciem: quomodo major, vel minor quantitas pecuniæ furto ablatæ reddit furtum aut gravius, aut levius. At 2. aliæ novam, & ſpecie diſtinctam aut bonitatem, aut malitiam ſuperaddunt. *Exempli causâ*, ſi quis occidit ſacerdotem ut bona illius diripiat; actus ille triplicem habebit malitiam ſpecie diſtinctam; prima eſt homicidii,

quæ

quæ petitur, ex objecto circa quod verſatur actus. Secunda eſt ſacrilegii, ex circunſtantia perſonæ Deo conſecratæ. Tertia eſt furti, derivata ex fine intento. Vltimò denique aliæ ex circunſtantiis habent ſe indifferenter ad bonitatem, aut malitiam actus.

Not. 4. Bonitatem eam quæ petitur ab objecto, eo ſenſu appellari primam, vel ut alii volunt, internam, ſeu ab intrinſeco, quia Moralis actus de ſe primò fertur ad objectum, tanquam in finem proximum atque internum ipſius actus. Tunc autem dicitur ſolùm bonus propter bonitatem finis extrinſeci, quando amatur objectum, non propter bonitatem intrinſecam, ſed tantùm propter bonitatem finis illius extrinſeci. Item, qui actus bonus eſt ex objecto, dicitur bonus ex naturâ ſuâ. Ratio eſt, quia objectum eſt id quod dat formam, ſeu ſpeciem actui; ſiquidem actus dicitur eſſe talis ſpeciei, quia eſt ad tale objectum: quamobrem bonitas quæ ſequitur eſſe actus ſpecificum, dicitur illi competere ex natura ipſius actus.

Not. 5. Eum actum qui ſit ex pluribus bonis circunſtantiis, habere plures bonitates, ſeu eſſe magis bonum, ſaltem extenſivè. Sic eleemoſyna quæ fit ex amore Dei, habet bonitatem tum miſericordiæ erga pauperem; tum charitatis Divinæ. Ita martyrium ex amore Dei, inquit D. Th. eſt actus charitatis ut imperantis; tum ſimul fortitudinis, ut elicientis, &c. At

Dico II. Vt actus ſit bonus, contrahat-ve bonitatem ex objecto, vel ex fine, aut ex aliis circunſtantiis, debet fieri ex motivo honeſtatis quæ in illis reperitur, quatenus videlicet illa honeſtas ſit cauſa cur agamus. Ita D. Th. Ita Ariſt. 2. *Eth. c.* 4. & aliis in locis ait debere fieri bona benè,

benè, & juſta juſtè, ut quis verè ſit juſtus, &c. Neque enim alioqui fieret opus virtutis, niſi ſecundùm materiale. Prob. ratione. Quia actus per ſe conſideratus, quatenus eſt circa objectum bonum, poteſt eſſe vitioſus; ut ſi exerceatur ex intentione finis alicujus pravi. Item, poteſt fieri ex motivo hujus, aut illius virtutis: ergo ut dicatur eſſe determinatè bonus, aut determinatæ alicujus virtutis, debet fieri ex motivo illius virtutis; alioqui non eſſet potior ratio unius, quam alterius. Conf. Quia brutum, aut puer nondum rationis compos, hoc ipſo quod moderatè comederet, diceretur exercere actum laudabilem temperantiæ, niſi præterea requiratur, ut fiat ex motivo, ſeu amore honeſtatis quæ reperitur in temperantia. Quamobrem rectè D. Aug. *non faciunt bonos mores, niſi boni amores, &c.*

Notandumque eſt conſequenter, non eſſe illum actum formaliter bonum bonitate morali, qui ſit tantùm ex naturæ inſtinctu, & pro temperamento perſonæ; qualis eſt manſuetudo naturalis; nec magis eſt laude digna, quàm quæ reperitur in bruto, *v. g.* in ovicula.

Notabis igitur nullam eſſe in actu noſtro bonitatem moralem niſi priùs volitam, ac proinde cognitam in objecto, ejuſve circunſtantiis, in quibus radicaliter eo ſenſu continetur, quòd bonitas noſtri actus ab iis quaſi hauriatur.

Dico III. Vt actus internus ſit bonus, nihil debet habere admixtum mali vel ex parte objecti, vel ex parte ullius circunſtantiæ. Probatur illo communi axiomate, *Bonum ex integrâ causâ, malum autem ex quocunque defectu*: Quia bonum idem eſt ac perfectum; ergo excludens omnem imperfectionem ipſius deſtructivam.

Nam

Nam ſi quid haberet adjunctum malitiæ, deſineret eſſe prudens & conformis rectæ rationi, quæ videlicet malum omne prohibet. Ita contra Caſſianum, mendacium *v. g.* quòd fiat ex intentione finis alicujus boni, non poteſt idcirco reddi ſub ea ratione bonum, & licitum. Alioquin, inquit D. Aug. *lib. contra mendacium c. 7.* poſſent iſto modo fieri licita, & caſta adulteria. Neque verò, ut habetur ad Rom. 3. *ſunt facienda mala, ut veniant bona.* Sicque *Immolantis ex iniquo oblatio eſt maculata, Eccleſ.* 4. Conf. Quia ſequeretur eleemoſynam ex intentione vanæ gloriæ, habere nihilominus aliquam bonitatem ex parte objecti, ſeu ex parte ſui, ac proinde ſic eſſe meritoriam apud Deum: hoc autem repugnat Chriſti doctrinæ, Matth. 6. ait enim eum qui ſic agat, non habiturum mercedem apud Patrem qui eſt in cœlis.

Not. Idem eſſe ſentiendum de actu externo qui ſit ab una tantùm perſona. Alioquin

Not. 2. Idem actus exterior, puta largitio eleemoſynæ; idem, inquam, ille actus à duobus hominibus quorum alter habeat pravam intentionem, pravus erit reſpectu illius; bonus autem duntaxat reſpectivè ad alterum. Sic enim eſt quaſi virtualiter duplex actus. Deinde actus exterior differt ab interno, quòd iſte ſit per ſe bonus, exterior verò bonitatem, aut malitiam formalem non accipiat niſi ab interno; quanvis & poſſit habere bonitatem, aut malitiam objectivam à ſe tantùm, ſeu ab objecto.

Objic. Excuſantur à peccato aliqui ex Patribus in veteri teſtamento eximiæ ſanctitatis, ubi aliquando res ſuas tegebant mendacio: Ergo ex intentione finis alicujus boni fieri potuit licitum; ergo actus aliunde malus, poteſt ſimul eſſe bonus.

bonus. Item obſtetrices Ægyptiæ quæ pueros Hebræorum concinnatis mendaciis ſervaverant incolumes, mercedem tamen à Deo acceperunt. ℞. Patres veteris Teſt. non erant impeccabiles; nec mirum ſi ita nonnunquam peccarint. ℞. Leſſius *in Morali* ex probabili ſententia, mentiendo non peccaſſe, quòd putarent ex errore invincibili mendacium in tam gravi cauſa fuiſſe licitum. Item obſtetrices Ægyptias mercede temporali compenſavit Deus; quòd pium illud officium Hebræis præſtitiſſent, non autem quòd fuiſſent mentitæ; qui erat actus ab alio diverſus.

Ob. 2. Qui ſubiret martyrium ex vana gloria, rem faceret ſimul bonam ex ſe, & malam ex fine perverſo. ℞. Martyrium ex tali circunſtantia foret duntaxat malum. Quanquam ſi faceret cum vana gloria, id eſt, accedente, ſeu concomitante vana gloria, non periret meritum martyrii, quia non foret hic unus & idem actus, ſed duo, quorum alter ſolùm foret leviter malus, ut ſuppono.

Ob. 3. Actus ille quo ex amore juſtitiæ reſtituam furioſo gladium, erit ſimul bonus, quia ſatisfaciam debito juſtitiæ; tum ſimul erit malus ex imprudentia. ℞. Hunc ſolum eſſe malum, propter malam circunſtantiam. Item, cùm ajunt poſſe me liberari à voto peregrinationis alicujus, quæ fiat ſimul ex mala aliqua circunſtantia. ℞. Licet hoc modo liber evadam, non erit tamen actus bonus, ob malam circunſtantiam: vel certè hîc erunt duo actus diverſi.

Colliges verò ex dictis, id quod ſecundùm ſe malum eſt, *v. g.* mendacium, non poſſe excuſari à peccato per bonam intentionem. Item, intentionem boni finis fieri malam, ſi quis inde ſeſe de-

determinet ad pravum medium, ut dare eleemoſynam ex re aliena.

CAP. II. *De aliis conditionibus ad bonitatem actus humani requiſitis.*

DICO I. Nec ſtatus gratiæ ſanctificantis, nec Fides Theologica ſupernaturalis, eſt conditio requiſita ad bonitatem actus moralis. Prob. Quia doctrina contraria damnata eſt à Summis Pontificibus inter errores Baïi, quorum plurimos, ne dicam ferè omnes tradit Ianſenius. Sic damnatur illa propoſitio. *Omne quod agit peccator, peccatum eſt.* Tum iſta, *Omnia opera infidelium ſunt peccata.* Et verò noſtra hæc aſſertio eſt D. Pauli ad Rom. 2. *Gentes naturaliter quæ legis ſunt faciunt.* Damnantque SS. Pontiff. eorum ſenſum, qui volunt hoc tantùm intelligi de gentibus fidem habentibus. Ita legimus *Dan.* 4. Danielem ſuaſiſſe Nabuchodonoſori; ut peccata eleemoſynis redimeret. Sic D. Aug. 5. de Civit. Dei. c. 15. ſcribit Deum Romanis conceſſiſſe tam magnificum & diuturnum imperium, quòd juſtitiam colerent. Probatur ratione. Quia homo etiam infidelis tenetur præceptis legis naturalis de ſervanda juſtitia, & temperantia; de honorandis parentibus, &c. quæ conſequenter in eo non poſſunt eſſe peccata; alioquin diceretur ſic obligari ad peccatum, quod fieri non poteſt. Item ſi ſtatus non modò infidelitatis, ſed & peccati mortalis in homine Chriſtiano repugnant cum actu virtutis; ſequitur eum non poſſe niſi peccando exercere actus fidei, & ſpei Theologicę, tum alios virtutum actus, quos docet Trident. eſſe diſpoſitiones ad juſtificationem prævias. Quæ omnia per ſe abſurda ſunt, & hæretica.

Notabis igitur D. Auguſtinum, cùm ait ex

Apoſtolo *omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt*, & conſequenter omnia infidelium opera eſſe peccata; Tunc ab eo quidem non ſumi *fidem* in ſenſu Apoſtoli, pro conſcientia; ſed pro Fide Chriſtiana & Theologali. Sed tamen aliud non vult D. Aug. quàm eſſe peccata Chriſtiano modo, & Theologicè, ut loquitur Suarez *lib. 1. de Grat. c. 7. & c. 21.* Eo nimirum ſenſu quia non tendunt ad ſupernaturalem hominis beatitudinem, quem defectum vocant peccatum. Quanvis philoſophicè, id eſt, ſecundùm rationes philoſophiæ, verè & propriè ſit actus moraliter bonus, quia eſt circa objectum de ſe honeſtum, nec pravâ ullâ circunſtantiâ corrumpatur; ut ſi quis pro officio parentem ſalutaverit, aut ex miſericordia pauperi opem tulerit, &c. Atque ita ex Suario loquitur D. Aug. contra Iulianum, referens illam definitionem virtutis, quam tradit Cicero: *Virtus eſt habitus naturæ & rationi conſentaneus.* Subjungit, *Sed quid ſit conſentaneum liberandæ ac beatificandæ naturæ mortalium, neſcierunt.* Quam expoſitionem de peccato ſolùm Theologicè, non autem philoſophicè probat etiam authoritate D. Thomæ referentis ſententiam Proſperi, cùm ait, *falſam eſſe virtutem, etiam in moribus optimis, ubi deeſt cognitio æternæ veritatis.*

Dico II. Ad bonitatem actus moralis, non eſt neceſſe ut formaliter referatur ad Deum ex intentione operantis, aut ut fiat ex motivo charitatis perfectæ. Probatur contra eoſdem adverſarios, cùm ajunt, *nihil amari, ſeu nullum intendi finem, niſi vel per vitioſam cupiditatem, quâ mundus diligatur, vel per laudabilem illam charitatem, quâ per Spiritum S. in corde diffuſâ Deus amatur.* Quæ propoſitio eſt damnata inter Baïanas.

Prob.

Prob. ratione; quia nullum ea de re præceptum extat; ſatiſque eſt ad bonitatem actus humani, ſi fuerit ex amore objecti alicujus boni, aut ex motivo cujuſcunque virtutis. Vt ſi quis audiat ſacrum die feſto eam ob cauſam quòd imperetur ab Eccleſia, nihil aliud cogitando. Alioquin ſequeretur paucos admodum exerceri actus bonos, cùm inter operandum tam raro actu & expreſsè cogitetur de Deo. Item ſi verum eſt quod docent adverſarii, ſequetur omnia opera quæ ante juſtificationem fiunt eſſe peccata, ut ſupra jam ajebam. Quod tamen repugnat Trid. ſeſſ. 6. cap. 7. Nec ſolus per ſe actus fidei, aut ſpei Theologicæ ſupernaturalis eſſet bonus; nec attritio, ſeu dolor ob peccata ex ſolo timore gehennæ conceptus; quem tamen Trid. ſeſſ. 14. cap. 4. docet eſſe ſufficientem diſpoſitionem ad Sacramentum Pœnitentiæ; quæ fuerat communis doctrina Theologorum omnium ante illud Conc. Trident. uti perinſigni opuſculo diſertè expoſuit P. Franc. Pinthereau contra fabulas ſectariorum.

Objic. 1. Ex D. Paulo 1 Cor. 10. *Omnia in Dei gloriam facite.* ℟. Eſſe conſilium majoris perfectionis, non autem præceptum. Habentque iſtud ſaltem boni omnes actus, ut de ſe, ſeu *relatione operis* quod vocant, referantur ad Deum; ipſumque objectivè ſaltem glorificant, quemadmodum Tract. 1. Diſp. 2. explicui; etſi ad Deum non referantur *relatione operantis*, id eſt, ex intentione formali illius qui agit.

Inſt. Gloria Dei eſt finis ultimus per ſe rerum omnium. *C.* Ergo debet ſemper eſſe primum movens in genere moris, quatenus omnia quæ humano modo à nobis fiunt, ad ipſum referre teneamur. ℟. *N. Conſ.* Lex enim procurandæ gloriæ Divinæ per noſtra bona opera,

N 2 dici-

dicitur lex affirmativa; cujus proprium eſt ut non obliget pro ſemper, quemadmodum ajebamus, id eſt, pro ſingulis actibus; ita ut quod primum intendam, quotieſcunque operor, ſit Dei glorificatio.

Inſt. 1. Quemadmodum nihil fieri poteſt in rebus phyſicis abſque influxu primæ cauſæ; ita neque in rebus moralibus debet quidquam effici, niſi etiam concurrente fine ultimo, qui eſt primum principium in genere morum. *N. parit.* Quia non habemus virtutem agendi ſufficientem ſine actuali concurſu activo primæ cauſæ. At poſſumus agere non intendendo finem ultimum, iſtudque in agendo nobis eſt liberum.

Inſt. 2. Omne agens alteri ſubordinatum in agendo, debet agere propter finem agentis ſuperioris cui ſubordinatur; alioquin ſubtraheret ſe ex illius ſubordinatione, peccaretque. Atqui homo eſt agens eſſentialiter ſubordinatum Deo, neque alium in finem eſt creatus, quàm ut gloriæ illius ſerviat, nec finem alium intendit Deus ubi operatur ad extra. ℞. Probari tantùm eſſe officii noſtri, ut gloriæ Divinæ ſerviamus; non autem ut pro ſingulis actibus illud præſtemus.

Inſt. 3. Deus eſt tantæ majeſtatis, ut idcirco nihil à nobis fieri debeat, quod ad ejus gloriam non referatur. *Diſt.* Ex præcepto, & obligatione. *N.* Ex conſilio, & pro majori perfectione. *Tr.*

Inſt. 4. Totum id quod ſumus à Deo eſt, & quidem propter ipſius gloriam. *Diſt.* Sive objectivè, ſive formaliter. *Tr.* Ergo pro ſingulis actibus tenemur intendere ipſam gloriam. *N. Conſ.*

Inſt. 5. Sequeretur nos non eſſe totos totaliter propter gloriam Divinam, ſi liceat nobis

ope-

operari, gloriam ipſius non ſemper intendendo. ℞. Sumus totaliter pro nutu ipſius Dei, quatenus pro ſuo jure & ſupremo dominio ſingulos actus poſſet à nobis exigere. At de facto non ſumus totaliter, quia pro ſua in nos indulgentia, & pro ſuavitate legis ſuæ hoc noluit imperare; ſed potiùs multa permittit noſtro arbitrio.

Inſt. 6. Agentia naturalia in ſuo genere multò perfectiùs glorificarent Deum, quàm homo, quia in omnibus ſecundùm omnes ſuas vires, & ſemper glorificant Deum. ℞. *Nego parit.* Quia agentia naturalia ſunt determinata ad unum, nec legem habent cui ſeſe pro arbitrio conformare debeant. Deinde homo glorificat Deum non tantum objectivè perinde ac naturalia agentia, ſed etiam formaliter, qui eſt modus glorificandi longè perfectior.

Objic. 2. Nihil aliud ſonat præceptum diligendi Deum *ex toto corde, ex totâ mente, ex totis viribus*, quàm ut omnia operemur ex amore Dei, ſeu gloriæ Divinæ. ℞. *Cum Tyrino in cap. 6. Deuter.* Simplici Hebraiſmo hæc omnia idem ſignificare, nec addi poſteriora, niſi ut rem eandem magis exprimerent, Deum videlicet eſſe à nobis amore appretiativè ſummo, & ſupra omnia diligendum: quod poſtea commodiùs explicabo Tract. *De paſſionibus humanis, ubi de amore.*

Inſt. Si liceret interdum operari ex alio motivo, ſequeretur nos hac ratione hærere in creatura, tanquam in fine ultimo; quia ad alium ulteriorem non tenderemus per iſtos actus. Atqui peccatum eſt, & quidem grave (inquit D.Th.) hærere in creatura tanquam in fine ultimo. *Diſt.* Sic hærere in creatura inordinatè, id eſt, violando aliquod præceptum Divinum, ut avarus in pecunia, ſi contra juſtitiam, aut aliud

præceptum illam appetat. C. Si ordinatè, & cum ſubordinatione ad legem Divinam. N.

Inſt. D. Aug. Amorem ejuſmodi creaturæ vocat non caſtum, ſeu adulterium quoddam ſpirituale, cum ſoli Deo debeatur noſter amor. *Diſt.* Amor appretiativè ſummus. C. Alioquin, nonne & alia multa licitè amamus, ſervato illo ordine? Neque verò ille cenſetur adulter, qui aliam, quam uxorem honeſta aliqua benevolentia proſequatur. Item, cùm idem S. Aug. tantopere commendat charitatem, ut dicat voluntatem ſine illa eſſe vitioſam cupiditatem; non eſt accipiendus in rigore, ſuppoſita præcedenti doctrina, ſed moraliter tantùm; quatenus vix contingit, ut qui Dei charitate eſt deſtitutus, non ſit penè ubique obnoxius ſuperbæ cupiditati & vitioſæ. Et verò ut ſcribit Suarez lib. 1. de Gratia c. 21. ſimilem locum D. Auguſtini exponens; quæ tam rara ſunt, tanquam nulla reputari debent: ideoque hæc prætermiſerat in diſputatione contra Pelagianos, quia nihil ad rem faciebant.

Dico III. Debet finis aliqua ratione in actum influere, ut ab ipſo bonitatem contrahat; id eſt debet exerceri actus ex aliqua finis illius intentione vel formali, cùm expreſsè intenditur; vel ſaltem virtuali, quando nimirum actus quo intenditur finis, in ſe ampliùs non exiſtens, remanet tamen in aliquo effectu ſuo, per quem, ut habet Mæratius, tanquam per virtutem ſuam influit in actus conſequentes, qui ob finem intentum fieri dicuntur. Quomodo per proportionem *v. g.* Sacerdos animo diſtracto, & alia prorſus cogitans, ubi profert verba Sacramentalia, Sacramentum nihilominus conficit, dummodo præceſſerit expreſſa intentio,

vi

vi cujus ſacris veſtibus ſeſe induerit; ad altare, aut ad tribunal pœnitentiæ ſeſe contulerit, &c. Alioquin

Not. Si finis vel formaliter, vel virtualiter hoc pacto non intenditur, actus ex eo nihil bonitatis contrahit. Ita qui diei, vel anni totius actiones obtulit Deo per actum charitatis, ab illa intentione, quæ dicitur habitualis, nihil bonitatis, aut majoris meriti recipiunt, niſi quæ vi illius oblationis de facto fiant. Prob. Quia ſi quis perinde alienas actiones obtulerit Deo per aliquem charitatis actum, non idcirco ex eo bonitatem illius charitatis in ſe contrahent: ergo neque propriæ, quæ non ſunt magis objectum illius oblationis. Item ſi quis infidelis idolo ſua omnia ſemel obtuliſſet, ſequeretur omnes poſtea illius actiones eſſe malas: quod vulgò negant Theologi, quia non eas exercet ex vi illius oblationis ſemel factæ: quod à pari ſtatuendum eſt de aliis.

Dico I V. Regula bonorum actuum, atque ut ajunt, bonæ voluntatis judex, eſt uniuſcujuſque propria conſcientia, ſeu dictamen rectæ rationis, quo mediante, voluntas noſtra redditur conformis æternæ legi, & Divinæ voluntati. Nam Divinæ voluntati, ut aliquid præcipienti tenemur ſub peccato nos conformare. Alioquin conſulenti ſolùm, aut inſpiranti aliquid majoris perfectionis, non tenemur ſub peccato obſequi. Quia in eo differt præceptum à conſilio, quòd præceptum obliget, non autem conſilium. Item,

Not. 1. Non tenemur ullo præcepto voluntatem noſtram poſitivè conformare cum Divina quoad omnem rationem volendi quam habet ipſe Deus. Quo pacto *v. g.* non tenemur agere ſemper ex intentione formali gloriæ Divinæ, quanvis illud foret majoris perfectionis. Item

Not. 2. Nec vi etiam ullius præcepti tenemur ſemper illam cum Divina conformare quoad rem volitam; quin potius licet aliquando velle oppoſitum, ſive per ſimplicem affectum, ſive efficaciter. Ita ſancti ipſi precibus contendunt plerumque impedire mala quæ ex Dei voluntate ſaltem conditionali nobis imminere proſpiciunt. Ita quis dolet vehementer de morbis quibus torquetur, de jactura bonorum, de morte parentis. Ita Chriſtus Dominus mortem ut naturæ contrariam, per ſimplicem diſplicentiam averſabatur; qui tamen doloris affectus non deſinit aliunde eſſe conformis voluntati Divinæ: cùm enim ſit naturalis, ſeu à natura, cujus ipſe Deus eſt author, non poteſt conſequenter illi diſplicere. Quinetiam

Not. 3. Affectum illum diſplicentiæ naturalis ad malum nobis contrarium, non impedire quominus perfectè conformemur cum ipſa Dei voluntate, qui juſtas ob cauſas hæc mala immittat: illudque Chriſti Domini quantum eſt ex nobis efficaciter uſurpemus; *ita pater, quoniam ſic placitum fuit ante te.* Luc. 10. tum 22. *Non me i, ſed tua voluntas fiat*; ita ut velimus omnino id quod vult.

CAP. III. *De auxiliis Divinæ gratiæ ad bonos actus neceſſariis.*

S*Vpponendum* eſt hoc loco non omne Dei beneficium propriè dici *gratiam*, quomodo beneficium creationis, & quæ pertinent ad dona creationis, ut ſupra jam monui, propriè non comprehenduntur ſub nomine gratiæ: ut bona valetudo, ingenium præſtans, aliaque id genus.

Suppono igitur 2. cum Suario lib. 1. De Grat. c. 13. Gratiam ut ſic eſſe donum naturæ in-

indebitum. Aliaque eſt gratia ordinis duntaxat naturalis, quæ ſervato nomine communi vocatur donum naturæ indebitum. Altera verò prætereà eſt ordinis ſupernaturalis; nec ſermo eſt niſi de gratia ordinis ſupernaturalis, ubicunque agitur de opere meritorio doni alicujus ſupernaturalis, & quod diſponit ad beatitudinem ſupernaturalem, qualis eſt clara Dei viſio. Atque his poſitis

Dico I. Sine interiori gratiæ auxilio non poteſt à nobis elici actus ullus virtutis ſupernaturalis ſive Theologicæ, ſive moralis cujuſcunque; item, nec ſine hujuſmodi auxilio ſpeciali poteſt in nobis eſſe vel initium fidei Theologicæ ſupernaturalis, aut diſpoſitio ulla formalis ad juſtificationem. Item, nec ſine illa gratia ſuperari poteſt ulla tentatio, vel mandata ſervari *ut oportet*, (quæ eſt phraſis Conciliorum) id eſt, cum fructu, ſeu merito alicujus doni ſupernaturalis. Hæc ſunt de fide, juxta Arauſ. II. Nam, ut inquit, *Divini muneris eſt cùm rectè cogitamus, & pedes noſtros ab injuſtitia tenemus: quoties enim bene agimus, Deus in nobis, atque nobiſcum ut operemur operatur.* Quæ intelligenda ſunt de bono in ordine ad ſalutem, quod ſupernaturale eſſe debet, ut ſit proportio mediorum ad hunc finem ſupernaturalem. Quare hæc gratia confertur non modò ut vires ad agendum ſuppeditet, ſed etiam, ut elevet ad ſtatum ſupernaturalem. At

Dico II. Ex Suario *tom. de Gratia. lib. 2. de Prædeſt. contra Vaſqueſium*, Poteſt homo, etiam in natura lapſa, exercere opus aliquod moraliter bonum, cum ſolo Dei concurſu generali, ſine ullo gratiæ dono etiam ordinis naturalis. Prob. 1. Authoritate ſacræ ſcripturæ ad Rom. 2.

Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis ſunt, faciunt: Vbi ſermo eſt de infidelibus, ut ſuperiori capite ajebam, idem verò eſt *naturaliter*, ac ſolis viribus naturæ, ut copiosè demonſtrat Suarez lib. 1. de Grat. cap. 8. Faventque in primis huic ſententiæ ſummi Pontifices in Bulla contra Baïum & Ianſenium. Favent & Concilia cùm docent, non poſſe ullum fieri opus bonum *ut oportet*, ſeu ad ſalutem, ſine gratia; nam ubi utuntur limitatione illa, ſatis innuunt aliud eſſe genus bonorum operum quæ non fiunt ex gratia. Qua de re videre eſt Suarem lib. 2. *de Prædeſt.* Prob. ratione. Quia nihil impedit quominùs per vires ſolius liberi arbitrii afficiatur quis miſericordiâ erga pauperem; filius pro officio amantiſſimum parentem ſalutet; & cætera hujuſmodi, quæ vires naturæ non ſuperant, cùm illa virtutum moralium opera non ſint niſi ordinis purè naturalis; forentque propria ſtatus puræ ipſius naturæ. Conf. 1. Quia ſequeretur hominis liberum arbitrium de ſe non valere niſi ad peccandum: quod quidem etſi legatur in Arauſ. 2. tunc accipiendum eſt duntaxat de peccato Theologico, ut fusè declarat Suarez: vel certè ut ſcribit *lib. 2. de Prædeſt. c. 16.* non dixit Conc. liberum arbitrium non habere poteſtatem naturalem niſi ad peccandum, ſed *non habere de ſuo niſi peccatum:* quatenus peccatum ut peccatum non eſt ex Deo, etiam ut authore naturæ; ſed tantùm à libero arbitrio, cùm reliqua omnia in Deum referenda ſint, ſaltem ut in authorem naturæ. Alioquin propoſitio illa damnatur à Summis Pontificibus contra Baïum, & Ianſenium. Conf. 2. Quia nullius generis natura eſt à Deo condita, cui non ſit ita proviſum, ut conſentaneam ope-

operationem exercere non poſſit: ergo idem à pari ſtatuendum eſt de homine. Nam hominis ut homo eſt operatio propria & conſentanea, eſt operatio honeſta: ergo talis ipſi connaturaliter debetur providentia & concurſus Divinus, ut illam propriis viribus interdum ſaltem exercere poſſit: videturque prorſus incredibile, & præter omnem rationem, ut quod cæteris rebus conceſſum eſt, ipſe ad rectam operationem aliquando exercendam auxilia neceſſaria connaturaliter non habeat.

Certè habet homo vi creationis, & providentiæ connaturalis rei cuilibet creatæ; habet inquam, omnia neceſſaria ut vivat ſecundùm eſſe animalis, & illi conſentaneas operationes exerceat. Ergo perinde, & à fortiori habere debet ut vivat ſecundùm eſſe rationale, quod perinde eſt illi eſſentiale, & nobilior pars eſſentiæ. Vivere autem ſecundùm rationem, eſt vivere honeſtè: ergo perinde vi creationis & providentiæ communis habere debet tanquam ſibi connaturaliter debitum, ut honeſtè poſſit vivere, moralis virtutis opus exercendo. Conf. Quia etiam in hoc ſtatu naturæ lapſæ poteſt homo per ſolas naturæ vires Deum diligere. Nam ut de philoſophis antiquis ſcribit Apoſt. *ad Rom.* 1. Poteſt naturaliter cognoſci quàm ipſe Deus ſit perfectus & bonus, quàm beneficus, & quàm nobis amabilis: ergo ſic poteſt voluntas in illum ferri per actum ſaltem alicujus ſimplicis complacentiæ, in quo nulla eſt ſuperanda difficultas. Quidni enim tam naturaliter hac ratione diligatur, quàm naturaliter cognoſcitur: iſtáque veritas firmatur authoritate Bullæ, quam toties jam citavimus. Vbi de diſtinctione amoris quo diligitur Deus.

Objic. Habetur ex SS. PP. tum ex variis Conciliis, nihil boni poſſe à nobis fieri ſine Chriſto, ejuſque gratiâ. *Diſt.* Nihil boni in ordine ad ſalutem. *Tr.* Nihil boni moraliter, ſeu ordinis duntaxat naturalis. *N.*

Inſt. *Ex Vaſqueſio.* Cùm homo ex naturæ ſuæ conditione ſit indifferens ad utramque partem, vi creationis & providentiæ communis non debetur illi concurſus, & cogitatio movens ad bonum, niſi quæ ſit indifferens. Quòd igitur homo diſponatur in talibus circunſtantiis, quæ inferant cogitationem congruam & efficacem, non eſt illud vi creationis, & providentiæ communis debitum: alioqui deberet omnibus, & ſemper dari: ergo illud non oritur niſi ex ſpeciali Dei providentia, & amore: ergo illa cogitatio congrua eſt donum gratiæ. ℟. Videri prorſus improbabile talem eſſe communem illam providentiam, ut in quacunque rerum naturalium diſpoſitione, interdum non oriatur cogitatio ejuſmodi congrua; nec filius *v. g.* bene natus, boniſque moribus inſtitutus habeat connaturaliter, unde amantiſſimum patrem, ubi occurrerit, ſalutare officiosè poſſit; quemadmodum jam dixi.

Inſt. 2. Per peccatum Adami amiſſum fuit jus habendi cogitationem hujuſmodi congruam: Ergo eſt ex gratiâ, quòd illam Deus uni concedat, quæ aliis denegatur. *N. Conſ.* Eſto enim, ſit majus beneficium pertinens ad creationem, & conſervationem communem; cujuſmodi eſt bona valetudo, ingenium præſtans, &c. non ideo tamen eſt propriè dicta gratia, ſeu donum naturæ indebitum; neque verò per peccatum Adami immutata ſunt ea quæ ſpectant ad naturalia, ut toties monui.

No-

Notabis igitur ex Suario, *loco cit. contra Vaſqueſium*, cogitationem ejuſmodi congruam non excedere ordinem providentiæ naturalis, nec propriè eſſe gratiam per Chriſtum, de qua ſtatuerunt Concilia contra Pelagium. Et verò poteſt vi eloquentiæ naturalis hoc modo quis etiam infidelis incitari ad actum virtutis moralis, nec tamen idcirco ſic dicetur *illuminari & inſpirari per infuſionem Spiritus Sancti*, ut loquitur Arauſ. 2. Item, propoſitis rebus fidei poſſet quis ex humanâ ſolùm traditione illis prudenter credere; quæ humana fides eſſet actus moraliter bonus: ergo juxta Vaſqueſium, eſſet ex illuminatione, & inſpiratione Spiritus Sancti: ergo dici poſſet ſufficere ad ſalutem, ut pote ex illuminatione Spiritus Sancti, quod abſurdum eſt: nec aberraret Pelagius dum aiebat ad hoc requiri tantùm prædicationem Euangelii quæ illuminaret intellectum, unde poſtea ſeſe quis ad credendum determinaret. Deinde ſequeretur non eſſe neceſſariam internam gratiam in ipſa voluntate impreſſam ad operandum, aut credendum *ut oportet, &c.* Quod conſequens eſt falſum, & omnino vitandum, ut ſcribit Suarez *n.*11. Item, ſic poſita ſolùm cogitatione congruâ, voluntas per ſolas vires proprias diceretur ſeſe determinare ad opus ſalutis: quod eſt hæreticum. Item, inde ſequeretur neceſſitatem gratiæ non oriri neque ex ſupernaturalitate actionum, neque ex finis excellentia, neque ex infirmitate naturæ, aut ex difficultate concupiſcentiæ, ſed potiùs ex conditione naturæ rationalis, propter indifferentiam, & univerſalitatem, ut ajunt, quam habet ſive ad hoc, ſive ad illud: tamque implicaret contradictionem fieri bonum actum ſine gratiâ, quàm

implicat voluntatem amare ſine prævia cognitione : ergo nec poſſet creatura rationalis condi à Deo ſine auxiliis gratiæ ; ergo illa gratia non foret gratia , quia eſſet donum naturæ debitum ; eſſet enim juxta exigentiam connaturalem ipſius creaturæ , nempe ut ageret modo ſibi connaturaliter debito , & conſentaneo. Item , ſequeretur Fidem ex revelatione Divina non eſſe primam gratiam , & initium juſtificationis ; ſiquidem boni actus illi morales de congruo meritorii , ut volunt , præcederent fidem. Atqui non eſt illud admittendum; ut cap. 4. mox explicabitur.

Dico III. Etſi poteſt de ſe aliquis virtutis moralis actus exerceri ſine gratia ; ea tamen eſt voluntatis noſtræ mutabilitas, atque inconſtantia ; tum in hoc ſtatu naturæ lapſæ ea eſt vis concupiſcentiæ, ut ſine dono gratiæ diu ſervari non poſſit tota lex naturæ ; aut gravior tentatio ſuperari. Quâ de re vulgò omnes conveniunt. Nec dicas , nulla ſunt ex iis naturæ præceptis , quæ per vires liberi arbitrii ſervari non poſſint : ergo poſſunt omnia. *Diſt. Ant.* Nulla ſunt diſtributivè ſumpta. *Tr.* Collectivè ſumpta. *N.* quomodo non ſequitur à te poſſe hac die confici mille leucas , etſi potes ex illis aut hanc, aut iſtam.

Notandumque eſt conſequenter , non poſſe propriis tantùm viribus Deum, etiam ut naturæ authorem, amari à nobis ſupra omnia, quatenus ille amor dicitur efficax , & includit propoſitum efficax ſervandi totam naturæ legem , vitando quicquid illi repugnat.

CAP.

CAP. IV. *De Merito bonorum actuum.*

M*Eritum* in communi, ſeu bonum, ſeu malum, dicitur illud quod aliqua retributione eſt dignum. At ubi meritum in bonam partem ſumitur, ſic definiri ſolet: eſt valor & dignitas actionis liberæ, cui reſpondet merces ex aliquo debito. Eſt autem de fide ex Concil. Trid. contra Calvinum poſſe nos apud Deum noſtris operibus mereri vitam æternam, &c. Ita ſcriptura ſacra docet vitam æternam eſſe *mercedem, coronam, præmium* bonorum operum; & dari intuitu bonorum operum. Matth. 5. *gaudete, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cœlis.* Tum 25. *poſſidete paratum vobis regnum; eſurivi enim, & dediſtis mihi manducare.* 1 Cor. 3. *Vnuſquiſque propriam mercedem recipiet ſecundùm ſuum laborem.* At opus illud dicitur meritorium, cujus intuitu datur merces & præmium: ergo, &c. Reſpondent aliqui Calviniſtæ dari quidem vitam æternam ex intuitu noſtrorum operum, ſed ex mera Dei liberalitate, non autem ex eorum merito & dignitate. Contra autem eſt. Nam idem eſt dari intuitu operum, & ut mercedem. Conf. Quia impiis infertur damnatio pro merito malorum operum: ergo bonis datur gloria & pro merito bonorum operum. Item 2 Timoth 4. datur ut *corona juſtitiæ.* Ergo non ſolùm ex liberalitate. Item 2. ad Theſſ. 1. *Vt digni habeamini regno Dei.* At digni non ſunt niſi propter bona opera, &c.

Objic. Vita æterna dicitur *Dei gratia,* Rom. 5. Ergo non eſt merces. ℞. Vocari gratiam, quia eſt ex operibus gratiæ. Vnde B. Auguſt. gloriam vocat *gratiam pro gratia.* Sicque dicitur *coronare ſua dona, quando coronat noſtra merita.*

At

At præterea vocatur gratia, quia gratiæ & bonitatis Divinæ eſt, quòd noſtra opera bona acceptet ad gloriam, cùm poſſet illa exigere tanquam ſibi multis nominibus, ſeu titulis debita.

Inſt. 1. Ex c. 11. *Si gratia, jam non ex operibus. Alioquin gratia non eſſet gratia.* ℞. Ibi ſermonem eſſe de ea quæ ſimpliciter eſt gratia, qualis eſt gratia vocationis ad fidem; aut gratia primæ juſtificationis, quæ non ſunt ex merito.

Inſt. 2. Gloria æterna paſſim in ſcripturis vocatur *hæreditas.* Atqui hæreditas aditur à filiis ſolo jure filiationis, & citra meritum. ℞. Donari quidem titulo hæreditatis; ſoloque illo titulo hæreditatis obtinetur ab iis qui in gratia Dei moriuntur ante uſum rationis. Adultis verò ex ordinatione Divinâ, non ſolùm illo hæreditatis titulo, ſed etiam titulo mercedis, ſeu retributionis confertur. *Scientes quòd à Domino accipietis retributionem hæreditatis.* ad Coloſſ. 3.

Inſt. 3. Sumus apud Deum ſervi inutiles *Luc.* 17. Ergo nihil apud illum promeremur; ac proinde nihil nobis debetur mercedis. ℞. Nos dici ſervos inutiles quatenus propriis viribus nihil proficere poſſumus ad meritum vitæ æternæ: at viribus gratiæ adjuti ſumus utiles. Ita 2 Tim. 2. Legimus juſtum eſſe *vas utile Domino,* ipſum bonis operibus glorificando. Item, reſpectu Dei ſumus inutiles, quantumcunque ſervemus ejus præcepta, quia nihil inde accipit utilitatis, unde fiat ditior; ſic enim *bonorum noſtrorum non eget.* Pſal. 15. Item, nec bonis operibus noſtris eſſemus nobis utiles, niſi Deus pro ſua bonitate illa voluiſſet acceptare ad præmium: ut jam explicaturus ſum.

Inſt. 4. Debet eſſe proportio inter meritum & præmium. Atqui nulla eſt inter noſtra opera

&

& vitam æternam; ac proinde non habent rationem meriti & præmii. *Prob. min.* Ex illo Rom. 18. *Non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis, ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis.* ℞. Si præcisè à gratia conſiderantur, de facto non ſunt condignæ. Item quia nulla eſt proportio temporis ad æternitatem; paſſiones autem iſtæ quaſi momentaneæ nihili videntur præ gloriâ æternâ quam obtinent: neque verò dignitatem completam, ſeu dignitatem cum jure ad gloriam de ſe non haberent, ſecluſa promiſſione & pacto Divino. Alioquin his poſitis conditionibus, ſcriptura declarat apertiſſimè 2 Theſſ. 1. *Dignos haberi regno Dei.* Item & 2 *Cor.* 4. Id quod in præſenti eſt momentaneum, æternum gloriæ pondus operari in nobis.

Inſt. 5. Chriſtus promeruit nobis vitam æternam: fitque injuria illis Chriſti meritis, niſi dicantur huic rei ſufficere, ac proinde fruſtra eſſe noſtra. ℞. Imò plus inde gloriæ in Chriſti merita refunditur; qui nobis quoque vim merendi propriis operibus noſtris promeruit. Neque hoc oritur ex inſufficientia meritorum Chriſti, ſed ex Dei ordinatione. Ita nihil detrahitur viti, quòd palmes in ea manens, fructum per ipſius virtutem & influxum afferat; ut tradit ipſe Ioan. 15. Atque his ſuppoſitis,

Dico I. Duplex eſſe genus meriti. Nam primò alterum eſt condignum, ſeu *de condigno*; cui ſcilicet ex condigno, id eſt, ex juſtitia debetur merces, diciturque meritum ſimpliciter. Alterum autem eſt meritum ſecundùm quid tantùm, quod vocant de *congruo*, ſeu congruum; cui non debetur compenſatio niſi ex aliqua decentia & honeſtate; nec propriè dicitur meritum. Item, meritum aliud eſt humanum, ſeu natu-

naturale; quod in bonis operibus moralibus, ſeu naturalis duntaxat ordinis reperiri poteſt: aliud verò eſt Divinum & ſupernaturale, quia ſolùm virtute ſupernaturali perfici poteſt, habetque ordinem ad præmium ſupernaturale; de quo maximè hîc ſermo eſt. At

Suppono ex Suare de Grat. *lib.* 12. *cap.*2. ad meritum præmii apud Deum requiri poſitivum aliquem voluntaris actum; neque enim eſſet meritorium abſtinere à malo, niſi illud fieret poſitivè voluntarium; alioqui mereretur homo dum dormit, quia tunc nihil mali operatur, &c. Item

Suppono 2. Hunc actum debere eſſe moraliter bonum. Alioquin malus meretur potius pœnam: neutrum autem meretur actus qui indifferens eſt.

Dico II. Debet eſſe actus liber. Prob. Quia eſſe meritorium, vel demeritorium, eſt proprietas quædam moralis; ergo ex natura rei ſupponit in actu eſſe morale, quod idem eſt ac eſſe liberum.

Notabis autem contra Ianſenium, aliam hîc non requiri quàm libertatem indifferentiæ. Ita enim Innoc. X. doctrinam contrariam damnat tanquam hæreticam. Sicque amor Chriſti in Deum, quo ſimul volebat ſalutem hominum (ut jam dixi *diſp.* 2. *c.* 3.) amor, inquam, ille erat in eo meritorius, & principium omnis meriti, quatenus extendebat ſe ad homines quos volebat ſalvare, cùm juſtè illos damnare potuiſſet. Nam ut docet Mæratius *Tr. de Incarnatione. Diſp.* 44. *ſ.* 4. Neceſſarium quidem eſt ut clarè Deum videns, illum amet aliquo amoris actu hoc, vel illo; at eidem liberum eſt, ut amet vel hoc, vel alio determinatè actu,

cum

cum extenſione ad talia, vel talia objecta creata quæ velit Deo, aut ex amore ipſius Dei, &c. Item etſi Deus diceretur acceptare ad ſalutem aliquas actiones neceſſarias, puta mortem Innocentium; non eſſet illa acceptatio ad meritum; ſiquidem meritum, & laus ſupponit actionem liberam.

Dico III. Ex communiori ſententia, de ratione operis meritorii in ordine ad ſalutem eſſe, ut fiat ex Fide; nullumque prorſus exiſtere meritum doni cujuſcunque ſupernaturalis ante fidem ex revelatione Divina; ideóque hanc eſſe inter gratias primam; eo nimirum ſenſu, quòd ſi dicatur ſufficere aliqua Dei cognitio, illam oporteat eſſe cognitionem ſupernaturalem aut fidei, aut ſaltem proximæ vocationis, ſeu internæ inſpirationis trahentis ad fidem, ut loquitur Suarez *lib. 2. de Præd. c, 16. n. 16.* Ita Card. de Lugo *Tom. de fide diſp.* 12. *ſ.2.* Vbi docet hanc aſſertionem eſſe communem omnium ferè Theologorum; & in hoc ſenſu Fidem eſſe initium & fundamentum noſtræ juſtificationis juxta ſacras literas; tum juxta Conc. Tr. *ſeſſ. 6.* Et verò ſi quod ante fidem exiſteret meritum etiam de congruo, illa non eſſet *initium, radix, & fundamentum* noſtræ ſalutis; nec etiam verum foret illud Apoſtoli *Heb.* 11. *ſine fide impoſſibile eſt placere Deo.* Quod de noſtra fide Catholica ex revelatione Divina intelligendum eſſe invenit Trid. initio ſeſſionis 5. Item

Dico IV. Docet Suarez *lib.* 12. *c.* 7. quemadmodum actus meritorius debeat eſſe aliqua ratione ſupernaturalis, & ex aliqua gratia profectus. Neque verò Deus fideles, ac maximè juſtos movere ad actus virtutis ſolet, niſi per cognitiones fidei, ejuſque ex motivis. Quanquam

ut tradit idem author *c.* 22. multorum Theologorum ſententia eſt, in homine juſto omnia moralia opera bona, quocunque tandem modo fiant, eſſe meritoria vitæ æternæ, ratione gratiæ habitualis illa moraliter elevantis ad majorem dignitatem; cùm Deo grata ſint omnia in ordine ad ſalutem, quæ ſic ab homine ſancto proficiſcuntur.

Dico V. Ad meritum condignum, ſeu meritum de juſtitia, requiritur ſtatus gratiæ ſanctificantis, & amicitiæ Divinæ. Eſt contra errorem Baïanorum, qui volunt ſatis eſſe ſi bonus actus prodeat à gratia actuali. Prob. Quia valor actus boni non tantùm ſumitur à conditione ipſius actus, ſed etiam ex circunſtantia perſonæ. Quomodo legimus *Gen.* 4. Deum priùs reſpexiſſe ad Abel, tum ad ejus munera. Vt igitur actus ſit ſimpliciter meritorius, id eſt, de condigno, debet eſſe ab homine ſimpliciter bono: non eſt autem ſimpliciter bonus, niſi uniatur perfectè principio bonitatis, nempe Deo: quod ſolùm fit per gratiam ſanctificantem; per quam etiam elevatur ſecundùm accidens ad eſſe Divinum, ſitque adoptivus Dei Filius, & ipſius regni hæres. Confir. auth. Apoſt. 1 Cor. 13. *ſi charitatem*, ſeu gratiam ſanctificantem *non habuero*, nihil ſum, &c.

Notandumque eſt, circunſtantiam hanc, ſeu dignitatem perſonæ, cæteris paribus, augere meritum bonorum operum, cùm ita plus placeant Deo. Quamobrem ſimilis actus, & ſub iiſdem circunſtantiis aliis, magis eſt meritorius in homine ſanctiori; pluſque etiam valet ipſius oratio apud Deum. *Ita Suarez de Gr. lib.* 12.

Dico VI. Opera quidem noſtra ejuſmodi per ſe quidem ſunt vitæ æternæ condigna dignitate pro-

proportionis mediorum ad finem. Verùm ut præterea ſint digna dignitate juſtitiæ, & complerè meritoria, unde per ea jus acquiratur ad vitam æternam, huc debet accedere *pactum*, ſeu *promiſſio Divina.* Ita poteſt quis toto die laborem impendere in excolendo alterius agro, unde etiam labor iſte dignus ſit mercede, quam tamen ex juſtitia exigere à domino agri nequeat, ſi cum eo non eſt pactus. Neque aliam ob cauſam multi beatorum, aut exiſtentium in Purgatorio actus boni, liberi, & ſupernaturales non ſunt meritorii, quàm quia nulla eſt ipſis facta mercedis promiſſio. Ita nec Chriſti opera citra promiſſionem fuiſſent actu meritoria: alioqui cùm de ſe habeant valorem & dignitatem infinitam ratione perſonæ operantis; nullum eſt poſſibile donum gratiæ aut gloriæ, quod de facto quibuſcunque aut Angelis, aut hominibus non inferrent. Poſita ergo promiſſione illâ, ſic *debitor nobis factus eſt Deus, non aliquid accipiendo, ſed quod ei placuit promittendo*; inquit D. Aug. ſerm. 16. de verbis Apoſt. & *promiſſum quidem ex miſericordiâ, ſed tamen ex juſtitia perſolvendum*; ut legitur apud D. Ber. lib. de grat. & lib. arb.

Objic. Promittit Deus perſeverantiam finalem, ſi illam aſſiduè poſtulemus; nec tamen ex illa promiſſione orationes noſtræ fiunt illius doni meritoriæ ſaltem de condigno. Ergo non ea eſt vis promiſſionis Divinæ quam aſſignavimus.

℞. Deus non promittit illam perſeverantiam per modum mercedis, ſed tantùm per modum liberalis beneficii. Sic enim alia eſt promiſſio quâ vir dives laboranti in vineâ promittit ſtipendium, inquit Becanus; alia qua petenti pauperi promittit eleëmoſynam.

Notabis autem infallibilem eſſe promiſſionem

nem Divinam, quia Deus ex natura ſua eſt immutabilis. Item

Not. 2. Calvinus quidem docet etiam ex promiſſione Divina donari nobis vitam æternam; ſed in eo differt à Catholicis, quòd neget idcirco noſtra opera fieri meritoria; quia vult nulla eſſe in nobis bona opera; ſed potiùs omnia eſſe peccata; quanvis, ut inquit, fidelibus non imputentur à Deo.

Dico VII. His quoque addenda eſt iſta conditio, ut actus ſit à viatore, id eſt, ab homine in ſtatu præſentis vitæ, in quo per merita bonorum operum tendere debet ad poſſeſſionem finis ultimi. Sic enim Deus pro ſua ſapientia, quatenus eſt ſupremus Angelorum, atque hominum gubernator, vi muneris illius dirigens creaturas rationales ad ſuum finem, proponit illis præmia quibus inducantur ad bonum; aut pœnas quibus deterreantur à malo: quæ ratio gubernandi, maximè eſt conveniens naturæ rationali. Vnde colliges actus bonos in termino, id eſt, in altera vita, defectu hujus conditionis, non eſſe ampliùs meritorios.

Dico VIII. Facilitas ex habitu virtutis per ſe reddit opus perfectius, magiſque meritorium. Prob. Quia cauſa eſt cur operans efficaciùs & appretiativè magis, magiſque intenſivè, & extenſivè, tum conſtantiùs amet objecti honeſtatem; ut patet experientia; neque ulla ex parte operis præſtantiam imminuit illa facilitas. Suppono autem in unaquaque virtute actum eum eſſe perfectiorem, quo tenditur perfectiùs ad proprium illius virtutis objectum, id eſt, magis intenſivè, & appretiativè amando illius honeſtatem; nempe quia eſt paratus plura facere, & pati pro illa honeſtate. Difficultas autem per

ſe

ſe facit ut minùs intensè & conſtanter ametur, quia voluntas naturaliter refugit à difficili, nec per ſe eſt cauſa majoris appretiationis; nam hæc oritur ſolùm ex apprehenſione bonitatis quæ eſt in objecto. Quanquam

Notabis difficultatem operis per accidens augere perfectionem actus & meriti; quando nimirum reddit opus utilius ad aliquem finem honeſtum obtinendum; cujuſmodi eſt humiliatio, & vitæ auſteritas, ad ſatisfaciendum pro peccatis, ad imitandam Chriſti vitam, &c.

Dico I X. Diverſam eſſe rationem bonorum operum noſtrorum, prout in diverſis ſtatibus gratiæ, aut peccati conſiderari poſſunt. Nam primò, ſi fiunt in ſtatu gratiæ, dicuntur viva, & ſalutis meritoria de condigno. 2. Si accedat peccatum mortale, dicuntur mortua, unde ſi quis eo in ſtatu moritur, nihil ipſi proſunt ad vitam æternam. Quanquam ſi peccator ille ad gratiam redit, quæ ſumma eſt Dei benignitas, merita ejuſmodi bonorum operum ſic mortificata reviviſcunt, ſuæque integritati priſtinæ reſtituuntur. 3. Denique ſi fiunt in ſtatu peccati mort. dicuntur mortifera, quia nullum unquam afferent fructum vitæ æternæ; neque ſi peccator ad gratiam redierit, vitam accipient, quia vitam nunquam habuerunt.

CAP. V. *De Actu malo, ſeu peccaminoſo.*

VT bonus ex integra cauſa, ita ex quocunque defectu moralis actus dicitur malus, & *peccatum*. Sicque ajebamus explicando B. Auguſtini, & Concilii Arauſ. ſententiam, actum etiam moraliter bonum vocari peccatum Theologicè, & Chriſtiano modo; quia non tendit ad finem ſupernaturalem, hæretque prorſus in natura;

naturâ; quanvis illa tendentia ſupernaturalis non ſit perfectio illi actui debita: alioquin actus moralis habens carentiam perfectionis alicujus debitæ, non tantùm Theologicè, ſed etiam philoſophicè vocatur peccatum, & quidem propriè damnabile, de quo nobis tantùm hîc ſermo eſt.

Dico autem I. Peccatum quidem ſecundùm ſe rectè dicitur eſſe malum contrà naturam rationalem; ſeu quod repugnat cum bono naturæ rationalis. Sed quia nullum ejuſmodi admitti poteſt malum quod non prohibeatur lege vel naturali, vel poſitivâ; ideo ſolet peccatum ſaltem actuale ſic definiri: *eſt legis transgreſſio*: aut ſi lubet, ex D. Auguſt. *eſt factum, vel dictum, vel concupitum*, quibus adde & omiſſum *contra legem æternam.* Quæ definitio complectitur omne peccati actualis genus. Meminitque tantùm legis æternæ, inquit Bellarm. ut comprehendat omnes alias, quæ vim ſuam non habent niſi à lege æterna; quamobrem illas transgrediens, peccat contra æternam, cujus participatio, & imago in nobis eſt *conſcientia.*

Notabis verò contra Ianſenium, conditionem ad peccatum eſſentialem eſſe ut à peccante fiat liberè libertate indifferentiæ: nam celebre illud eſt dictum S. Auguſtini: *Nemo peccat in eo quod cavere non poteſt*: damnaturque à Summis Pontiff. iſta propoſitio inter Baïanos errores: *Homo peccat etiam damnabiliter in eo quod neceſſariò facit.* Quod etiam Innoc. X. expreſsè proſcripſit tanquam hæreticum. Prob. ratione. Quia peccans ille eſt qui agit contra legem qua aſtringitur: nemo autem lege aſtringitur, niſi qui habet liberam agendi poteſtatem, & ſolutam ab omni antecedenti neceſſitate, Alioquin ſeque-

ſequeretur legem fore impoſſibilem illi qui peccat, ſi tunc non poſſet contra illam non agere: quod etiam eſt hæreticum, ut jam obſervavimus ex conſtitutione laudati Innoc. X. Quare

Not. 2. Ex eorundem Pontiff. Bullis contra Baïanos & Ianſ. ignorantiam *v. g.* Fidei Chriſtianæ in barbaris qui de Chriſtiana fide nihil unquam audire potuerunt, quam ideo vocant *infidelitatem negativam*: eam, inquam, ignorantiam & infidelitatem, quanvis ſit pœna peccati, non eſſe tamen peccatum. Prob. Quia illa eſt invincibilis ignorantia, nec fuit ipſis liberum hæc fidei noſtræ myſteria perdiſcere.

Not. 3. Actum moralem fieri peccatum vel ratione objecti de ſe mali, & lege prohibiti, vel ex prava circunſtantia. At non eſt neceſſe ad malitiam illam actus moralis, ut fiat ex amore malitiæ quæ reperitur in objecto, aut circunſtantiis; immò ſic repugnat amari quod malum eſt; ſufficit enim quòd appetamus aliquod bonum, cui ſit adjunctum aliquid rectæ rationi repugnans. Quare non tot requiruntur ad contrahendam malitiam in actu morali, quot requiruntur ad bonitatem. Obſervabam enim *c.* 1. *Aſſert.* 2. actum hunc non fieri bonum formaliter, niſi ex amore honeſtatis quæ reperitur in objecto, vel aliis circunſtantiis. Item

Not. 4. Actum moralem non reddi formaliter malum, ſeu peccaminoſum, niſi malitia objecti, aut circunſtantiæ malæ expreſsè cognoſcatur, aut debeat cognoſci, ut fit in ignorantia vincibili; aut etiam niſi ſaltem de ea dubitetur. Alioqui diceretur tantùm materialiter peccatum, nec læderet conſcientiam. Prob. Quia nullum eſt peccatum niſi liberum; nihil autem hujuſmodi eſt liberum in nobis

ſine prævia deliberatione, & conſultatione, quæ perfecta eſſe debet ſaltem ubi agitur de gravi peccato: at perfecta eſſe non poteſt, niſi expreſsè cognoſcatur malitia objecti, aut de ea dubitetur, cùm ſit præcipua in peccato circunſtantia. Et verò etiam peccatum quantumcunque ex genere ſuo grave, redderetur tamen leve, ſi adeſſet ſolùm imperfecta rationis advertentia, & deliberatio. Item,

Not. 5. Nec foret tunc quoque peccatum grave, niſi res cognoſceretur ut gravis, aut ſaltem de illius gravitate dubitaretur. Quia, ut dixi, non peccatur graviter, niſi ubi eſt perfecta deliberatio. Atqui non haberetur principium ſufficiens ad perfectam deliberationem in hoc negotio, nec conſequenter fieret perfecta deliberatio, niſi cognoſceretur gravitas malitiæ; aut ſaltem niſi apprehenderetur ut gravis. Conf. Quia ſi quod in ſe leve eſt, apprehenditur tamen ut grave, peccatur graviter: ergo ex oppoſito, ſi quod in ſe grave eſt, bona fide apprehenditur ſolùm ut leve, peccatur ſolùm leviter. Certè ſi quis pauperi furetur tantùm paucos aſſes, non cognoſcens ejus paupertatem, nec proinde gravitatem furti illius, non peccaret niſi leviter.

Objic. Qui ſunt aſſueti peccatis gravioribus, vix ullam in iis apprehendunt malitiam; ergo vix illi unquam in eo caſu peccarent graviter: quod abſurdum eſt. ℞. Non ideo excuſari à peccatis graviſſimis, quia laborant cœcitate, ſeu ignorantiâ tantùm vincibili.

Not. 6. Peccatum aliud eſſe internum, puta voluntas furandi; aliud externum, nempe furtum ipſum: nec minùs peccare dicitur ille qui habet voluntatem de ſe efficacem rei faciendæ,

ciendæ, quàm ſi actum externum ſimul adjungeret: qua ratione de eo qui deliberatè concupiſcit, Chriſtus ait Matth. 5. *jam mœchatum eſſe in corde ſuo.*

Dico II. Multiplex eſt peccati genus. Primò enim aliud eſt Originale, in quo naſcimur, derivaturque in nos ab Adamo per ſeminalem generationem; ſicque *in omnes pertranſiit.* Rom. 5. Aliud verò eſt perſonale, quod ſingulorum eſt ex uniuſcujuſque facto proprio: iſtudque vel eſt actuale, vel habituale.

Actuale eſt actus peccati qui admittitur vel committendo aliquid lege prohibitum; vel omittendo quod præcipitur. Vnde peccatum aliud eſt commiſſionis, præcepto negativo oppoſitum; omiſſionis aliud, contra præceptum affirmativum.

Item ex peccatis, 1. Alia ſunt ſpecialiter contra Deum, ratione virtutum ad Deum, aut ad cultum Divinum tanquam ad objectum proprium ſpectantium; quales ſunt virtutes Theologicæ, & Religio. 2. Alia ſunt contra proximum, quæ opponuntur juſtitiæ, & miſericordiæ. 3. Denique alia ſunt contra ſeipſum, ut quæ opponuntur Temperantiæ.

Item, alia ſunt peccata cordis; ut odium Dei, hæreſis, invidia, &c. 2. Alia ſunt oris; ut perjurium, mendacium. 3. Alia ſunt operis; ut furtum, homicidium, &c.

Item præterea aliud eſt peccatum ex paſſione; quod oritur ex motu appetitus ſenſitivi ſecum trahentis voluntatem ad conſenſum. 2. Aliud eſt ex ignorantia vincibili, quæ tamen videtur minuere voluntarium, niſi agatur de affectata, ſeu directè volita; nam hæc pertinet ad tertium genus, quod dicitur peccatum malitiæ;

O 2 cujuſ-

cujuſmodi citra paſſionem omnem ex plena, ut loquuntur voluntate admittitur.

Poſtrema peccati diviſio eſt in mortale, & veniale. Mortale eſt quando quis ex perfecta rationis advertentia, & libertate violat præceptum obligans ſub pœna perdendæ amicitiæ Divinæ, ratione materiæ quæ gravis ſit: ideoque dicitur mortale, quòd privet gratiâ Divinâ, quæ eſt ſupernaturalis vita animæ, & primarium principium operationum ſupernaturalium. Veniale autem ex eo ſic appellatur, quòd magis ſit remiſſibile, ſive ob levitatem materiæ, ſive ex defectu advertentiæ, &c.

Notandumque eſt, illud malitiæ genus quod ex objecto, vel circunſtantiis contrahitur, eſſe commune tum mortali, tum veniali. At mortale in eo differt à veniali; quòd præterea malitiam ſpecialem alteram includat ortam ex averſione à Deo, & amicitiæ ejus contemptu ſaltem virtuali; quaſi peccator pluris faciat creaturam, quàm Deum Iſai. 1. *Ipſi ſpreverunt me.* Item Deuter. 9. *contempſiſtis imperium Domini Dei noſtri.* Item Ioan. 12. *Dilexerunt gloriam hominum magis quàm gloriam Dei.* Item, ſic ajunt mortale & veniale in eo convenire, quòd ſint contra legem: differre autem inter ſe quòd ſolum mortale ſit contra finem legis. Nam ex 1 Timoth. 1. finis quidem legis eſt charitas; cùm eò ſpectet lex univerſa, ut ſancti ſimus, & diligamus tum Deum, tum proximum; quia ergo peccatum mortale deſtruit gratiam ſanctificantem cum habitu charitatis ipſi annexo; habet conſequenter illud ſibi proprium, per quod differat à veniali; quia veniale charitatem & gratiam ſanctificantem non excludit.

Nota-

Notabis verò hîc à nobis ſupponi contra Calvinum, tum contra Baïanos ex Bulla Pontif. *Dari peccata ex natura ſua venialia, nec omne peccatum mereri pœnam æternam.* Nam hoc loco idem per proportionem exiſtimandum eſt, ac de humana amicitia, quam offenſæ leviores de ſe non deſtruunt.

Dico III. Malitia peccati mortalis ex eo penſanda eſt maximè, quòd includat averſionem à Deo, ejuſque contemptum ſaltem virtualem. Item, quòd juſto Dei judicio mereatur æternam damnationem. An autem ea malitia ſit infinita, non poteſt intelligi niſi ubi agitur de natura *Infiniti.*

Dico IV. Peccati effectus ſunt: primò, macula, ſeu animæ turpitudo: tum offenſa Dei; unde peccator ſeſe indignum præbeat ejus amicitia; deinde injuria, violando jus Divinum, cum teneamur plus diligere Deum, quàm creaturam; item, ſequitur reatus pœnæ, ſeu obligatio ad pœnam ſubeundam, cui reus ipſius criminis fiat obnoxius. Alioquin ſi quis pro aliena tantùm culpa pœnam ſubeat, non dicitur eſſe reus pœnæ. Hîc verò eſt aliqua difficultas de peccati macula, quam & peccatum habituale vulgò appellant, unde quis denominetur peccator.

Notabis autem maculam illam non eſſe habitum vitioſum ab actu peccati relictum; is enim habitus remanet ſublato peccato in juſtificatis: ergo non eſt ille habitus.

Item, neque eſt ſolùm poſita in privatione gratiæ ſanctificantis. Qui enim peccaret in ſtatu puræ naturæ, contraheret maculam peccati illius ſine privatione gratiæ ſanctificantis: ſicque etiam modò in homine juſto contingunt

maculæ peccatorum venialium, abſque ulla gratiæ ſanctificantis privatione. Deinde qui jam ex peccato lethali amiſit omnem gratiam juſtificantem, poteſt per nova peccata iterum maculari, ut juxta ſcripturam, *qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc.* Cùm tamen eo in caſu fieri nequeat ulla gratiæ ſanctificationis privatio.

Item, neque illa macula eſt reatus pœnæ. Hoc enim damnatum eſt inter propoſitiones Baïi: quia illa macula dicitur peccatum quod deletur per pœnitentiam, remanente reatu ad aliquam pœnam illi peccato debitam.

Notabis igitur 2. Peccati maculam eſſe actum peccati illius phyſicè quidem præteritum, ſed moraliter, ſeu ex prudenti exiſtimatione perſeverantem, dum retractetur. Hæc enim eſt natura humanorum actuum, ut per moralem ſui perſeverantiam inferant ejuſmodi effectus, & denominationes. Simili enim modo quis dicitur miſericors, fidelis: item, quis dicitur fur, homicida, blaſphemus, eaſque maculas contraxit. Ita Petrus cenſetur me amare, quòd amoris actus aliquos exercuerit, nec contrarium quidquam præſtitit. Sic voluntas quâ quis vovit *v. g.* Religionem; etſi phyſicè tranſiit, moraliter tamen remanet obligans hominem ad votum perſolvendum. Ita inquit De Lugo, moraliter remanet voluntas conſecrandi quam ſacerdos habuit initio Miſſæ, etiamſi poſtea neque attendat, neque recordetur.

Notabis tamen 3. Non obſtare illa quominus concedamus & maculari animam per privationem gratiæ ſanctificantis ineſſe debitæ, ortam ex actu peccati. Sicque ex actu peccati fiet duplicis generis macula unde peccator coïnquinetur. Et verò quomodo ſi cui ob ſcelus

cum

cum probro & dedecoris notâ, publicæ alicujus dignitatis ornamenta detrahantur, inde cenſetur infamis; ita per proportionem dicitur maculatus peccator ex privatione gratiæ, unde naturæ intelligenti tantus accedit dignitatis ſplendor.

Dico V. Effectus peccati mortalis ultimus eſt æterna damnatio, duplex pœnæ genus complectens; altera enim eſt pœna damni, poſita in carentiâ viſionis beatificæ. Altera autem dicitur pœna ſenſus orta ex igne inferorum. Quanquam communis eſt Theologorum doctrina, infantes cum ſolo peccato originali mortuos, non ſubire niſi pœnam damni, quia propria voluntate peccatum illud non contraxerunt. Confirmaturque ex Matth. 25. non enim Chriſtus aliquos mittit in ignem æternum, niſi quia propriis actibus peccarunt, non exercendo miſericordiam erga pauperes, &c. Eſt, inquam, communis Theologorum omnium doctrina contra Ianſenium, etſi videatur illi favere quibuſdam in locis D. Aug.

CAP. VI. *De Actu indifferenti.*

DIco I. Ex noſtris actibus non ſolùm alii ſunt de ſe moraliter boni, quia ſunt circa objectum bonum; aut mali, quia ſunt circa objectum malum, ſed præterea quoque alii ſunt ex natura ſua, ſeu ſecundùm ſpeciem indifferentes. Nam actus humani habent ſpeciem moralem ab objectis ad dictamen rationis comparatis: atqui, ut vulgò ajunt, ſicut datur objectum conſentaneum rationi, à quo actus eſt bonus ſecundùm ſuam ſpeciem; & è contrà; ita datur objectum ad dictamen rationis indifferens ſecundùm ſpeciem, id eſt, nec conſenta-

neum, nec diſſentaneum rectæ rationi; puta tollere feſtucam, ambulare ob valetudinem, ſedere, ſcribere, &c. hac de re nemo dubitat. Sed difficultas eſt, an ejuſmodi actus, ut fiunt in individuo; id eſt, prout hic, & nunc reipſa exercentur, ſint verè & propriè boni, aut mali moraliter; ac proinde laude aut vituperio digni, quia ſcilicet, uti quidem volunt, tenemur illos referre ad Deum, aut ad finem alium honeſtum, ex quo trahant bonitatem; alioquin hoc ipſo quòd eam relationem à nobis non acciperent, fierent mali.

Notandumque eſt, hîc agi de actu libero. Nam certum eſt actus indeliberatos, & qui præveniunt uſum rationis, non eſſe moraliter aut bonos, aut malos: quia cùm liberi non ſint, non habent ullum eſſe morale: ergo nec bonitatem, aut malitiam moralem.

Dico autem II. Dari aliquos actus liberos etiam in individuo indifferentes. Ita D. Bonaventura, Scotus, Leſſius, multique alii percelebres viri; cum D. Hieronymo Epiſt. ad D. Auguſt. quæ eſt 11. inter D. Auguſtini Epiſtolas. Ita Ariſt. cap. de opp. *Non omnia*, inquit, *prava ſunt, aut honeſta, ſed eſt aliquid eorum medium.* Probatur ratione. Quia ambulare *v.g.* animi relaxandi causâ: vel procurare ſibi valetudinem, quia naturæ commoda eſt; aut morbos fugere; calore frigus per hyemem ad focum expellere, quia naturæ eſt incommodum, aliáque id genus, non ſunt quidem moraliter bona; neque enim quis ex eo cenſetur vir magis probus. Verùm neque etiam per ſe ſunt mala. Probatur. Quia proſecutio boni illius naturæ commodi, aut delectabilis, oritur ex naturali inclinatione voluntatis, neque ulla hîc

inter-

intervenit legis prohibitio, ut ſupponimus: ergo non eſt mala; cùm inclinatio naturalis à Deo inſtituta, per ſe non inclinet ad actus malos. Certè bonum naturæ conveniens, modò nihil habeat annexum quod legi repugnet; bonum, inquam, illud eſt verum bonum, & dignum quod expetatur per ſe: nam ſicut natura eſt in ſe bonum, ita etiam & illud quod per ſe naturæ conveniens eſt: ergo id appetere ſub iis circunſtantiis, non eſt malum. Confir. Quia paſſim iſte agendi modus à viris etiam bonis uſurpatur, nec putant ſe in eo peccare; eſtque humani generis ſenſus communis: ergo non poteſt eſſe peccatum. Confir. 2. Quia in ipſo Chriſto voluntas ut natura, ſeu ex naturali inclinatione vitam appetiit, quia naturæ commoda, abhorruitque à morte, præciſè quia naturæ repugnans: ergo illi affectus naturales de ſe non ſunt mali. Confir. 3. Quia promiſſiones veteris Teſtamenti, ut ſcribit Leſſius, erant bonorum indifferentium, ut abundantiæ frumenti, longioris vitæ, publicæ tranquillitatis, &c. Ergo bona illa per ſe appetere non eſt peccatum: alioquin Deus hujuſmodi præmia Iudæis proponendo, magnam peccandi occaſionem illis præbuiſſet; quod ſoli admittunt Baïani & Ianſeniſtæ cum hæreticis; uti ſupra expoſuimus, *Diſput.* 3. *append. ad c.* 2.

Reſpondent adverſarii, illa quidem etiam in individuo, ut talis ſunt naturæ, non dici mala, ſed tantùm ex defectu circunſtantiæ debitæ; nempe ex defectu relationis ad finem honeſtum.

At contra eſt: nulla enim lex vel naturalis vel poſitiva proferri poteſt, quæ obligationem eam nobis imponat, ut ſingulos actus delibe-

ratos ad aliquem honeſtum finem referamus. Quin potius legis officium eſt, non modò vetare malum, & quædam imperare bona, ſed etiam permittere indifferentia fieri & ex motivo indifferenti, puta ob naturæ commodum; alioqui lex illa foret nimis violenta, ac proinde non juſta, aut Divinæ bonitati minùs conſentanea; quia non ſatis congrueret naturæ voluntatis, cujus inclinatio eſt in commodum, ac delectabile; neque infirmitati humanæ, cui nimis difficile eſt ita in omnibus avelli à ſuis commodis, ut ſemper ad rationem honeſti intendat.

Notabis igitur creaturam rationalem non teneri quidem quoties agit liberè, ut agat poſitivè conſentaneè rectæ rationi, ſed ſolùm ut negativè; id eſt, ut toties nihil agat quod rectæ rationi adverſetur.

Not. 2. Videri quidem alicubi nobis eſſe contrarium D. Th. ſed illum ſic interpretatur Leſſius, ut omnis actus moralis ſit bonus aut malus vel formaliter, vel ſaltem materialiter. Quo pacto moderata ambulatio *v. g.* (quam ſupponimus non fieri ex ullo virtutis motivo, ſed tantùm ex motivo ſervandæ valetudinis:) ambulatio, inquam, illa dicitur materialiter bona, quatenus nihil habet in ſe repugnans, quominus fiat bona formaliter ex intentione alicujus finis honeſti. Alioquin mendacium *v. g.* nec formaliter, nec materialiter bonum eſt, quia ex natura ſua eſt malum, nec proinde ex ulla cujuſcunque honeſti finis intentione reddi bonum poteſt.

CAP. VII. *Solvuntur objectiones.*

OBjic. 1. Ex duobus oppoſitis neceſſe eſt alterum ineſſe ſubjecto illorum capaci: ergo

ergo neceſſe eſt bonitatem, aut malitiam moralem ineſſe actui noſtro libero. *Diſt. Ant.* De oppoſitis immediatis. *Tr.* Nego de mediatis, id eſt, quæ medium aliquod habent vel per utriuſque extremi participationem, ut tepiditas; vel per utriuſque negationem, ut ea quæ ſunt indifferentia.

Inſt. 1. Ille actus noſter vel perfectus eſt, & conſequenter bonus: vel imperfectus, & conſequenter malus. Prob. Quia vel illi nihil deeſt, vel aliquid. *Diſt.* Eſt perfectus, & bonus bonitate tranſcendentali, quia nihil ipſi debitum deeſt. *C.* Bonus bonitate morali. *N.* Hoc enim eſt ipſi accidentale ex circunſtantiis non debitis, quæ citra malitiam omnem abeſſe poſſunt. Quare poteſt eſſe neque perfectus, neque imperfectus moraliter, ſi fuerit de objecto indifferenti.

Inſt. 2. Relatio, ſeu ordinatio vel mediata, vel immediata ad finem ultimum hominis, eſt ipſi debita: ergo citra malitiam abeſſe non poteſt. *Prob. Ant.* Homo quatenus viator tenetur tendere ad ultimum finem propter quem à Deo eſt conditus; quod præſtare non poteſt niſi per meritum ſuorum actuum: ergo ſuos omnes actus debet reddere meritorios, ſaltem ex intentione finis alicujus honeſti: nec ratio & libertas à Deo conceſſa eſt homini aliam ob cauſam. *Diſt. Ant.* Tenetur tendere ad finem ultimum per aliquos ſaltem actus. *C.* Per omnes. *N.* Et verò cuilibet viatori licet aliquando ſubſiſtere in via.

Inſt. 3. Iure naturali tenemur ſequi rectam rationem, quæ illud imperat. *Diſt.* tenemur illam ſequi negativè ſaltem, quatenus illi contrarium nihil admittamus. *C.* Poſitivè, quatenus

omnes noſtri actus debeant ordinari ad finem aliquem moraliter bonum. *N.*

Inſt. 4. Actus non ordinatus ad finem ultimum, privaretur aliqua perfectione: ergo eſſet malus. *Diſt. Ant.* Perfectione indebita. *C.* debita. *N.* Vnde ſequeretur tantùm eſſe non bonum.

Inſt. 5. Homo ut ratione utens debet ſemper agere propter finem. *Tr.* Sed non tenetur ſemper agere propter finem moraliter bonum. Puta ſi velit deambulare animi tantùm relaxandi cauſâ.

Inſt. 6. Vt rationalis debet agere propter bonum hominis proprium, nempe honeſtum: alia enim bona ſunt nobis cum brutis communia. *Diſt.* Debet ſemper agere poſitivè propter bonum honeſtum. *N.*

Inſt. 7. Agendo ſolùm propter utile aut jucundum, ageret more brutorum. *Diſt.* Sic agendo ſemper. *Tr.* Si aliquando tantùm, ubi contrarium non imperatur. *N.* Item ſic ageret cum electione: ergo non more brutorum.

Inſt. 8. Ille actus eſſet otioſus: ergo eſſet malus; quia damnatur à Chriſto verbum otioſum, Matth. 12. ſiquidem ait de illo nobis eſſe reddendam rationem. Ergo & actus otioſus. ℞. Ex D. Greg. Otioſum verbum, illud dicitur *quod caret aut ratione juſtæ neceſſitatis, aut utilitate vel loquentis, vel audientis:* quomodo qui fallendi ſolùm temporis cauſâ proferret verba futilia. Quod per proportionem æſtimandum eſt de actu, qui ſaltem non fit ob aliquod naturæ commodum; nec enim illa habent vitium otioſitatis, quæ ordinantur ſaltem ad naturæ commodum non illicitum. Vt tradit D. Bonav. Quin potius, ſunt materialiter bona eo ſenſu quem ſupra explicabam.

Ob-

Objic. 2. Omnis actus moralis noſter vel eſt conformis ſeu commenſuratus rectæ rationi & prudentiæ, vel non: ergo vel eſt bonus, vel malus, quòd ab illa regula vel deficiat, vel illam excedat. ℞. N. *Ant.* Nam alii neque conformes, neque difformes ſeu contrarii ſunt rectæ rationi, & prudentiæ præcipienti bonum aliquod, ſiquidem nulla eſt ejuſmodi prudentia, aut recta ratio quæ præcipiat bonum quodlibet: vel certè actus indifferentes dici poſſunt conformes rationi, ut permittenti indifferentia. Item ſufficit eſſe conformes ſaltem negativè, quatenus non ſunt contrarii.

Inſt. 1. Quæ alicui regulæ commenſurantur, non habent medium inter rectum & irrectum. Ergo & quæ commenſurantur rectæ rationi. ℞. Diſcrimen eſſe inter regulam mathematicam, & moralem; hæc enim permittit indifferentia; ſicque permittit medium; ſufficitque actum illi eſſe conformem ſaltem negativè.

Inſt. 2. Tenemur ſemper operari ex prudentia, ſeu conformiter ad judicium prudentiæ, unde omnis actus noſter deliberatus dicatur prudens; ergo & bonus. ℞. Actum illum eſſe prudentem, qui legi Divinæ eſt conformis ſaltem negativè. Quamobrem vir prudens omnis dicitur bonus; tum quia viri boni partes poſitivè implere ſtudet; tum quia ex eadem prudentia cavet ne quid officio ſuo contrarium admittat.

Objic. 3. Vt ſe habet actus noſtri intellectus ad verum, aut falſum; ita noſtræ voluntatis liber actus ad bonum, aut malum. Atqui verum & falſum medium non habent. N. *parit.* Quia hæc ſunt immediata contraria, non autem bonum & malum.

Inſt. 1. Objectum actus voluntatis noſtræ vel

eſt bonum, vel eſt malum : ergo ille actus erit vel bonus vel malus. *Diſt. Ant.* Eſt bonum aut malum vel phyſicè, vel moraliter. *Tr.* Nam in noſtro caſu objectum illius eſt bonum phyſicè, & naturæ commodum; at moraliter neque eſt bonum, neque malum.

Inſt. 2. Quicquid eſt appetibile, vel eſt bene, vel malè appetibile. Ergo vel eſt bonum, vel malum. ℞. Addendum eſſe antecedenti, *vel indifferenter appetibile*; id eſt, ex motivo indifferenti ad bonitatem, aut malitiam moralem.

Inſt. 3. appetitio noſtra omnis virtualiter ſaltem fertur in Deum, ut dictum eſt *Tract.* 1. *diſp.* 2. *c.* 3. Ergo inde ſaltem trahit aliquam honeſtatem moralem, ſi nullam habuerit circunſtantiam malam. ℞. Actum voluntatis noſtræ non trahere bonitatem ab objecto, vel fine moraliter bono, niſi deliberatè, & non ſolùm ex naturali inſtinctu amato. Item niſi ametur propter honeſtatem quam in ſe habet.

Inſt. 4. Nulla eſt ejuſmodi appetitio, quæ non fiat ex principio honeſto, ſeu moraliter bono: ergo nulla ſolutio. *Prob. Ant.* Fit enim ſaltem ex charitate propria; qui enim ambulat, qui comedit propter ſanitatem, &c. ſic operatur ſemper ex amore ſui. *Tr.* Atqui amor ille ſui eſt quid honeſtum, & moraliter bonum. *N.* Eſt enim tantùm quid indifferens de ſe; cùm aliud nihil ſit quàm paſſio naturalis, & nobis etiam communis cum brutis animantibus, quæ ſic pariter ex amore ſui operantur. Item, & peſſimi quique dum nequiter agunt, ex amore ſui agunt.

Inſt. 5. Qui actus eſt regula virtutis, eſt bonus moraliter : atqui talis eſt amor ſui; nam quilibet jubetur à Deo amare proximum ſicut ſeipſum. *Diſt. Ma.* Qui actus eſt regula ſecundùm

dùm formale virtutis. *C.* Atqui eſt tantùm regula ſecundùm materiale virtutis; quomodo diligentia formicarum, temperantia brutorum, pietas ciconiarum, & cætera id genus ſtatuuntur nobis in exempla, & regulas virtutis moralis ad honeſtè vivendum.

Objic.4. Nullus eſt actus noſter humanus qui non debeat exerceri à nobis juxta modum alicujus virtutis moralis, quem dictat prudentia. Sic enim ubi quis ludit, deambulat, comedit, &c. debet in iis ſervare decentiam, & mediocritatem. ℞. Servari in iis mediocritatem vel ex motivo tuendæ valetudinis; vel ex motivo honeſtatis, ſeu propter morum decentiam, qui eſſet actus virtutis. At illos actus exercere ex motivo virtutis non tenemur ſub pœna peccati.

Inſt. 1. Quod eſt poſitum in mediocritate, eſt opus virtutis. Atqui ſic poſitum eſſet: ergo, &c. *Diſt. Ma.* Et ſit ex motivo honeſtatis. *C.* Alioquin eſſet tantùm opus virtutis ſecundùm materiale.

Inſt. 2. Ideo mediocris *v. g.* deambulatio dicitur honeſta deambulatio. *Diſt.* Eſt honeſta materialiter, non formaliter, niſi fiat ex motivo, ſeu amore honeſtatis quæ in illa reperitur.

Ob. 5. Ex doctrina D. Aug. voluntas ſine charitate, non eſt niſi vitioſa cupiditas. Quinètiam ut ſcribit D. Bern. *Clamat innata, & nota rationi juſtitia, quia ex toto illum diligere homo debet, cui ſe totum debere non ignorat.* Ex quibus ſequitur non tantùm jure Divino poſitivo, ſed & jure naturæ humanum omnem actum debere eſſe bonum, quia omnis debet eſſe ex amore in Deum; nullumque eſſe indifferentem. Reſpondi jam ſupra cap. 2. quemadmodum ſint accipiendi SS. Patres, cùm hæc doctrina contra

Baïum

Baïum & Ianſenium damnata ſit à Summis Pontt.

Quanquam ubi ſermo eſt de illo decreto, nolunt adverſarii propoſitiones eas omnes quas continet notari cenſurâ; cùm dicant Pontifices *nonnullas aliquo pacto ſuſtineri poſſe*, probenturque à gravibus, nec paucis Theologis. At contra eſt ex Suare. Primò, quia Summi Pontt. eas omnes condemnant nullâ exceptâ, ubi ſic verbis abſolutis & illimitatis pronunciant, *quas quidem ſententias damnamus*, &c. Et quidem eo ſenſu damnari neceſſe eſt, quem verba ipſa præ ſe ferunt, ſiquidem aliunde quàm ex ipſorum verborum proprietate ſumi regulariter non poteſt. 2. Quia vera non eſſet, nec juſta damnatio, ſi quam involveret propoſitionem non dignam cenſurâ. 3. Quia ſic redderetur inefficax, & inutilis ſententia ſedis Apoſtolicæ, quia liceret unicuique quam vellet excipere eo prætextu, quod defendatur à gravibus Theologis.

Notabis autem varias partes contineri in cenſura, nempe eſſe propoſitiones *hæreticas, erroneas, ſcandaloſas, &c.* additurque *reſpectivè*: quia non omnes partes cenſuræ in ſingulas propoſitiones cadunt; nec opus fuit particulari ad eas applicatione, quòd hæc ſufficiant ad exterminandam totam illam doctrinam: nec aliâ ratione olim articuli Wiclefi, & Huſſi in Conc. Conſtant. aut Lutheri à Leone X. ſunt damnati.

Ac de iſtis quidem obiter, datâ occaſione, tyronem moneri oportuit, ne adverſariorum cavillis turbaretur, ubi toties profertur hæc Bulla tot Pontificum authoritate confirmata.

TRA-

TRACTATVS III.
DE PASSIONIBVS HVMANIS.

DISPVTATIO I.
DE NATVRA ET PROPRIETATIBVS PASSIONVM HVMANARVM IN COMMVNI.

CAP. I. *Natura, & ſubjectum, ſeu ſedes paſſionum.*

EGIMVS hactenus de actionibus hominis propriis; nunc eas proſequimur quas habet communes cum brutis animantibus, quaſque appellant *Paſſiones.*

Nomen autem illud *paſſio* non uno ſumitur modo. Nam aliquando idem eſt ac rei proprietas: aliàs accipitur pro receptione formæ in ſubjecto; aliàs pro tolerantia mali alicujus. At hoc loco

Dico I. Paſſio eſt actio appetitus ſenſitivi, orta ex imaginatione vel boni, vel mali ſenſibilis. Vt amor, deſiderium ſeu cupiditas, odium, triſtitia, timor, iracundia, &c.

Suppono enim ex Fide contra Stoïcos, in homine præter appetitum rationalem nobis communem cum Angelis, (quem propriè volunta-

tem

tem appellant, regiturque intellectu;) eſſe præterea & ſenſitivum nobis communem cum brutis, qui regitur imaginatione, habetque ejuſdem generis cum voluntate operationes, puta amorem, odium, triſtitiam, &c. De hoc enim ſic legitur Gen. 4. *Sub te erit appetitus tuus.* & c. 7. ad Rom. *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ.* Quam ob cauſam homo vulgò dicitur eſſe naturæ angelicæ ſimul ac belluinæ particeps; quòd vitam habeat non tantùm intellectualem, ſed etiam & ſenſitivam cum vegetativâ.

Notandumque eſt 1. Gradum vitæ ſenſitivæ, cum ſuo illo appetitu ſenſitivo & facultate imaginatrice, vocari partem animæ inferiorem; quia ſubordinatur rationali, à qua & regi debet, tanquam à parte ſuperiori. Item

Not. 2. Illas appetitus ſenſitivi operationes, ut pote materiales, non ferri niſi circa materialia; in quo differunt ab operationibus voluntatis quæ univerſaliores ſunt, ut explicatur ſuo loco. Item, vocantur affectus, aut affectiones, tum ab aliis etiam *pathi* & *perturbationes*, vulgò *paſſiones* & *animi motus*, quia conjunguntur ſemper cum aliqua corporis *paſſione*, ſeu immutatione, quam de ſe immediatè inferunt. Sic enim in amore & gaudio cor magis dilatatur, in timore & triſtitia conſtringitur, &c. Item, in ſcripturâ ſacrâ ille appetitus ſenſitivus vulgò appellatur *concupiſcentia*; quòd habeat inſignem hunc præ cæteris affectum, ſeu paſſionis motum, & à quo nomen iſtud trahit.

Dico II. Appetitus hic ſenſitivus in corde, tanquam in ſubjecto reſidet. Prob. Quia ea in parte reſidere judicandum eſt, in qua experimur fieri præcipuè motum & alterationem, quæ ad

ope-

operationes illius conſequitur : ſed experimur ea contingere in corde ; nam ſentimus illud triſtitiâ conſtringi , gaudio dilatari, &c. Confir. Ex communi hominum ſenſu & loquendi modo, qui amorem & cor ideo confundunt , unde & ipſe Deus à nobis amorem poſtulans, cor petit. Etſi enim amor ille Dei ſit in voluntate, ſeu appetitu rationali ; illa tamen voluntas per proportionem quandam dicitur cor animæ rationalis. Item quia voluntas non operatur circa ullum objectum,quin eidem ſuo modo intendat imaginatio,& appetitus ſenſitivus.Quam etiam ob cauſam ipſi Dei amatores ſentiunt ſe languere, & viribus corporeis exhauriri.

Objic. Appetitus ſenſitivus imperat motum quo animal tendit ad bonum ſibi conveniens. *Tr.* Ergo debet eſſe in ea parte ubi reperitur origo nervorum , & officina ſpirituum deſervientium ad talem motum, nempe in cerebro. Item imaginatio per quam dirigitur appetitus ſenſitivus eſt in cerebro : ergo ibi pariter debet eſſe. *N. Conſ.* Quanvis enim illæ facultates connexionem inter ſe habeant,ipſis tamen perinde eſt, quòd in eodem,vel in diverſis locis reperiantur; ſiquidem *v. g.* homo ſeu perſona , hoc pacto eſt agens *ut quod* ; illæ autem facultates , ſunt tantùm activæ *ut quo* , & veluti inſtrumenta, unde homo ſibi objectum repræſentans per imaginationem,tum illud proſequitur,aut averſatur per appetitum in corde reſidentem,&c. Quæ fuſiùs traduntur in metaph. De actione à ſuppoſito.

Tractatu 1. *diſp*. 3. *c*. 1. *citatur iſtud caput* 1. *Sed præterea debuit quoque citari c*. 2. *&* 3. *quod inconſultò prætermiſſum eſt.*

CAP.

CAP. II. *Paſſionum humanarum diviſio, ac numerus.*

DIco I. Ex affectibus ſeu paſſionibus appetitus ſenſitivi, aliæ verſantur circa bonum, aliæ circa malum. Quare tam numerantur variæ paſſiones, quàm eſt diverſus modus quo appetitus ſenſitivus circa objectum ſuum verſari poteſt. At vulgò recenſentur undecim. Primò enim, ut inquit D. Th. Bonum de ſe, prout abſtrahit à præſentiâ aut abſentiâ, cauſat aliquam ſui complacentiam, ſeu inclinationem ad ſe, quæ vocatur *Amor*. Ex oppoſito autem malum cauſat ſui diſplicentiam, ſeu averſionem à ſe, quæ *odium* dicitur.

At præterea bonum ſi abſens eſt, concitat ſui *concupiſcentiam*, ſeu *deſiderium*, quod etiam appellari ſolet *cupiditas*. Sin autem bonum illud habuerit adjunctam difficultatem, quæ tamen credatur ſuperari poſſe, generatur *ſpes*: at ſi creditur non poſſe ſuperari, generabitur *deſperatio*. Si demùm illud bonum poſſidetur, ſeu præſens ſit, excitatur *voluptas* ſeu *delectatio*, quam alio nomine *gaudium* appellant.

Atque ita ex oppoſito philoſophandum eſt de malo. Si enim eſt abſens, movet ad *fugam*. At ſi imminet nec facilè poteſt evitari, oritur *timor*. Contra autem *audacia* circa ipſum malum arduum imminens propulſandum verſatur. Vbi verò eſt præſens, concitat *dolorem* ſeu *triſtitiam*; quin etiam ubi grave eſt, *iram* accendit unde repellatur, inferaturque ultio. Gaudium autem quod ex illata vindicta oritur, non eſt paſſio duodecima, contra nonnullorum ſententiam, revocatur enim ad gaudium de quo ſupra. Item ad amorem revocatur *zelotypia*; ad triſtitiam *invidentia*.

No-

Notandumque eſt, paſſiones illas diſtingui in duos ordines, ſeu in duo genera: nam primò aliæ ſunt quæ verſantur circa bonum, aut malum non arduum, ſeu difficultatis expers; puta amor, deſiderium & gaudium circa bonum: odium, fuga, & triſtitia circa malum; diciturque appetitus concupiſcibilis, qui eſt illarum elicitivus, iſtamque habet denominationem à præcipua ex iis paſſionibus quæ concupiſcentia ſeu deſiderium aut cupiditas nominari ſolet. Aliæ autem quinque paſſiones verſantur circa bonum, aut malum arduum; ut ſpes, deſperatio, timor, audacia & ira; earumque appetitus elicitivus vocatur iraſcibilis, ab *ira*, quæ inter illas cenſetur graviſſima. At

Dico II. Appetitum ſenſitivum ſic dividi in *concupiſcibilem*, & *iraſcibilem*, non tanquam in duas facultates realiter diſtinctas, ut volunt Thomiſtæ, ſed tantùm ratione diverſas, propter diverſum ejuſdem potentiæ agendi modum, ſed propter diverſa illa genera paſſionum quas elicit. Prob. Aſſertio, quia nulla eſt neceſſitas diſtinctionis illius realis. Confirmaturque exemplo voluntatis, ſeu appetitus rationalis, qui idcirco realiter non multiplicatur.

Dico III. Ex illis paſſionibus amor & odium inter ſe differunt eſſentialiter, quia verſantur circa objecta eſſentialiter diverſa.

Dico autem IV. Cum D. Auguſt. cæteræ paſſiones ſunt tantùm veluti amores quidam, aut quædam mali odia, cum ſolâ inter ſe diverſitate accidentali, ob diverſum tendendi modum, vel ad bonum, vel ad malum; ſeu propter diverſitatem accidentalem boni, aut mali: nam difficultas, aut non difficultas cum qua conjunguntur, non poſſunt inducere diverſitatem eſſentialem in ratione boni aut mali.

CAP.

CAP. III. *Paſſionum humanarum proprietates in communi.*

DIco I. Paſſiones humanæ ſunt operationes quædam naturales perinde ac in brutis animantibus. Prob. Quia ſunt ab appetitu ſenſitivo tanquam à principio naturali, quod poſitâ objecti repræſentatione circa illud operatur neceſſariò. Vnde etiam connaturaliter loquendo, adjunctum sempèr habent aliquem impetum ad objectum, quia ſunt à potentia naturali quæ agit quantùm poteſt, niſi in nobis à voluntate contineatur. Nam

Dico II. In nobis illius appetitus paſſiones rationis & voluntatis imperio ſubjacent; quatenus voluntas impediendo, ſeu ad alia objecta applicando imaginationem, ſic poteſt cohibere, & veluti frænare motum illius appetitus. Prob. Ex illo Geneſis: *Sub te erit appetitus tuus*, pateṭque experientiâ. Quanquam

Dico III. Appetitus ille ſenſitivus, ſeu paſſiones perfectam ad imperium rationis ſubjectionem non habent. Nam illud imperium prævertunt ſæpe, illique reluctantur. Prob. Experientiâ, juxta iſtud Poëtæ: *Video meliora probóque, deteriora ſequor.* Sic etiam habemus ex ſacris literis, *carnem concupiſcere adverſus ſpiritum.*

Notandumque eſt, illam appetitus ſenſitivi rebellionem & proclivitatem ad objecta ſenſibilia contra rectam rationem vulgò appellari in Scripturis & Conciliis *concupiſcentiam*, tum *fomitem peccati.* Eſt enim ſcelerum penè omnium cauſa; hincque etiam oritur in nobis ut plurimùm difficultas ad benè operandum, dum appetitus hujus propenſio, appetitus rationalis ſeu voluntatis propenſionem impedit, ac ſecum aliquo

quo modo pertrahit, ubi naturali impetu fertur ad objecta ſenſibilia. Item

Not. 2. Pugnam illam appetitus ſenſitivi & rationalis eſſe in nobis naturalem, quia ſequitur intrinſecè ex utriuſque appetitus naturali conditione, dum ſenſitivus propoſito per imaginationem objecto ſenſibili, ad illud tendit neceſſariò, quod tamen recta ratio perſæpe dictat eſſe refugiendum. Confirm. Quia perfecta ſubjectio appetitus ſenſitivi ad rationalem, quam *naturæ integritatem* appellant, (ut Tract. 1. Diſp. 3. c. 1. explicui) perfecta, inquam, illa ſubjectio & integritas eſt donum naturæ indebitum, quemadmodum declarant Summi Pontt. contrariam doctrinam reprobando inter Baïanos errores à Ianſenio renovatos. Et verò ſi integritas illa & ſubjectio appetitus ſenſitivi eſſet naturalis homini, remanſiſſet poſt peccatum; quia per peccatum non tolluntur naturalia, ut loco jam citato ſuprà expoſui. Quare

Not. 3. Ex D. Aug. 1. Retr. c. 9. Quanvis hæc difficultas, ſeu contrarietas appetituum *fuiſſet hominis naturale primordium*, id eſt, quanvis homo cum illa fuiſſet creatus, etſi aliquam involvat in ſe imperfectionem ortam ex naturali eorum conditione, ut modò ajebam, *non ideo tamen culpandus eſſet Deus, ſed laudandus.* Quia homo ſic conſtitutus non deſinit eſſe opus naturæ perfectum, & juxta leges perfectæ ſapientiæ; quòd ſuæ naturæ proprios & conſentaneos motus ſervet unuſquiſque illorum appetituum. Quamquam Deus pro ſua bonitate ſpeciali, hanc homini indebitam naturæ integritatem, & perfectam appetitus ſenſitivi ſubjectionem ab initio conceſſam eſſe voluit; qualem in ſacroſancta Chriſti Domini humanitate, & in

B. Vir-

B. Virgine ob ſingularem eorum dignitatem credimus extitiſſe ſemper; ſed in nobis per Adami peccatum interiit.

Objic. Quæ ſunt à Deo, ordinata ſunt. C. Ergo illa appetituum pugna cùm ſit inordinata, inferiori contra ſuperiorem reluctante, non potuit eſſe naturalis, aut à Deo tanquam ab authore naturæ. Conf. Quia conſequenter poſſent refundi in Deum quæ ex illo appetituum diſſidio prodeunt peccata tam multa. ℞. Illa quidem eſt naturæ humanæ aliqua imperfectio orta ex principiis ipſius intrinſecis, quod perinde etiam dici poteſt de corporis noſtri corruptibilitate, ut explicatur in Tract. de Generat. & Cor. corporis animati *diſp*. 3. *c*. 1. Verùm idcirco non ſequitur inter illos appetitus eſſe aliquam per ſe inordinationem, ſed tantùm per accidens; aut peccata inde profecta refundi poſſe in Deum tanquam in naturæ authorem; Quia voluntas, ſeu rationalis appetitus vim de ſe habet imperandi ſenſitivo, illumque coërcendi intra limites humani officii.

Inſt. Ex D. Aug. *Quod eſt natura pecori*, nempe tendentia ad objectum ſenſibile citra rationis imperium, *illud eſt vitium homini*, ſi videlicet de ſe perinde appetitus ſenſitivus in homine ad objecta ſenſibilia moveatur. ℞. Tunc tantùm dici vitium & peccatum, quando movetur ad illicita, conſentiente voluntate.

CAP. IV. *De bonitate aut malitia paſſionum humanarum.*

DIco I. Paſſiones ſunt de ſe animali bonæ, & ad bonum ipſius de ſe ordinatæ. Prob. Quia nihil per ſe eſt à naturâ cuiquam rei inſitum, niſi propter ipſius rei bonum. Quâ ratione appe-

appetitus ſenſitivus animali eſt à natura conceſſus, ut proprium bonum proſequatur, & malum fugiat ſui deſtructivum. Ideóque non modò habere debuit appetitum concupiſcibilem ad bonum facilè parabile; ſed etiam & iraſcibilem, ut ſi quæ occurrant obſtacula, poſſit illa perrumpere. Item, paſſiones illæ ſunt homini utiles ad opera virtutum exercenda; vim enim quandam, & alacritatem ad id maximam conferunt; nec rebus agendis idoneus ille eſt qui amanda non amet, qui iracundia ubi opus eſt non concitetur, &c.

Hæc doctrina eſt contra Stoïcos, qui ſtatuunt paſſiones eſſe quaſdam animi ægritudines, ideóque virum probum ab iis debere eſſe vacuum; & habere apathiam ſeu inſenſibilitatem, unde nihil aut amet, aut deſideret; nihil doleat, metuat-ve, &c.

Quinetiam Lutherus & Calvinus docent non modò concupiſcentiæ motus, quanvis indeliberatos, eſſe peccata; ſed & ipſam quoque concupiſcentiam in actu primo, ſeu defectum ſubjectionis perfectæ appetitus ipſius ſenſitivi ad rationem; quem defectum eſſe idem volunt ac peccatum ipſum originale. At contra

Dico II. Concupiſcentia illa in actu primo non eſt peccatum ipſum originale. Eſt de fide ex ſacris literis & Trident. Probatur. Quia per baptiſmum tollitur quicquid habet rationem peccati originalis. ad Rom. 8. *Nihil damnationis eſt iis qui ſunt in Chriſto Ieſu.* Item, 1. Ioan. 1. *Sanguis Chriſti emundat nos ab omni peccato.* Certum eſt autem poſt baptiſmum remanere in nobis illam concupiſcentiam: ergo eadem non eſt cum peccato originali. Etſi autem aliquando in ſacris literis vocetur peccatum, tunc peccatum

non ſumitur propriè, & formaliter, ſed tantùm pro effectu peccati. Sicque ad Rom. 6. legimus, *non regnet peccatum in veſtro mortali corpore, ut obediatis concupiſcentiis.*

Dico III. Concupiſcentia in actu ſecundo, ſeu motus concupiſcentiæ circa objectum malum, ſæpe nulla ſunt peccata, tunc maximè; primò, cùm in nobis prævertunt uſum rationis. 2. Quando ratione advertente reſiſtit voluntas. Nam, ut inquit D. Bern. *non nocet ſenſus, ubi non eſt conſenſus.* At quando voluntas conſentit, tunc ſunt peccata; & ea quidem gravia, ſi perfectè conſentit in re gravi. Alioqui ſunt tantùm venialia, ſi imperfectè ſolùm conſentit; aut in re leviter malâ. At contra

Dico IV. Paſſionum illi motus ſi recto mentis conſilio diriguntur, dubium non eſt quin ſint boni. Nam ut jam monui, ad opera virtutum exercenda magnas habent utilitates. Conf. Quia fuere in Chriſto Domino; quandoquidem oriuntur naturaliter ex natura hominis quatenus animal eſt; nec in eo potuerunt eſſe niſi boni & ſancti. Ita Marc 3. *Circumſpiciens Phariſæos cum irâ, contriſtatus eſt ſuper cæcitate cordis eorum.* Ita Matth. 25. *Cœpit mœſtus eſſe! &c.* Vnde etiam ſequitur contra Stoïcos, paſſiones illas ubi reguntur prudentiâ, non eſſe indecoras viro ſapienti. Item ſi conſiderantur ſecundùm ſe, & quatenus ſunt effectus purè naturales nobis cum brutis animantibus communes, bonitatem aut malitiam moralem non habent, cùm eâ ratione nullum habeant eſſe morale.

Objic. Invidentia de ſe eſt paſſio mala, cùm ſit iniqua; eſt enim triſtitia & dolor de bono alterius. ℞. Non habere ex ratione doloris ut ſic quòd ſit mala, ſed tantùm ex ratione ſui ſpe-

ſpecificâ; nec eſt mala niſi materialiter citra conſenſum voluntatis.

DISPVTATIO II.
DE
AMORE, ET ODIO.

CAP. I. *Amoris natura.*

D*Icturus* de paſſionibus in particulari, initium duco ab amore qui inter paſſiones primum tenet locum. Quanquam poſtulat locus iſte ut agam non tantùm de amore qui propriè eſt paſſio, ſeu affectus ſenſitivi appetitus, ſed potiùs de amore in communi, prout etiam eſt actus voluntatis, ſeu appetitus rationalis Quare

Dico I. Amor ſic vulgò definitur: Eſt potentiæ appetitivæ complacentia & inclinatio ad bonum. Quæ definitio naturam amoris in communi ſatis commodè explicat. Celebris quidem illa eſt Platonis, quâ dicit aliud nihil eſſe quàm *deſiderium pulchri*, unde conſequenter ſcribit amorem naſci ex abundantia ſimul & paupertate; ex abundantia quidem quatenus ratio pulchri, ſeu boni, amorem excitat; ex paupertate autem, quatenus deſiderium ſupponit carentiam illius boni ad quod tendimus. Sed ℞. Definitionem illam non eſſe admittendam. 1. Quia deſiderium eſt ſpecies quædam amoris; atqui genus non definitur per ſuam ſpeciem. 2. Amor ſupponitur ab ipſius rei deſiderio: ergo idem non ſunt. 3. Deſiderium eſt tantùm rei abſentis, amor autem tam abſentis, quàm præſentis; immò res poſſeſſa & præſens ſolet maxi-

mè amari. Item amor eſt potiùs boni, quàm pulchri: nam pulchrum eſt tantùm ſpecies boni; ſiquidem pulchrum, eſt illud duntaxat bonum quod eſt facultatis cognoſcitivæ proprium, illique conveniens. Illa enim tantùm dicimus pulchra, quæ afficiunt potentiam intellectivam; tum ex ſenſitivis viſivam & auditivam, quæ ſpecialem habent cùm intellectiva connexionem. Quomodo ajunt Deum eſſe pulchrum, quatenus eſt objectum intellectus; pulchram eſſe veritatem; tum pulchros colores; & pulchram muſicam; quæ pulchritudo non ita movet brutas animantes, defectu potentiæ intellectivæ cui primò & per ſe convenit pulchrum tanquam objectum. Quare bonum ſic potiùs aſſignabitur pro objecto amoris, quàm pulchrum; quandoquidem pulchrum eſt tantùm ſpecies boni.

Dico II. Naſcitur amor ex prævia objecti amabilis cognitione, & æſtimatione ſeu appretiatione, unde res æſtimetur amore digna. Quare meritò dicimus amorem ex natura ſua eſſe appretiativum.

Notandumque eſt conſequenter, 1. Amorem de ſe non debere eſſe in omnes æqualem, ſed deberi dignioribus majorem; ſiquidem pro merito majori debet creſcere amor. Quam etiam ob cauſam illi à nobis ſpeciali amore diliguntur, à quibus videmus nos magis amari, & majora in nos bona promanare; quia inde illos æſtimamus magis bonos; tum quia debemus quoque illam gratitudinem ipſis reponere. Nec dicas, damnantur nonnunquam ſpeciales erga alios amicitiæ. ℞. Contingere illud per accidens in iis qui ſunt *v. g.* ejuſdem familiæ, inter quos maximè vigere debet ſtudium concordiæ. Quare in eo caſu habenda eſt ratio eorum qui crederent iniquè

ſecum

ſecum agi, ſi minùs amari, & æſtimari viderentur; unde & charitas communis diſſolvi poſſet. Cùm ergo bonum commune ſit præferendum particulari, ut ſervetur charitas & concordia communis, aut reſcindendæ ſunt illæ amicitiæ, aut ſaltem cum eâ prudentiâ ſunt exercendæ, ut nemini detur offenſionis locus.

Not. 2. Iuxta doctrinam B. Franc. Epiſcopi Genevenſis poſſe nos quidem alios diligere intenſiſſimè, & toto corde; id eſt, animo lubenti, & ſyncero, ita ut velimus pro illis præſtare quidlibet non contrarium rationi. At ſolus Deus toto corde, id eſt, ſupra omnia, & amore appretiativè ſummo debet diligi, unde malimus rerum omnium aliarum jacturam facere, quàm violare ipſius legem; iſtéque, ex D. Bernardo, *eſt modus amandi Deum, ſine modo.* Item, eſt quoque illa charitas rectè ordinata, per quam amorem noſtrum omnem hoc pacto ſubordinamus Divino.

Notabis enim conſequenter 3. Cuilibet alterius in ipſum benevolentiam eſſe honori. Atque ita fert communis ipſe loquendi modus. Ratio eſt, quia aliquem honorare eſt ipſum æſtimare, & ipſi bene velle ex aliquo ejus merito. Atqui hoc habet amor ille ſaltem qui dicitur benevolentiæ, ut ſit æſtimativus, &c. Nec vilitas etiam perſonæ impedit quominùs potentiores ex amore illius honorentur, cùm ipſe quoque Deus velit ſe maximè à creaturis per amorem honorari. Nec dicas, matres vehementiſſimè diligunt ſuos liberos, neque ideo tamen ſic intendunt illos honorare. ℞. Nihilominus de facto ſic honorari; ſignumque eſſet contemptus, ſi ab ipſis non diligerentur.

Dico III. Amor ex naturâ ſuâ eſt etiam affe-

ctivus; vel ut vulgò ajunt, unitivus cum objecto ſuo. Prob. Experientiâ; quiſquis enim rem aliquam amat, illi animo adhæret, & in eam quaſi transformatur. Atque in eo differt amor à cognitione; nam res cognitas ad nos veluti attrahimus, nobiſque ſiſtimus & unimus per ſpeciem cognoſcibilem: contrà autem per amorem ad res amatas trahimur; quò refertur dictum illud, *Anima eſt potiùs ubi amat, quàm ubi animat. Fitque amicus alter ego.* Vnde & amici fiunt quaſi unum quid. Quamobrem etiam perſonam quam valde diligimus, ſolemus appellare vel *cor noſtrum*, vel *animam noſtram*. Sicque ajebat D. Paulus in ſe vivere Chriſtum, cùm nihil aliud cogitaret, ſpiraret ve. Nam rei amatæ unimur 1. Per frequentiorem cogitationem. Item, 2. Per converſationem ſive perſonalem, ſive per literas, &c. Ideóque etiam amans ab amico ægrè avellitur. 3. Per benevolentiam, quâ ipſi quantùm poteſt bona procurat, &c. Atque hinc fiunt amoris illæ quas vocant ecſtaſes, per quas veluti ipſi à nobis deſerimur, ut in rem amatam transfundamur: hinc zelus quo acriùs proſequamur bonum perſonæ amatæ, & amoris obſtacula removeamus. Sic autem in primis vult amans redamari à perſonâ amatâ, ut interdum iſte zelus abeat in *zelotypiam*, unde quis ſolus velit amari à ſuo amico; offenditurque ſi vel aliqua in alium benevolentiæ ſigna prodiderit. Mitto reliquos amoris hujus effectus naturales, qualis eſt cordis immoderata dilatatio, unde ſolent diſſipari ſpiritus, & corpus langueſcere, pallere, &c.

Notandumque eſt, amorem iſtiuſmodi affectivum vocari etiam intenſivum, quatenus vehementior redditur; poteſtque reperiri in gradu

per-

perfectiori circa res eas quas tanti non facimus. Vt quando aliquis magis afficitur ad ſodalem, quàm ad parentem; cùm tamen parentem magis appretiativè diligat, malitque amittere ſodalis amicitiam, quàm parenti diſplicere. Item

Not. 2. Ex Tract. 2. Diſp. 4. c. 1. Amorem hunc omnem vel eſſe inefficacem, ſeu ſimplicis duntaxat complacentiæ; vel efficacem, qui ſimul fertur in media & in finem; & vi cujus media ſequamur ad finem obtinendum; ſoluſque eſt ſimpliciter perfectus. At

Dico IV. Iſtæ ſunt amoris cauſæ præcipuæ. 1. Eſt bonum ipſum, quod ex natura ſua eſt amoris objectum proprium, ipſiúſque incentivum. 2. Eſt convenientia & ſimilitudo: quò ſpectat illud Eccleſiaſt. c. 13. *Omne animal diligit ſibi ſimile, ſicque omnis homo proximum ſuum.* Ita etiam inquit Ariſt. 2. *Rhet. c.* 4. Similia profitentes ſe maximè diligunt, ut faber fabrum. Ratio eſt, quia unicuique valde naturalis eſt amor ſui; is autem de ſe extenditur ad ſimiles in quibus veluti imaginem noſtri intueamur. Quanquam per accidens ille amor turbari poteſt, ſi nempe eádem ex re vitæ præſidia ſibi comparant, aut alter obſtat alterius gloriæ: hoc enim pacto *figulus figulo invidet.* & Prov. 13. *inter ſuperbos ſemper ſunt jurgia.* 3. Efficaciſſima eſt amoris cauſa, alterius in nos amor; nihil enim videtur nobis in alio magis amabile: Quare, ut inquit Seneca: *monſtrabo tibi amatorium ſine medicamento, & ſine ullius venefica carmine; ſi vis amari, ama.* Hucque attinent beneficia, quæ amabilem reddunt beneficum, quatenus ſunt amoris indicia; nam & primum donorum omnium eſt amor, nec beneficia habent amabilitatem ullam, niſi ab amore, à quo proce-

 dunt,

dunt participatam, &c. Vide ſi lubet D. Ambr. hac de re præclarè diſſerentem lib. 2. Offic. c. 7. Vbi primùm affirmat dandam eſſe operam unicuique, ut aliorum in ſe amorem conciliet. Ita ſcribit Apoſt. 1. Cor. 10. *ſe per omnia omnibus placere.* Etſi alio in loco dicat, *ſi hominibus placerem, Chriſti ſervus non eſſem*, id eſt, ſi placerem inordinatè, violando legem Divinam. Porro quemadmodum aliorum amor conciliari debeat, idem S. Amb. rationibus variis, tum exemplis ſanctorum hominum tradit. *Primùm*, inquit, *noverimus, nihil tam utile quàm diligi; nihil tam inutile quàm non amari. Nam odio haberi exitiale arbitror. Itaque id agamus. ut omni ſedulitate commendemus exiſtimationem opinionemque noſtram: Ac primùm placiditate mentis, & animi benignitate influamus in affectum. Popularis enim eſt, & grata omnibus bonitas, &c.* Verum ut monet c. 16. *Quales haberi volumus, tales ſimus, &c.* Nulla enim eſt pernicioſior peſtis homine illo, qui ſermone blando, & ſæpe etiam ad pietatem compoſito nequitiam tegit, &c.

CAP. II. *Diverſa amoris ſpecies.*

DIco I. Alius eſt amor naturalis, quo res omnes amoris capaces feruntur ex inſtinctu naturali ad bonum ſibi conveniens. Iſque amor etiam vel eſt animalis & ſenſitivus, communis homini & bruto, per quem feruntur ad bonum ſenſui conveniens; vel eſt rationalis, communis homini cum Angelo, per quem bono honeſto ſeu rationi conſentaneo adhæreſcunt. Item amor iſte in communi præterea dividitur in amorem *inclinationis*, & in amorem *electionis.* Amor inclinationis ille eſt qui oritur in nobis ex naturali inſtinctu, vel propter ſympathiam,

vel

vel propter morum ſimilitudinem, vel propter aliquas perfectiones, vel ob eam quam in alio perſpicimus erga nos animi propenſionem. Amor electionis ille eſt quo pro noſtra determinatione libera diligimus vel hominem, qui dicitur amor humanus; vel Deum, qui amor Divinus & cœleſtis; vel res caducas, qui eſt amor terreſtris, &c.

Item præcipuè ratione finis dividitur in amorem concupiſcentiæ, ſeu amorem ſui; tum in amorem benevolentiæ, qui quidem vel eſt ſimplex benevolentia, quo aliis ex animi propenſione bene volumus; vel eſt benevolentia mutua cum aliis circunſtantiis quæ amorem amicitiæ conſtituunt. Contrà verò amor concupiſcentiæ, ſeu amor ſui, & philautia, eſt amor ille quo volo mihi aliquod bonum; vel alteri propter me, unde etiam dicitur amor reflexivus, quia non in alio, ſed tantùm in me ſiſtit. De utroque illo amore ut agam.

Dico II. Datur aliquis amor concupiſcentiæ, ſeu amor ſui non modò indifferens, ſed & honeſtus, laudéque dignus. Prob. Quia amare ſe, quod eſt ſibi velle bonum, eſt naturalis rerum omnium inclinatio. Ergo bona eſt; eſt enim à Deo nobis inſita ad proprium bonum aut procurandum, aut conſervandum: neque ulla ex parte culpari poteſt ille amor concupiſcentiæ quem habeam *v. g.* erga Deum, tanquam bonum ſupremum & finem meum. Immò ſpes ipſa Theologica & quidem ſupernaturalis, eſt amor quidam concupiſcentiæ erga Deum, ut docet D. Th. *in Summa.* Ergo amor ille malus eſſe nequit; cum ab ejuſmodi virtute prodire nequeat actus qui ſit malus. Confir. Quia hic amor eſt regula amoris illius quem tenemur

ſervare erga proximum, juxta præceptum Divinum; tum juxta illud Ariſt. *amicabilia ad alterum, ſunt ex amicabilibus ad ſe.* Ergo culpandus non eſt. Alioquin *qui ſibi eſt nequam,* inquit ſacra ſcriptura, *Eccleſ. 17. cui bonus erit?* Nec aliam ob cauſam graviùs peccat qui ſibi mortem infert, quàm qui alteri, niſi quia plus tenetur amare ſeſe quàm alterum. Item, eam etiam ob cauſam tenetur quilibet priùs attendere animæ ſuæ ſaluti, quàm aliorum bono, cujuſcunque tandem momenti illud ſit. Ita Matth. 16. *Quid prodeſt homini ſi totum mundum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur?* Quo ſenſu ajunt eſſe officium charitatis bene ordinatæ; incipere à ſeipſo. Hæc doctrina eſt contra Baïanos & Ianſeniſtas, ubi hunc damnant, nec alium laudant, quàm amorem charitatis. Qua de re *Tract. ſuperiori, Diſp. 5. c. 2.*

Objic. Ex D. Auguſt. de civit. Dei. Civitates duas, inquit, ædificarunt amores duo; amor Dei uſque ad contemptum ſui; amor ſui uſque ad contemptum Dei. Huncque ajunt vulgò eſſe malorum omnium radicem. ℞. Ibi ſermonem eſſe de amore ſui inordinato, quem etiam vulgò appellant *amorem proprium*, ubi quis nullâ habitâ ratione vel decori, vel legis Divinæ; ſuis tantùm aut commodis, aut voluptatibus incumbit. Is enim eſt iniquus, & omni virtuti, omnique etiam amicitiæ contrarius. Secus autem eſt de amore ſui bene ordinato.

Dico F I I. Amicitia eſt mutua benevolentia non latens. Prob. hæc definitio, quia ſic differt amicitia ab amore concupiſcentiæ; tum à ſimplici benevolentia, quæ poteſt exiſtere citra omnem amicitiam. Ita enim Petrus Pariſienſis auditis præclaris facinoribus Pauli Romani, poteſt

poteſt illi bene velle; & viciſſim Paulus Petro, cùm tamen idcirco non dicantur amici, ſi neuter alterius in ſe benevolentiam noverit, nec ullam inter ſe unquam habuerint communicationem. Et verò

Notabis I. Quod vulgò ajunt, fundari hoc modo amicitiam omnem in mutuâ amicorum communicatione, ſibi invicem mutua ſuæ benevolentiæ præbendo ſigna. Quanquam & aliud communicationis genus eſt amicitiæ fundamentum; ſi nempe communem habuerint ſanguinem & hæreditatem, ut fratres, conſanguinei; item ſi communem patriam, ſtudia communia. Ita viri probi, in virtute ipſis communi; & viri docti in ſcientia fundatam habent amicitiam. Item amicitia dicitur fundari in eo, quod eſt illius cauſa. Vnde oritur etiam multiplex amicitiæ genus. Sic enim 1. Alia eſt fundata in utilitate quam ab invicem percipiunt amici; ut mercatorum amicitia. 2. Alia eſt in delectabili, ob mutuam quam ab invicem percipiunt voluptatem; puta ex jucunda & familiari conſuetudine, &c.

Not. 2. Communicationem bonorum mutuam, non tantùm eſſe fundamentum amicitiæ, ſed præterea & fructum illius quendam. Quo pacto amici mutuò confidunt, mutuò ſeſe juvant operâ, conſilio, &c. Eamque ob cauſam *Amicitia perfecta aut pares invenit, aut facit*, quòd amicorum omnia fiant communia. At

Not. 3. Paucorum eſſe veram perfectamque amicitiam. Prob. Quia pauci ſunt qui ſic velint ſua omnia eſſe cum amicis communia: nam ut habetur ad Phil. 2. *Omnes quæ ſua ſunt quærunt.* Item, pauci amicitiæ ſunt idonei ex ætatis vitio; ut pueri propter levitatem; & ſenes propter

moroſitatem. Item, eorum tantùm qui boni ſunt, vera eſt & firma amicitia, iiſque tantùm non diffidas: at pauci ſunt probi, &c.

Not. 4. Æqualitatem inter perſonas, eſſe tantùm amicitiæ accidentalem; ſicque eſt amicitia quædam diſquiparantiæ & excellentiæ inter patrem & filium; inter dominum & ſubditum; immò etiam inter ipſum Deum & creaturam rationalem. Prob. Quia in iis poteſt reperiri benevolentia mutua, & non latens. Ita in ſacris literis dicitur Moyſes Dei amicus; ita ſuos diſcipulos Chriſtus vocat amicos.

Notabis igitur 5. Quæ eſt in alium benevolentia, ſi fuerit mutua & non latens, vocari *amicitiam*. Cùm autem ſic diligitur unus præ aliis, & ex majori æſtimatione, appellatur *dilectio*. Ac tandem vocatur *Charitas*, à voce Græca χάρις, quæ *gratiam* ſignificat, ubi eſt amor rei quam magni omnino facimus. Quanquam ut ſcribit Ægidius de Conink *in Tr. de Char.* alii volunt ſcribi ſine *h*, & derivari à nomine *carus*, quo res magni pretii indicatur.

CAP. III. *De Odio.*

N*Atura* & proprietates odii per oppoſitionem ad amorem ſunt explicandæ. Sic enim oppoſitorum oppoſita eſt ratio. Quare

Dico I. Vt amor eſt inclinatio ad bonum, ita odium eſt averſio à malo. Quanquam

Notabis odium poſſe latiùs ſumi, prout eſt actus appetitus circa malum. Sicque aliud dicitur *odium abominationis*, eſtque odium propriè, quatenus opponitur amori, quod definitur averſio à malo; ut quando mortem, aut tormenta averſamur tanquam nobis noxia.

Verùm aliud eſt quod appellant *inimicitiam*, ſeu

ſeu *odium inimicitiæ*, per quod alteri malum volumus, iſtudque odium non habet rationem averſionis, ſed eſt proſecutio quædam mali quod inferre alteri velimus. Quare objectum quidem materiale hujus odii eſt malum, non tamen ſub ratione mali, quia malum ut malum formaliter eſt duntaxat objectum averſionis: cum igitur bonum ſit propriè objectum proſecutionis, conſequens eſt ut objectum formale odii iſtius ſit malum ſub ratione boni delectabilis, quod percipitur ex deſtructione, aut vexatione perſonæ quam averſamur.

DISPVTATIO III.

RELIQVÆ PASSIONES.

CAP. I. *Deſiderium, & Fuga: Spes, & Deſperatio: Gaudium ſeu Delectatio, & Triſtitia.*

De illis abſtraho ab eo quòd ſint paſſiones, ſeu actus appetitus aut ſenſitivi, aut rationalis. Atque ita

Dico I. Deſiderium ſeu cupiditas, eſt boni abſentis proſecutio. Vocari ſolet & *concupiſcentia*, quanvis hoc nomen pertineat potius ad appetitum ſenſitivum.

Ab ea paſſione maximè ſolet torqueri & agitari animus; unde gemitus, & lachrymæ; nec habet diſſimiles cum amore affectiones.

Dico II. Deſiderio opponitur *Fuga*. Eſt enim averſio à malo nondum præſenti.

Dico III. Spes eſt proſecutio boni abſentis, ardui quidem, ſed quod judicatur poſſe obtineri. At

Not. varias eſſe hujus vocis acceptiones. Nam interdum ſumitur pro ipſo habitu inclinante ad actum ſpei. Tum pro ipſo actu : ac tandem pro ipſo Spei objecto , ſeu re ſperata , ut Rom.8. *Expectantes beatam ſpem.* Hîc autem agitur de Spe propriè & formaliter ſumpta. Item

Not. 2. Spem ut ſic à noſtris hæreticis confundi cum Fide. Sed immeritò, quia 1 Cor.13. enumerantur tanquam diſtincta *Tria hæc, Fides, Spes, Charitas.* Item, fides eſt in intellectu, per quam , alterius teſtimonio inducti , judicamus aliquid eſſe verum : ſpes autem eſt in voluntate, cum ſit proſecutiva boni. Item ,

Not. 3. Spem includere tum amorem concupiſcentiæ erga objectum , ut jam obſervavimus ex D.Th. tum illius boni deſiderium quoddam , quatenus eſt proſecutio boni abſentis , cujus poſſeſſionem & fruitionem peroptamus. Quanquam differt à deſiderio propriè ſumpto , quod deſiderium abſtrahat à rei difficultate & poſſibilitate ; nec conſequenter eſt efficax rei proſecutio ; contra autem Spes eſt veluti efficax rei deſiderium , cùm ſupponat neceſſariò poſſibilitatem rei obtinendæ, ſive judicetur obtineri poſſe per auxilium Divinum nobis paratum ; quæ dicitur *Spes Divina & Theologica* ; ſive per vires humanas , aut proprias , quas judicemus eſſe ſufficientes ; quæ vocatur *Spes humana*. Huc adde Spem ideo dici & *expectationem* quandam cum fiducia boni illius , quod ſperamus , obtinendi. Quare ubi exercetur actus Spei , tum objectum ſperatum tanquam nobis bonum amamus , amando deſideramus , deſiderando proſequimur ; & proſequendo cum fiduciâ quadam expectamus.

Not. 4. Affectum deſiderii ſæpe eſſe cauſam Spei ;

Spei; qui enim rem aliquam vehementer deſiderat, facilè confidit ſe illam obtinere poſſe. Item inconſideratio & ignorantia, ſæpe ſunt cauſa Spei; quamobrem juvenes, & rerum inexperti ſpe abundant. Sic ſtulti & ebrioſi propter inconſiderationem difficultatum, ſuique præſumptionem ſperant omnia.

At ſpei effectus ſunt alacritas in operando; difficultatum contemptus, patientia in expectando, &c.

Dico I V. Spei adverſatur *Deſperatio*; quando quis victus difficultate aut boni obtinendi, aut evitandi mali, nequit ultra contendere. Sicque eſt deſiderium quoddam rei impoſſibilis, ubi agitur de bono quod obtineri non poteſt; vel è contra eſt fuga mali inevitabilis. Hincque oritur dolor, furor, &c.

Notandumque eſt, objectum quidem ſpei eſſe bonum poſſibile; at quatenus fit alicui impoſſibile, ſic induit rationem mali, quod eſt objectum deſperationis.

Dico V. Delectatio, quæ voluptas, & gaudium appellatur, eſt actus potentiæ appetitivæ, quo bonum ut præſens & poſſeſſum cum quadam quiete & ſuavitate amatur. Nam res quidem naturales ubi ſuam perfectionem ſunt aſſecutæ, in ea cenſentur quieſcere per ſolam motus ceſſationem: Animalia verò in ea quieſcunt per aliquem actum appetitus, qui ad rei cognitionem conſequitur. At

Not. 1. Delectationes perinde ac paſſiones, alias dici naturales & corporeas, quæ propriæ ſunt partis inferioris & appetitus ſenſitivi: illæ autem vocantur rationales, quæ ſpectant ad partem ſuperiorem. Item

Not. 2. Ex D. Th. 1. 2. *q. de Paſſ.* Senſus amari,

amari, & ab iis delectationem percipi tum propter cognitionem, tum propter utilitatem. Delectatio viſus, tum auditus eſt omnium maxima, ratione cognitionis, quia per viſum, tum per auditum plura cognoſcimus; quàm per alios ſenſus. At ratione utilitatis, maxima omnium inter ſenſibiles, eſt delectatio tactus & guſtus, qui maximè comparati ſunt ad conſervationem individui, ut explicatur in Tract. de Anima ſenſitiva. Quare brutæ animantes cùm vix capiant quidquam delectationis ex cognitione, niſi fortè per auditum, (nam ex iis pleraſque videmus affici muſicâ,) hinc eſt ut non habeant ferè niſi delectationem tactus & guſtus.

Not. 3. Gaudii ſeu delectationis effectus ſunt: Primò, cordis dilatatio; quæ ſi vehementior fuerit, mortem infert. 2. Ex illa cordis dilatatione major ſanguinis purioris ac ſpiritus copia diffunditur, unde univerſæ corporis partes recreentur. Hinc exultatio, jucunditas, riſus, canendi amor. Item ex illa ſpirituum copia interdum rarefiunt pori, ubi mollior eſt corporis habitudo, ſicque ex oculis fluunt lachrymæ, &c. Item ille eſt effectus delectationis, ut operationem reddat perfectiorem; nam ita operantem ſuavitate perfundit, ut acriùs & conſtantiùs agat.

Dico VI. Triſtitia eſt diſplicentia ſeu ægritudo interna de malo, vel ſecundùm rem, vel ſaltem ſecundùm imaginationem præſenti.

Triſtitia quidem omnis eſt dolor, ſed non convertuntur. Nam dolor latiùs patet. Triſtitia enim oritur ex certa apprehenſione & æſtimatione interiori, ex qua ſequitur interna ægritudo & anxietas; quod non convenit dolori omni; quo pacto, per proportionem delectatio

omnis quæ ſolùm afficeret ſenſus externos, non propriè gaudium appellaretur; ſed tantùm quæ oritur ex certa apprehenſione interiori ſive intellectiva, ſive ſenſitiva, cum dilatatione cordis, &c.

Triſtitia verò has habet ſpecies ex D. Th. Primò, eſt miſericordia ſeu compaſſio orta ex malo alieno. 2. Eſt invidia de bono alieno. 3 Eſt anxietas ſeu anguſtia cor conſtringens ſupra modum, & animum variis curis diſtorquens. 4. Eſt Acedia, cum totius corporis vires profligantur, unde torpor & languor, &c. Qui quidem effectus triſtitiæ ex eo primùm proveniunt, quòd conſtringat cor, nec proinde ſanguinem tantâ cum copiâ & puritate profundat in arterias: non enim ex eo dimittuntur fuligines quibus infeſtatur & quaſi extinguitur ſpiritus animalis ſanguini immixtus, totumque corpus recreans; Item, ſic quoque ille ſuccus qui vitæ eſt amicus, exhauritur. Vnde, ſicut *anima gaudens ætatem floridam facit*; ita *ſpiritus triſtis exſiccat oſſa.* Prov. 13. nec magis quidquam vitæ eſt noxium quàm triſtitia. Quamobrem ſapienter monet Eccleſ. c. 30. *Triſtitiam longè expelle à te, multos enim occidit, nec eſt utilitas in ea.*

CAP. II. *Timor, Audacia, & Ira.*

Dico I. Timor eſt fuga imminentis mali ardui ſeu difficilis, quod tamen evitari poteſt. Si enim malum eſt præſens, aut inevitabile, tunc potius eſt triſtitia, quàm timor; ut quando quis ſententiâ judicis jam morti eſt addictus. Sin malum illud non imminet, longéque quaſi diſtat, vix timetur; quo pacto vix mortem timemus, quaſi nunquam eſſe futuram arbitremur. At

Not.

Not. 1. Hos eſſe præcipuos timoris effectus, quoſque etiam habet communes cum triſtitia, nempe conſtrictionem cordis, & extinctionem ſpiritus animalis per univerſum corpus diffuſi. Hinc ſequitur pallor, & tremor: tum horror & pilorum aſperitas: nonnullis etiam ex timore contigit canities repentina: ſic enim ſubtracto calore nativo corrumpitur illud humidum ex quo pili conformantur, aluntur que. Optimus verò eſt ille timoris effectus, quòd excitet rationem ad excogitandas fugiendi artes; item cohibet temeritatem, eſtque, ut ajunt, ſecuritatis parens. Cadere poteſt in conſtantem virum, ipſumque non dedecet, ubi ſcilicet grave eſt malum quod expelli meritò debeat: aitque Ariſt. 3. *Eth. cap.* 7. eſſe proprium furioſorum, aut omnino ſtultorum, nihil pertimeſcere.

Not. 2. Timoris ſpecies ſunt: primò Erubeſcentia, quæ eſt timor dedecoris, ex eo quod jam factum eſt. Nam 2. Verecundia eſt ex eo quod faciendum eſt, ne honoris jactura incurratur. 3. Segnities, quæ eſt timor laboris qui putatur vires excedere, retardatque opus. 4. Stupor & conſternatio, ob grave malum quod ex inopinato imminet, &c.

Dico II. Audacia timori oppoſita eſt, definiturque motus proſecutionis, quo, neglectis imminentibus periculis, opus difficile conſtanter aggredimur, ut bonum intentum obtineamus tandem. Ait quidem D. Th. eam conſiſtere in proſecutione mali terribilis. Sed quia malum per ſe non poteſt eſſe objectum proſecutionis, hoc loco ſumi tantùm debet malum per accidens, quod bono proſecutionis adjunctum eſt.

Nota-

Notabis autem eaſdem eſſe cauſas audaciæ, quas eſſe dicunt ſpei; ſpemque ipſam in primis conferre ad audaciam. In ea tamen generatur timor ex gravitate periculi ſuperandi; ſed timore illo compreſſo, vehementior poſtea excitatur ardor, unde etiam aliquando viris fortibus contigit, ut rarefactis corporis poris attenuatus ſanguis foras ſudoris inſtar promanaret; ut legimus de Chriſto Domino. At

Not. 2. Ex Ariſt. eſſe illos audentiores, qui juſta nituntur cauſa, & probi ſunt; quia ſperant affuturum ſibi auxilium Divinum, unde certiùs intentum finem aſſequantur.

Dico III. Ira eſt vehementior appetitus vindictæ cum dolore, propter damnum ſeu injuriam illatam; ſive ut ait Ariſt. propter apparentem immeritò vel in ſe, vel in ſuos contemptum.

Notabis enim injuriam quam alteri inferas, oriri ferè ſemper ex illius contemptu quodam. Verùm ut inquit Cauſſinus ex Ariſt. *lib.* 2. *Rhet.* in primis offendunt iramque movent calumnia, detractio, contumelia, ſubſannatio, ingrati animi labes, gaudium in adverſis, &c. Ita etiam contemni ſe putant, moventurque iracundiâ, qui in rebus ſuis aliquo turbantur impedimento, ſive apertè quis obſiſtat & refragetur, ſive cùm poſſit, minimè faveat. Item, quorum præſens ſtatus deſpicitur, ut ægrotans in iis quæ pertinent ad morbum, paupertate laborans, in iis quæ ad paupertatem. Item, facillimè ſtomachantur ii qui parvi penduntur in ea arte, quâ cæteris præcellere ſeſe putant. Item & vehementiùs irritantur qui præter expectationem offenduntur ab iis quos ſibi benevolos & amicos fore exiſtimabant. Sicut enim inſperata boni ſpecies, ubi

ubi primùm objecta eſt, majori jucunditate ſenſus perfundit, ſic etiam doloris minimè expectati, graviùs percellit injuria. Item, nec parùm offendit ſi quis ex antipathia quadam naturali fuerit alieno à nobis animo, cùm ille ſemper ſit pertimeſcendus.

At quo quiſque fuerit vel dignitate clarior, vel gloriæ cupidior, eo magis deſpectus irritatur. Item, pauperes graviùs contemptum ferunt, ſi antea divites extiterint, & eò miſeriarum delapſi, negliguntur etiam à ſuis.

Dixi ferè ſemper ex contemptu quodam naſci injuriam, quam alteri quis inferat, indéque excitari iracundiam. Quanquam interdum quoque oritur vel ex doloris impatientia, vel ex pravo animi affectu. Sic enim ad iram ſunt propenſiſſimi ægrotantes, aut qui laborant inopia, cùm opus res eſt; tum qui variis agitantur curis, aut qui vehementi aliqua trahuntur cupiditate, &c. His autem prætermiſſis,

Not. 2. ex iracundiæ motu ebullire ſanguinem circa cor, ut ſcribit Ariſt. Tum ubi ſpes eſt reponendæ injuriæ, in id ferri animum pro viribus, ut illatum diſpendium quaſi compenſetur; quod ſine maximâ voluptate non perficitur. Quare

Not. 3. Iram differre ab odio inimicitiæ, quòd inimicus alteri malum ut ipſius malum & deſtructivum appetat; iratus autem infert malum ſub ratione juſtæ compenſationis & vindictæ. Sicque iratus appetit malum alteri & vindictam, tanquam aliquod ſibi bonum quo delectatur, nec lenitur dolor irati, niſi beneficio vindictæ illius per quam ſeſe veluti à contemptu liberet.

Not. 4. Ira tres habet ſpecies ex doctrina D. Th.

D. Th. prima dicitur *fel*. Quando quis ſubitò excandeſcit; quod iis contingit qui bile ſeu felle abundant. 2. Eſt *mania*, quando ira eſt permanens. 3. Eſt *furor*, quando ira nunquam quieſcit, niſi ſumptâ vindictâ. Huc adde *indignationem*, quâ concitamur adverſus ingratos, aut fictos amicos retectâ eorum fraude aut malevolentiâ.

Not. 5. Ira non habet oppoſitam ſibi aliam paſſionem; hæc enim aſſignari non poteſt quæ circa malum præſens verſetur per oppoſitionem ad iracundiam. Manſuetudo enim quæ iram compeſcit, non eſt paſſio, ſed virtus, eáque in parte animi rationali reſidens.

Notabis autem ad finem hujus diſputationis, hominem pluribus agitari paſſionum motibus quàm brutas animantes. Nam illæ pauca tantùm, & quæ ſibi ad victum ſunt neceſſaria duntaxat appetunt. Homo verò infinitis, ut ita loquar, rerum diverſarum torquetur deſideriis, iiſque vehementioribus, quia ducitur majori cognitione, magiſque eſt ſui amans. Huc adde plures ex animantibus, nempe quæ ſunt imperfectiores, carere appetitu iraſcibili, nullâ moveri *indignatione*, *verecundiâ*, *ambitione*, *&c.* Item

Not. Vix ullam eſſe ex paſſionibus cui non ſit implicatus amor & cupiditas tanquam aliarum paſſionum, atque, ut vulgò ajunt, malorum omnium principia & cauſæ. Quare qui cupiditatem ſtatim compreſſerit, aut qui pauca, nec vehementer deſideraverit, vix erit triſtitiæ, aliiſque animi perturbationibus obnoxius, vitamque ducet tranquillam & jucundam. Quò ſpectat Stoïcorum illud dictum celebre, *Ne velis quæ fiunt fieri ut vis; ſed velis quæ*

fiunt

ſiunt fieri ut ſiunt, & tranquillus eris. Ita paucis & eleganter ad ſeipſum Poëta :

Vitam quæ faciunt beatiorem,
Iucundiſſime Martialis, hæc ſunt :
Quod ſis, eſſe velis ; nihilque malis, &c.

Id eſt nihil appetas, niſi quod es, tuáque ſorte contentus vivas. Aut potiùs unum illum appetas *qui replet in bonis deſiderium tuum*, inquit S. David, ſoluſque replere poteſt : ut Tract. 1. Diſp. 3. c. 2. ſupra oſtendi.

TRACTATVS IV.

DE VIRTVTIBVS MORALIBVS.

DISPVTATIO I.

De virtute morali in communi.

CAP. I. *Natura virtutis moralis.*

NOmen virtutis aliquando ſignificat vim eam quam habent facultates naturales ad agendum. Hoc loco ſumitur pro eâ qualitate per quam facultates hominis propriæ, nempe intellectus & voluntas, perficiuntur, ſeu diſponuntur ad actum ſuum rectè exercendum. Sic enim ait Ariſt. *eſſe diſpoſitionem perfecti*, id eſt, potentiæ, *ad optimum*, id eſt, ad actum, qui in eo caſu habet rationem *optimi*.

At virtutes iſtiuſmodi vel ſunt intellectuales, per quas intellectus inclinetur ad actum ipſi proprium, quales ſunt habitus primorum principiorum, tum ſapientia, ſcientia, prudentia, & ars, de quibus in introductione ad Logi-

Logicam & Moralem egimus : vel ut mox probabo, reſident in voluntate, per quas inclinetur ad actus rectæ rationi conſentaneos, ſeu moraliter bonos; nam idcirco vocantur *virtutes morales*. Vt ergo de virtute morali in communi diſputem:

Dico I. Eſt habitus electivus acquiſitus, quo perficimur & inclinamur ad exercendum actum rectæ rationi conſentaneum. Prob. Quia hæc definitio explicat ſufficienter naturam virtutis moralis; illique congruunt aliæ quas vulgò afferre ſolent.

Not. autem 1. Dici habitum acquiſitum, ac proinde ſic potentiæ naturali realiter ſuperadditum ad rectè operandum, ut diſtinguatur à facultate naturali; ſiquidem virtutes morales non ſunt nobis à naturâ inſitæ; alioqui naſcerentur omnes virtute præditi, neque opus foret eas uſu & exercitatione bene operandi comparare; unde & priùs in nobis exiſterent, quàm actus. At contrarium patet experientiâ. Item ſic diſtinguitur virtus moralis ab inclinatione, ſeu propenſione naturali quam habere quis poteſt ad aliquod virtutis moralis opus, ſaltem ſecundùm ipſius materiale. Nam opus virtutis formaliter ſumptæ, eſt ex electione, tum ex amore honeſtatis quæ reperitur in illius objecto : hæc autem non conveniunt bonis iſtiuſmodi, ut vocant, naturæ propenſionibus; neque verò ſunt magis laude dignæ, quàm aut manſuetudo in oviculâ, aut temperantia in equo qui non plus comedat quàm ſatis eſt. Vt dixi *Tract. 2. Diſp. 5. cap.* 1. Deinde virtus ex natura ſuâ conſtans eſt in opere ſtudioſo exercendo; quod illi naturæ propenſioni non convenit; mutato enim corporis habitu & temperamento ſolet defice-

re.

re. Vnde colliges illas ad bonum propenſiones naturales, eſſe quidem, ut appellant, *ſemina virtutum*, multúmque ſervire virtutibus tanquam diſpoſitiones ad eas acquirendas, & juvandum earum uſum; non autem eſſe formaliter virtutes.

Not. 2. Illi definitioni conſentire alias quæ vulgò afferuntur. Vt cùm dicitur *habitus bonum faciens habentem*: quo pacto à virtute intellectuali differt. Item, à S. Anguſt. dicitur *bona qualitas mentis, quâ rectè vivitur*. Quia eſt principium bonorum actuum; *quâ nemo malè utitur*, quatenus influere in actum malum non poteſt; neque enim habitus influit nunquam niſi in eos ſpecie actus à quibus eſt productus, &c.

Nec dicant Scotiſtæ; poteſt quis inſtructus habitu *v. g.* temperantiæ facilè abſtinere ab immoderato cibo, (quam facilitatem neceſſe eſt oriri ab illo habitu) quanvis tamen tunc agat ex motivo aliquo vanitatis. ℞. Nego hunc actum fore ab illo virtutis habitu; Neque illa facilitas orietur aliunde quàm ex diſpoſitione partis ſenſitivæ, quæ ſimul acquiritur cum habitu virtutis, unde & promptior redditur ad imperium rationis, ut patet experientiâ.

Suppono enim cum Mæratio *Diſp* 4. *de Inſt. & jure ſ.* 2. Epiikíam, de quâ ibi agitur, duas in ſe partes involvere, quarum altera ſe tenet ex parte intellectus, idemque eſt ac *Gnome*, altera autem ſe tenet ex parte voluntatis, & dicitur æquitas quædam, ſeu affectus æquitatis ſervandæ, quam dirigit Gnome.

Dico præterea II. Virtutem moralem ſic definiri ab Ariſt. 2. Eth. c. 6. *Eſt habitus electivus in mediocritate conſiſtens, quæ quidem mediocritas ratione præfinita ſit.* Sic enim virtus in medio

verſari

verſari dicitur, quatenus attingit objectum conformiter ad rectam rationem, tanquam ad ſuam regulam, ut neque illam excedat, neque ab illa deficiat. Sed

Not. 1. Virtutum moralium eſſe duo genera. Nam aliæ verſantur circa operationes ad alterum, quo pacto per *juſtitiam* jus ſuum unicuique tribuitur. Quò revocantur earum officia virtutum per quas vel cultus, vel reverentia alteri debita impenditur, &c. Aliæ autem ex illis virtutibus verſantur circa paſſiones, illas continendo intra limites à recta ratione præſtitutos :- ut quando quis ex motivo honeſtatis vel amat, vel deſiderat, vel gaudet, vel iraſcitur quantum decet. Item

Not. 2. Quòd etſi omne medium virtutis dicatur medium rationis, quia præfinitur à dictamine rectæ rationis; iſtud tamen ſolet aſſignari duplex. Nam primò aliud eſt quod dicitur *arithmeticum*, ſeu *medium* non tantùm *rationis*, ſed etiam *rei*; ut quando per juſtitiam circa res alterius verſamur, debitum reddendo ipſius juri adæquatum, nullâ habitâ ratione perſonæ, aut aliarum circunſtantiarum; eſtque idem apud omnes: cuicunque enim *v. g.* debentur centum nummi, perſolvendi ſunt centum nummi. Alterum verò medium eſt quod ſimpliciter vocant *medium rationis*, ſeu *Geometricum*; ubi non poteſt ſervari medium rei, quia in eo debet haberi ratio circunſtantiarum temporis, loci, perſonæ, &c. Quamobrem non poteſt eſſe idem apud omnes; ſed diverſum pro diverſa aliorum diſpoſitione, aut exigentia. Quo pacto temperantia *v.g.* non eandem omnibus præſcribit menſuram aut cibi, aut potus; ſed aliis majorem, aliis autem minorem pro uniuſcujuſque exigentia. Quare

Not. 3. Medium aut rei, aut rationis ſervari ſemper ab omni virtute morali. Nam juſtitia quæ eſt circa operationes, ſervat medium rei: At temperantia, & fortitudo circa paſſiones ſervant medium rationis. Hîc enim dicere prætermitto de prudentia, quæ revocatur etiam ad morales, quatenus eſt illarum regula, medium ipſis proprium definiendo. Item

Not. 4. Virtutes eas quæ verſantur circa paſſiones, eſſe medias inter duo vitia oppoſita. Sic fortitudo media eſt inter audaciam & timiditatem: ex quibus quidem vitiis extremis alterum virtuti eidem adverſatur per exceſſum, alterum autem per defectum. Quod autem ad juſtitiam attinet, hæc non eſt conſtituta inter duo extrema vitioſa; nihil enim ipſi opponitur niſi injuſtitia; quia nihil opponitur juſtitiæ, niſi quod jus ſuum unicuique non reddit: at hoc ſoli injuſtitiæ convenit. Sed

Not. 5. Virtutes inter duo vitia conſtitutas, non eſſe medias niſi per negationem, non autem per participationem utriuſque: quia virtus non eſſet bona, ſi quid participaret de aliquo vitio, ſaltem ſecundùm formale vitii illius: alioquin participare de illo poteſt ſecundùm materiale; quomodo liberalitas *v. g.* magis participat de prodigalitate, ſecundùm materiale ipſius, quàm de avaritia: monetque Ariſtoteles magis eſſe refugiendum à vitio magis contrario, & ad quod procliviorem te ſentias. Ac tandem

Not. 6. Ex eodem Ariſt. difficillimum eſſe in omnibus medium rationis obtinere; quomodo ait medium ſeu centrum in circulo reperire, non eſſe cujuſlibet, ſed ſcientis: & poſſe hîc infinitis modis aberrari, cùm unico duntaxat modo medium teneatur.

CAP.

CAP. II. *Subjectum, & diviſio virtutum moralium.*

Virtutes hominem perficiunt ut bene operetur vel in ordine ad ſe, tum rationem, tum appetitus ſenſitivi motus ad normam rectæ rationis dirigendo; vel in ordine ad alios, nempe ad Deum, & ad homines, unicuique debita officia perſolvendo. Quare

Dico I. Vt prudentia in intellectu, ita reliquæ virtutes morales in voluntate, tanquam in ſubjecto proprio reſident. Prob. Quia virtutes illæ ex Ariſt. ſunt habitus electivi; aguntque ex amore honeſtatis quæ reperitur in objecto: atqui electio, & amor honeſtatis illius ſunt actus voluntatis. Ergo, &c.

Notabis tamen, ſimul ut exercentur actus virtutum per quas appetitus ſenſitivus rationi ſubjicitur, tum in eo quoque produci aliquas qualitates, quas vocant habilitates, unde minùs imperio voluntatis reluctetur. Quanquam illæ habilitates non habent rationem virtutis, cùm per ſe non agant ex motivo honeſtatis; quo ſenſu dixit Ariſt. temperantiam & fortitudinem reſidere in ea animi parte quæ ratione caret, ſumendo impropriè illas habilitates pro ipſis virtutibus propriè dictis.

Objic. Temperantia & fortitudo continent motus appetitus ſenſitivi: ergo in eo exiſtunt. *N. Conſ.* Satis eſt ſi reſideant in voluntate, quæ illis inſtructa virtutibus, ſenſitivi appetitus motum validiùs comprimat. Iam verò ut virtutum enumerationem ac diviſionem inſtituam:

Dico II. Ex virtutibus aliæ ſunt ſupernaturales ſeu ordinis ſupernaturalis, per quas ad finem ſupernaturalem diſponimur, nobiſque infunduntur

tur divinitus. Aliæ autem ſunt tantùm naturales, propriis actibus acquiſitæ, quæ ad finem tantùm naturalem ordinantur, neque in actus influunt, niſi ex motivo naturali. Item,

Dico III. Ex iis virtutibus aliæ ſunt *Theologicæ: Morales* aliæ.

Theologicæ ita vocantur, quia pro objecto formali, ſeu pro motivo ad agendum habent aliquam Dei perfectionem. Quomodo per fidem credimus ea eſſe vera, quæ à Deo revelata ſunt, quia Deus eſt prima veritas, ſeu infinitè verax; ac proinde nec falli, nec fallere in dicendo poteſt. Ita ſperamus in Deo, quia beneficus eſt, tum quia ſimul potens eſt ac fidelis in promiſſis. Ac tandem ipſum per charitatem diligimus, ob eam quam in ſe habet bonitatem, aliaſque perfectiones.

Notandumque eſt virtutes eas ex parte objecti non habere medium; cùm nimis amari Deus non poſſit, quia Divina bonitas, amoris hujus regula, eſt infinita. Ita nec Deo revelanti nimis credere poſſumus, aut nimis in eo ſperare.

Virtutes morales pro objecto formali, ſeu pro motivo ad agendum non habent niſi honeſtatem quæ eſt in objecto creato ſibi proprio. Vt quando quis per virtutem *juſtitiæ* reddit unicuique quod ſuum eſt, quia iſtud eſt rationi conſentaneum. At

Not. 2. Ex illis virtutibus moralibus, primò, alias eſſe ſupernaturales, cujuſmodi nobis in juſtificatione infundi docent Theologi; ut quemadmodum juſtus per gratiam ſanctificantem habet eſſe ſupernaturale, ita conſequenter per illas virtutes poſſit agere modo ſupernaturali. Secundò autem aliæ ſunt duntaxat naturales; quomodo vir juſtus præter temperantiam

ſuper-

ſupernaturalem, habere poteſt & naturalem propriis actibus acquiſitam.

Not. 3. Ex communi loquendi uſu, naturales iſtas vocari ſine addito *virtutes morales*; & poſſe reperiri etiam in ipſis infidelibus. Item

Not. 4. Has eſſe veras & propriè dictas virtutes. Prob. Quia ſunt ad actus moraliter bonos, ſeu rectæ rationi conſentaneos, quales explicui *Tract.* 2. *Diſp.* 5. *c.* 2. Conf. Quia doctrina contraria damnata eſt à Summis Pont. in Bulla contra Baïum & Ianſenium. Quare ubi D. Auguſt. negat eas eſſe veras virtutes, diſtinguendum eſt, debetque concedi non eſſe quidem veras Theologicè, ſed tantùm philoſophicè; ut loco citato jam expoſui.

Dico IV. Virtutes morales dividi ſolent in quatuor Cardinales: quarum prima eſt Prudentia; tum Iuſtitia, Temperantia, & Fortitudo. Vocantur *Cardinales*, quia in illis veluti in cardinibus quibuſdam vitæ honeſtas omnis niti ac verti debet: item, quia ſunt generales quædam rectitudines, quæ in bonis actibus deſiderari non debent. Sic enim primò, omnis actus noſter debet eſſe *prudens*, ne aberremus per inconſiderationem, aut negligentiam. 2. Debet eſſe *juſtus*, ne quid fiat contra jus alienum. 3. Modum à ratione præfinitum in cupiditate, aliiſque id genus ſervari oportet per *temperantiam.* 4. Denique ſi quæ occurrunt difficultates, illæ per *fortitudinem* ſuperandæ ſunt.

Notandum quoque eſt, ad illas virtutes primarias pertinere alias veluti partes aut *ſubjectivas*, aut *integrantes*, aut *potentiales*, ut vocant.

Partes ſubjectivæ aliud nihil ſunt, quàm ſpecies quæ ſe habent ſub genere; ut homo & equus ſub animali.

Partes integrantes hoc loco dicuntur illæ virtutes quæ concurrunt ad perfectum officium alicujus virtutis primariæ; illique etiam acquirendæ ſerviunt tanquam diſpoſitiones. ſic memoria, ſagacitas & providentia appellantur partes integrantes *prudentiæ.*

Partes potentiales vocantur virtutes eæ quæ primariæ alicui ſunt affines, vel quæ ad eam ob aliquam ſimilitudinem revocantur. Quomodo Religio, obſervantia, pietas, obedientia dicuntur affines Iuſtitiæ, & illi ſimiles, quòd per eas aliquod officium & debitum morale aliis reddamus. Nominantur autem *potentiales*, quia in primaria illa virtute quaſi virtualiter & poteſtate continentur.

Notabis verò, Prudentiam, quanvis ſit virtus intellectualis, annumerari nihilominus virtutibus moralibus, quatenus eſt earum regula, & connexionem habet cum iis neceſſariam; ſiquidem virtutis actus omnis debet eſſe prudens. Item

Not. 2. Quemadmodum per illas virtutes rectè ſit ordinatus homo. Sic enim Prudentia rationem; Temperantia & Fortitudo utrumque appetitum; Iuſtitia denique voluntatem regit in ordine ad alterum. Item

Not. 3. Cum D. Th. 2. 2. q. 141. a. 8. ex Ariſt. Perfectiſſimas ex iis virtutibus illas eſſe quæ maximè ſunt utiles. Vnde ait *fortes & juſtos* maximè à nobis honorari; atque in primis juſtos; quia ſublatâ juſtitiâ, nemo debet cenſeri vir bonus.

CAP. III. *Virtutum ſtatus diverſi, & connexio.*

Dico I. Triplex eſt virtutum ſtatus. Primus eſt incipientium, in quo paſſiones adhuc

huc multùm reſiſtunt, & ſæpe ſuperant: ab Ariſt. vocatur *ſtatus continentiæ*, in quo *continens* refrænat quidem paſſionum motus, ſed ægrè admodum; alioquin incontinens frænos omnes relaxat. Secundus eſt ſtatus proficientium, in quo paſſiones ita ſunt edomitæ, ut ſuperentur omnino, nec ſuperent unquam, etſi nonnihil adhuc reluctentur, diciturque ab Ariſt. *ſtatus temperantiæ*, ſeu *hominis temperati*. Tertius denique eſt *ſtatus perfectionis*, in quo paſſiones penitus ſedatæ ſunt, neque operationem virtutis unquam turbant, diciturque ab Ariſt. *heroïcus*. Quanquam vulgò etiam dicitur heroïca virtus, per quam aliquod opus eximium, & ſupra conſuetas hominis vires fit. Vt ſi inimico quantumlibet infeſtiſſimo non modò injuriam condones, ſed præterea ingentibus ipſum beneficiis cumules, &c.

Dico II. Virtutes morales in ſtatu imperfecto connexionem inter ſe non habent. Nam *v. g.* interdum poteſt aliquis erga alium ſervare æquitatem, quanvis temperantiam in cibo & potu nondum acquiſierit.

Dico autem III. Virtutes omnes morales in ſtatu perfecto connexionem habent inter ſeſe; id eſt, nemo virtutem aliquam in ſtatu perfecto poteſt conſequi, ſi fuerit aliis deſtitutus. Prob. Quia *v. g.* ut temperantia ſuum munus perfectè obeat in materiâ aliquâ determinatâ, non ſolùm per eam ſuperari debet difficultas quæ eſt in concupiſcentia, ſed etiam & timor per fortitudinem: ſi enim quis metu mortis incitaretur ad actum turpem, deberet uti virtute fortitudinis ad timorem illum ſuperandum; ſicque juvarent ſeſe mutuò illæ virtutes. Ita etiam per prudentiam quis rectè nequit judicare de agen-

dis in materia virtutum moralium; ſi aliis virtutibus fuerit deſtitutus. Nam immoderati animi affectus judicium prudentiæ corrumpunt: unde *v. g.* ſi odium conceperis in aliquem, vix de illo rectè ſentire potes; atque ita de aliis: *nam ut quiſque affectus eſt*, inquit Ariſt. *ita judicare ſolet*.

Nota hîc à me haberi ſermonem de virtutibus pro communi hominum ſtatu; nam liberalitas *v. g.* & magnificentia regum propria, non habet connexionem cum virtutibus, quæ reperiri debent in homine plebejo.

Dico IV. Virtutes morales poſſunt exiſtere ſine ſupernaturalibus, ut contingit in homine infideli. Item ſine charitate poſſunt exiſtere tum fides, tum ſpes theologica; ut in eo qui per peccatum mortale amiſit Dei gratiam. Eam tamen habent connexionem, & ſubordinationem ad charitatem, ut ſine illa non poſſint eſſe abſolutè, & ſimpliciter perfectæ. Prob. Quia reliquæ virtutes ſunt tantùm velut diſpoſitiones quædam ad charitatem in Deum : neque enim per alias virtutes homo eſt in ſe bene ordinatus, niſi ut tandem bene ordinetur ad Deum : hoc autem præſtat charitas per quam unimur Deo tanquam principio bonitatis omnis. Ideóque charitas dicitur *finis præcepti* 1 Timoth. 1. Item idcirco etiam vocatur vinculum perfectionis omnis, quòd nos uniat cum Deo; tum quia charitas ſupernaturalis habet ſecum adjunctas virtutes omnes ſive morales ſupernaturales, quæ ſimul cum eâ infunduntur divinitùs; ſive theologicas, quas præſupponit: neque enim unquam eſt ſine *Fide* per quam Deum, ejuſque myſteria cognoſcamus eo modo quo decet aut juſtificandos, aut juſtificatos, divinæque amicitiæ par-

participes. Item neque eſt ſine *Spe*, unde futuram à Deo beatitudinem expectemus; atque ita voluntas diſponitur, ut tandem amore appretiativè ſummo per charitatem ipſi Deo perfectè adhæreat. Quamobrem

Not. 1. Charitatem eſſe virtutum omnium perfectiſſimam, cùm cæteræ virtutes theologicæ ad eam ordinentur quaſi diſpoſitiones quædam. Item, quia effectum habet longè omnium præſtantiſſimum, uniendo nos cum Deo modo perfectiſſimo. Item, quia voluntatem perfectiſſimè & univerſaliſſimè ſubjicit Divinæ voluntati. Nam cæteræ quidem virtutes voluntatem ſubjiciunt Deo in aliqua materia particulari ſibi propriâ; charitas autem ad omnem univerſaliter extendit ſeſe, omnium etiam aliarum virtutum actus imperando; quo ſenſu dicitur forma virtutum aliarum, non quidem in eſſe naturæ, communicando illis aliquam perfectionem ſecundùm eſſe naturæ, ſed potiùs aliquâ ratione in eſſe moris, elevando illas ad majorem dignitatem, & ad meritum majus. Sic enim actus *v. g.* temperantiæ qui imperatur à charitate, fit hoc modo ex nobiliori motivo, & accipit meritum charitatis ipſius. Nec proinde mirum eſt quòd dicatur ad Coloſſ. 3. *eſſe ſuper omnia hæc.* Item, quòd præceptum charitatis dicatur omnium maximum *Matth.* 22. & finis præcepti omnis 1 *Timoth.* 1.

CAP. IV. *Virtutis moralis proprietates nonnullæ.*

Virtutem conſequuntur veluti proprietates quædam honor, fama, laus, gloria, nobilitas. At

Dico I. Honor nihil eſt aliud quàm teſtifica-

tio quædam excellentiæ in alio exiſtentis; aut quam in alio exiſtere arbitramur. Atque iſtud quidem ſi verbis fiat, vocatur propriè *laus*: huicque opponitur *vituperium*. At præterea teſtificatio illa fieri poteſt ſignis quibuſdam externis, cujuſmodi eſt genuflexio, corporis inclinatio, item ſi primus cedatur locus, ſi erigantur ſtatuæ, &c.

Dico II. Fama eſt communis æſtimatio quæ habetur de excellentia, virtute, ſapientia, cæteriſque id genus rebus eximiis, quæ in alio exiſtunt, aut ſupponuntur exiſtere. Sicque ab honore differt, quòd honor maximè in teſtificatione externa, fama autem in communi hominum opinione, quæ interna eſt, conſiſtat.

Notandumque eſt, quod vulgò ajunt, honorem non eſſe in honorato, ſed in honorante; quia teſtificatio æſtimationis de alterius excellentia, habet ſe ex parte honorantis.

Dico autem IV. Honorem, laudem & gloriam deberi propriè virtuti, cum illa ſit in homine potiſſima perfectio, unde & vulgò appellatur præmium virtutis. Item honor dicitur eſſe velut umbra virtutis, quæ tamen inſtar umbræ cujuſdam, ſui fugaces conſequitur, fugiat verò ſequaces; nam ille deficit à virtute, & conſequenter eſt opprobrio dignus, qui potiùs honorem, quàm res honore dignas conſectatur: quanquam illi ſtudere quantùm decet, probroſum non eſt; cenſeturque illud inter bona externa maximum, ſiquidem principatus, & dignitates maximè propter honorem appetuntur.

Dico V. Nobilitas eſt dignitas perſonæ, cui prærogativæ quædam ſupra plebem attribuuntur, & propagatur ad poſteros ex Principum inſtituto. Sed,

Not.

Not. Dignitatem illam per ſe conciliari tantùm ex virtute, ſeu ex virtutis alicujus actibus heroïcis. Quamobrem ait poëta: *nobilitas ſola eſt atque unica virtus.* Vbi loquitur de nobilitate non formaliter, ſed cauſaliter tantùm. Eſtque illa veluti ſpuria nobilitas, quando jura nobilium alicui tribuuntur ſine virtutis merito; aut non propter aliquas animi dotes eximias.

DISPVTATIO II.

DE PRVDENTIA.

CAP. I. *Prudentiæ natura.*

CVm omnis officii fons primus, ac cæterarum virtutum norma ſit prudentia, primum in hoc doctrinæ ordine locum tenere debet. Sed

Notandum priùs eſt, Prudentiam interdum ſumi pro ſagacitate naturali, qualem etiam in diverſo brutarum animantium genere obſervamus, ut in ipſis apibus, formicis, &c. Item, & ſumitur quoque pro ſagacitate & ſolertia humanâ, quâ in rebus ſuis cautè procurandis uti homines ſolent. Nunc autem ubi ſermo eſt de moribus, accipitur tantùm pro virtute intellectuali per quam in agendis rebus dignoſcimus quid turpe & fugiendum ſit; aut quid honeſtum. Atque ita

Dico I. Ex Ariſt. ſic vulgò definitur: *Eſt habitus cum verâ ratione* activus, id eſt, electivus, *circa ea quæ homini ſunt* moraliter *vel bona, vel mala.*

Notabis 1. Tò *activum* hujus habitus, idem eſſe ac electivum, ut ajebamus in Logica, *Diſp. proœm, cap.* 2. quia dirigit voluntatem in iis

operationibus, quæ dicuntur *electiones*. Atque hoc modo prudentia quòd ſit vera cum ratione activa, differt à ſagacitate brutarum animantium; item & ab aliis habitibus practicis intellectus differt etiam, quòd verſetur circa hominis bona vel mala. Item

Not. 2. Prudentiam ideo dici activam verâ cum ratione, & eſſe virtutem intellectus; quia ſemper inclinat ad judicium quod ſit verum veritate ſaltem practicâ. Etſi enim (quod fieri poteſt) quis nitatur principiis ſpeculativè falſis & erroneis, modò error ſit invincibilis, non deſinet eſſe judicium prudens reſpectu talis hominis; agetque in tutâ, & bonâ conſcientiâ, quia ſic aget bonâ fide, ut vulgò loquuntur.

Dico conſequenter II. Hæc eſſe Prudentiæ officia: primùm, ut præſtituto fine, per deliberationem & conſultationem inquirat media ad illum obtinendum idonea; tum ut ſtatuat tandem quid pro loco, tempore, & aliis circunſtantiis agendum ſit.

CAP. II. *Patres prudentiæ, & vitia illi oppoſita.*

D*Ico* I. Prudéntiæ partes ſubjectivæ, ſeu ſpecies variæ ex Ariſt. ſunt 1. Perſonalis. 2. Gubernatrix duplex; nempe Oeconomica & Politica, de quibus in Præfatione hujus Philoſophiæ moralis: his autem additur & Militaris ex D. Th.

Dico II. Partes prudentiæ integrantes, ſeu quæ ad majorem illius perfectionem concurrunt, numerantur 8: ex quibus quatuor ſunt quaſi diſpoſitiones ad acquirendam perfectam prudentiam: nempe *memoria* præteritorum, ſubjiciendo varia experimenta & exempla. 2. *vis ratio-*

ratiocinandi ſeu rectè colligendi unum ex alio, cum recta illius *aſtimatione*. 3. *Solertia* ſeu *ſagacitas*, quæ in nobis eſt vis animi ad excogitanda media. 4. *Docilitas*, id eſt, ſollicita & prompta animi applicatio ad excipienda ſapientiorum documenta. Quatuor partes aliæ juvant perfectum illius uſum. Ac prima quidem eſt *cautio*; id eſt, cura per quam evitantur incommoda quæ poſſunt occurrere. 2. Eſt *circunſpectio*, ſeu conſideratio circunſtantiarum, ne quid deſit. 3. *Providentia*, dum proſpiciuntur ea quæ evenire poſſunt, unde vir prudens & providens idem eſſe dicitur ac *porrò videns*. 4. Denique eſt intelligentia præſentium, unde judicemus quid hîc & nunc agendum ſit.

Dico III. Partes prudentiæ potentiales recenſentur. 1. *Eubulia*, eſtque habitus rectè conſultandi. 2. *Syneſis*, per quam rectè judicamus de conſultatis, juxta legem communem ſeu communia & ordinaria principia practica: unde illi dicuntur *ſyneti*, ſeu bene ſenſati, aut *boni ſenſus*, ut loquuntur vulgò. Contra autem alii ſunt *aſyneti*, quanvis interdum iidem per eubuliam rectè deliberent. Quare *ſyneſis* eſt facultas perfectiva *criterii naturalis*, de quo in Præfatione. 3. Denique eſt *Gnome*, per quam juxta altiora principia ex æquo & bono judicamus, etiam contra verba legis, explicando mentem legiſlatoris, quam in tali caſu habiturus fuiſſet; ut monui *Tract.* 2. *Diſp.* 3. *c* 3. *ſub finem*. Suppono enim cum Mæratio *Diſp.* 4. *de Iuſt. & jure ſ.* 1. Epiikíam, de quâ ibi agitur, duas in ſe partes involvere, quarum altera ſe tenet ex parte intellectus, idemque eſt ac *Gnome*, altera autem ſe tenet ex parte voluntatis, & dicitur æquitas quædam, ſeu affectus æquitatis ſervandæ, quam dirigit Gnome.

Dico IV. Prudentiæ opponuntur per defe-ctum: 1. Præcipitatio. 2. Inconſideratio. 3. Inconſtantia, quando ex levioribus cauſis mutatur ſententia. 4. Negligentia in rei executione. At peccatur contra eandem prudentiam excedendo. 1. Per ſollicitudinem ſupervacaneam, ut qui de rebus futuri temporis ſollicitudinem præoccupant. 2. Per aſtutiam, excogitando falſa & ſimulata media. 3. Per dolum, illa media ſeu verbis, ſeu factis exequendo; vel 4. per fraudem, cujus eſt proprium rem ejuſmodi exequi.

DISPVTATIO III.
DE
IVSTITIA.

CAP. I. *Natura Iuſtitiæ.*

I*Vſtitia* quidem latè ſumitur pro quavis animi rectitudine, & pro collectione virtutum omnium, quatenus hominem conformant ſeu *juſtè adæquant* legi Divinæ; unde illi ſolent appellari *juſti*, qui opera virtutum exercendo placere Deo in omnibus ſtudent; maximè autem ſi exiſtant in ſtatu gratiæ ſanctificantis, quæ juxta phraſim ſcripturæ ſacræ dicitur tum ſanctitas, tum *juſtitia*; de qua in præfatione tractatus. 2. Verùm hæc juſtitiæ acceptio non eſt propria, neque ad hunc locum attinet. Nam hîc agitur tantùm de illa virtute ſpeciali per quam ſervatur æquitas erga alterum, numeraturque inter quatuor virtutes cardinales. Atque hoc ſenſu,

Dico I. Iuſtitia eſt virtus per quam unicuique jus ſuum conſtanter tribuimus. Qua ratione juſtitia differt à fortitudine & temperantia,

quæ

quæ hominem tantùm perficiunt in ordine ad ſeipſum; non autem in ordine ad alterum; ut jam dixi.

Notandumque eſt, *alteritatem* eſſe conditionem eſſentialem juſtitiæ; quæ alteritas non tantùm dicat diſtinctionem ſuppoſitorum ſeu perſonarum, ſed etiam diſtinctionem & præciſionem jurium ſeu dominiorum. Item

Not. 2. Quod etſi aliæ ſint virtutes quæ nos ordinent ad alterum, debitum aliquod officium perſolvendo, ut *Religio* erga Deum; *pietas* erga parentes, *obedientia* erga ſuperiores, &c. differunt tamen à juſtitiâ propriè dictâ, quòd aliis tribuamus hoc pacto id quod noſtrum eſt, nempe noſtrum obſequium, noſtram obedientiam, cultum noſtrum, &c. At per juſtitiam aliis tribuimus quod ſuum eſt, ut habetur in definitione ipſius juſtitiæ; quamobrem & ex ſolo delicto contra juſtitiam oritur obligatio ad reſtitutionem. Item,

Not. 3. Ius illud quod eſt objectum juſtitiæ eſſe debitum legale, & ad quod perſolvendum lege adſtringimur: debitum autem quod ſpectant jam enumeratæ,aut ſimiles virtutes ad alterum, non eſt niſi debitum morale; id eſt, ad quod tenemur tantùm ex honeſtate virtutis, ſive illud ſit debitum ſimpliciter, nempe ſine quo morum decentia & honeſtas ſervari non poteſt, ut debitum *gratitudinis*, ſive illud ſit debitum duntaxat ſecundùm quid, conferendo ad majorem tantùm perfectionem moralem, cujuſmodi reperitur in liberalitate, in affabilitate, &c. ne quid dicam de eo quod ſimul eſt debitum legale & morale; ut officium liberorum erga parentes. Item juſtitia verſatur circa bona vel corporis, vel fortunæ, vel honoris, quæ per externum ali-

aliquod opus procurantur, & in quibus facta injuria exigit reſtitutionem; quod in aliis virtutibus non contingit. Item,

Not. 4. Ius ſuum cuique tribuere, quod diximus eſſe officium eſſentiale juſtitiæ, idem eſt ac debitum illi reddere ad æqualitatem, ſeu facere adæquationem aut commenſurationem cum jure quod ille habet rei à me exigendæ: quo pacto redderem illi centum nummos, quia mihi centum nummos mutuò conceſſiſſet, habetque jus illos exigendi à me; in quantùm mihi eſt facultas illos hîc & nunc reddendi. Et hoc quidem modo ſupra ajebamus medium quod ſervatur à juſtitia, eſſe medium *rei*, & non tantùm *rationis*.

Notandum porro eſt ex dictis conſequenter 1. Objectum juſtitiæ eſſe illud quod alteri ſecundùm æqualitatem ad jus illius redditur: ita enim juſtitia intendit unicuique tribuere quod ſuum eſt, ex motivo honeſtatis quæ in illo actu reperitur; ſicque ajunt illas eſſe duas juſtitiæ partes, quarum altera quidem & prima ſit, *declinare à malo*; id eſt, ex amore juſtitiæ, ac proinde ex odio turpitudinis illi oppoſitæ, alteri non facere injuriam. Altera autem *facere bonum*; id eſt, debitum ad æqualitatem tribuere. At

Not. præterea 2. Deficere rationem juſtitiæ ſtrictam & rigoroſam, ut loquuntur, ſi perfecta æqualitas ſervari non poteſt, aut ſi jura perfectè præciſa non ſunt; quanvis non deſinat eſſe propriè dicta juſtitia. Ita ſtrictæ & rigoroſæ illius juſtitiæ leges ſervare non poteſt Reſpublica reſpectivè ad ſubditos; defectu perfectæ alteritatis; quia jura perfectè præciſa non habent, ſiquidem Reſpub. retinet ſemper altum dominium in ſubditorum bona. Ita etiam Dei ad

crea-

creaturas non eſt ſtricta illa juſtitia, quia Deus retinet ſemper jus altum in bona creaturarum, cùm abdicare illud non poſſit; nec habet debitum erga nos niſi morale, & ex propriâ voluntate ortum. Ita creaturæ Deo; tum liberi parentibus debitum ad æqualitatem reddere nequeunt; quandoquidem pariter dare illis non poſſunt Tò eſſe, cujuſmodi ab ipſis acceperunt, &c. Quanquam

Not. 3. Vbi ajo virtutes illas deficere à debito juſtitiæ, putà pietatem liberorum erga parentes; non inde ſequitur debitum pietatis aut aliarum id genus virtutum eſſe minùs perfectum quàm juſtitiæ debitum. Certum enim eſt debitum illud naturale eſſe majus debitum, & majoris perfectionis: ille ergo tantùm eſt ſenſus, quòd debita illa moralia minùs perfectè imitentur rationem debiti politici, quod juſtitiæ proprium eſt.

Dico II. Iuſtitiæ opponitur injuſtitia; quæ multiplici injuriarum genere admitti poteſt, tum in bonis corporis, tum in bonis fortunæ & honoris. At

Notandum eſt obiter quod vulgò ajunt, ſcienti & volenti non fieri injuriam. Quia volens, cedit jure ſuo; illudque permittit alterius arbitrio: ergo non fit contra jus ipſius. Item, injuria eſt quid violentum patienti. Atqui quod fit concurrente paſſo ex libera ipſius voluntate, non eſt illi violentum: ergo nec injurioſum, &c. Quæ Iuriſtis reliquuntur diſcutienda.

CAP. II. *Species Iuſtitiæ.*

Æ*Qualitas* quam diximus ſervari in juſtitia, ſuum unicuique tribuendo; vel eſt cum proportione arithmetica, ut ajunt; vel cum Geo-

Geometrica. Arithmetica dicitur ubi nullâ habitâ ratione meriti, aut dignitatis quæ reperitur in perſonis, illud quod redditur eſt æquale cum re accepta, ita ut centum reddantur pro centum, aut pro valore centum; quemadmodum contingit in emptionibus, & venditionibus, aliiſque id genus quas vocant commutationes, ſuntque objectum illius juſtitiæ, quam ideo *commutativam* appellant. Æqualitas cum Geometrica proportione ſervat magis aut minùs pro dignitate aut merito perſonarum; ut quando per juſtitiam *diſtributivam* officia Reipublicæ, aut ſpolia hoſtium, aliaque bona communia privatis diſtribuuntur ſecundùm magis & minùs pro uniuſcujuſque meritis, aut dignitate. Quare

Dico I. Si juſtitia conſideratur præcisè per ordinem duntaxat ad ipſum jus unicuique reddendum, duplex tantùm admittenda erit juſtitia, pro illo duplici genere debiti ad æqualitatem; quia virtutum diverſitas peti ſolùm debet ex diverſitate proprii objecti. Sed

Not. Iuſtitiam præterea conſiderari pro diverſa habitudine quam homines habent inter ſe in communitate, puta in Repub. Nam effectus juſtitiæ proprius eſt, ſic omnes inter ſe ordinare ſuum unicuique jus tribuendo, ut ſervetur integritas ac tranquillitas humanæ ſocietatis. Illæ autem ſunt habitudines quas inter ſe habent homines in communitate conſtituti. Prima eſt partis ad partem, ſeu privatorum inter ſe. 2. Totius ad partes, ac 3. Denique partium ad ipſum totum. Atque ita

Dico II. Tres illæ ſunt juſtitiæ ſpecies, ſeu partes ſubjectivæ. Prima eſt *commutativa* per quam ordinatur pars ad partem. 2. Eſt *diſtributiva*, per quam ordinatur totum ad partes. Ac

3. de-

3. denique eſt *legalis*, per quam ordinantur partes ad totum, eas nempe leges ſervando quibus continetur bonum commune: eam enim ob cauſam vocatur *juſtitia legalis.* Item, quanvis hæc ſit virtus particularis perinde ac aliæ, dicitur nihilominus & *generalis* ſeu *univerſalis*, quia non habet materiam aliquam determinatam, ſed potiùs ſibi ſubordinat actiones aliarum omnium virtutum quacunque in re obeunda, unde ſaluti publicæ ſeu bono communi quantùm in ſe eſt conſulat.

Notabis autem juſtitiam vindicativam, per quam pœnæ debitæ reis imponuntur, revocari ad diſtributivam, unde principes & magiſtratus præmia aut pœnas ſubditis pro eorum merito decernant. Sicque juſtitia diſtributiva alia eſt remunerativa, vindicativa autem alia. Item

Not. 2. Commutativæ ſpecies diverſas eſſe pro diverſo genere commutationum quas exercet. Ideóque inventus fuit pecuniæ ſeu nummi uſus, tanquam medium quo res diverſi generis ad æqualitatem & æquivalentiam revocarentur, contineretque virtualiter ea omnia quæ nobis uſui eſſe poſſunt. Vocatur autem *nummus* aut numiſma, quia νόμος apud Græcos, idem eſt ac lex, vi cujus, & ex principum inſtituto talem aut talem habet valorem.

CAP. III. *Iuſtitiæ partes potentiales, ſeu illi annexæ & affines.*

Ex iis virtutibus quæ dicuntur ad alterum, juſtitiam propriè dictam imitando; Prima eſt Religio, tum pietas, obedientia, obſervantia, &c.

Notabis autem Religionem hoc loco non ſumi *v. g.* pro aliquo hominum ſtatu fidem in Deum

Deum profitentium, qualis dicitur Chriſtiana Religio; aut pro illorum hominum ſtatu qui ſub voto paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ Deo ſerviunt, ſed pro habitu virtutis alicujus. Quo ſenſu

Dico I. *Religio* eſt virtus per quam inclinamur ad cultum & honorem Deo debitum exhibendum. Cujus objectum formale & motivum non tam eſt immediatè ipſe Deus, quàm honeſtas illius actus quo Deum colimus. In quo differt à virtutibus Theologicis; quibus quidem dignitate poſterior eſt, at cæteris moralibus univerſis antecellit. Porrò hujus virtutis actus interni ſunt devotio & oratio; externi verò, adoratio, ſacrificium, votum, laudare Deum celebrando illius perfectiones atque opera, &c.

Devotio eſt actus voluntatis paratæ ad ea omnia præſtanda quæ ſpectant cultum Divinum, puta ad Dei laudes celebrandas, ad ſacrificia, &c.

Oratio ſive vocalis, ſive mentalis quæ ſolâ mente perficitur, eſt actus quo aliquid ſuppliciter petimus à Deo, ei nos ſubjiciendo, & profitendo nos ab eo pendere tanquam ab authore bonorum omnium.

Votum eſt deliberata promiſſio boni alicujus operis Deo facta, ob reverentiam ſupremæ illius excellentiæ.

Notandumque eſt, ex communi Eccleſiæ doctrinâ contra recentiores dogmatiſtas, majoris eſſe perfectionis & meriti aliquid facere ex voto, quàm ſine voto. Nam ſcriptura ſacra hortatur ad votum, ipſumque conſulit: at conſilium ejuſmodi non eſt niſi de meliori bono: ergo, &c. Et verò quod fit ex voto, fit ex virtute religionis, quam dicebamus eſſe inter morales primam;

ergo

ergo ab ea majorem dignitatem, majuſque meritum accipit. Item ſic homo ſeſe plus ſubjicit Deo : non enim tantùm ſubjicit ſeſe quoad actum, ſed etiam quoad poteſtatem, ſimulque, ut ajunt, cum fructibus arborem Deo conſecrat. Item ſic agit ex voluntate firmiori, & magis immutabili; ideoque D. Aug. appellat vota *humanæ infirmitatis quæſita præſidia.*

Adoratio eſt quâ non ſolùm mente, ſed etiam externâ mentis ſignificatione Deo reverentiam exhibemus.

Sacrificium aliquando latè ſumitur pro quavis oblatione, & omni actu bono per quem Deum colimus : ſtrictè autem eſt oblatio rei ſenſibilis per miniſtrum legitimum facta Deo ; cum reali ipſius rei oblatæ immutatione ad teſtandum illius in nos ſupremum dominium. Quomodo in ſacrificiis legis antiquæ occidebatur victima. Sicque in ſacrificio legis Chriſtianæ panis & vinum tranſmutantur ſecundùm totam ſuam ſubſtantiam in corpus & ſanguinem Chriſti Domini, &c.

Dico II. Pietas propriè eſt virtus per quam patriæ & parentibus amorem & honorem debitum reddimus, quatenus ſecundùm Deum ſunt nobis in eſſendo, & conſervando principium. Quanquam ſi latè ſumitur *pietas*, ſæpe confunditur cum devotione ; item & cum bonitate & miſericordia, quo ſenſu Deus dicitur pius.

Dico III. Obedientia eſt virtus per quam debitum obſequium illi reddimus qui habet jus & poteſtatem nobis imperandi.

Dico IV. Per obſervantiam cultum atque honorem tribuimus viris illuſtribus, probis, doctis, aut publicam dignitatem ſuſtinentibus, vocaturque etiam hæc *politica* obſervantia.

Alio-

Alioquin religioſa eſt obſervantia, per quam honorem & cultum exhibemus perſonis Deo conſecratis „ ob reverentiam Divinæ ipſius majeſtatis. Ea autem dicitur *Dulia*, quæ ad Beatos tanquam ad noſtros ſuperiores defertur; tum *hyperdulia*, quæ tribuitur præcellentioribus, ut B. Virgini, &c.

Dico V. Iſtis virtutibus accedunt nonnullæ aliæ. Ac primò quidem Liberalitas, unde quis largè de ſuis bonis profundit in alios, prout tamen dictat recta ratio, ne prodigus fiat. 2. Per gratitudinem, accepti beneficii memoriam conſervamus, tum gratiam reponimus quantùm in nobis eſt. Nam, ut inquit Seneca, homine ingrato nihil eſt pejus turpiuſque. 3. Per veracitatem, id quod verum eſt loquimur. 4. Per affabilitatem & comitatem benigno in alios obſequio & verbis ſyncerè utimur: huicque opponitur aſſentatio, diſſimulatio, &c.

Notandumque eſt, ex Ariſt. multis virtutibus non aſſignari extrema oppoſita, nec vitiis aliquibus virtutes oppoſitas; quòd in uſu communi nomen non habeant. Vt autem non ſileam de Religione, quæ primum inter virtutes iſtas locum obtinet:

Dico VI. Religioni opponuntur tum Superſtitio, tum Irreligioſitas

Superſtitio eſt quando uſurpatur indebitè cultus Divinus; putà, ſi creaturæ tribuitur per idololatriam; vel ſi defertur quidem creatori, non tamen debito modo. Huc ſpectant variæ diverſi generis obſervantiæ, & Divinationes, tum morborum curationes illicitæ; quæ non fiunt ſine aliquo ſaltem virtuali pacto cum Dæmone, &c.

Irreligioſitas eſt quidam reverentiæ defectus erga

erga res ſacras & Divinas. Cujuſmodi ſunt perjuria, ſacrilegia, tentatio Dei, cum ſcilicet ex dubitatione de aliqua Dei perfectione, fit aliquid experiendi causâ, num ita res ſe habeat, &c.

DISPVTATIO IV.
DE
TEMPERANTIA,
ET DE FORTITVDINE.

CAP. I. *De Temperantia.*

DIco I. Temperantia propriè, eſt virtus quæ moderatur voluptates ſenſuum, tum maximè guſtus & tactus; non tantùm quoad opus externum, ſed etiam & quoad affectum. Huic per exceſſum opponitur intemperantia; ſtupor autem per defectum.

Dico II. Illius ſpecies, ſeu partes ſubjectivæ ſunt 4. ex quibus duæ moderantur delectationes guſtus; primò, abſtinentia circa eſculenta; cui opponitur gula. 2. Sobrietas circa poculenta; cui contraria eſt ebrietas.

Duæ cohibent delectationes tactûs. Prima eſt caſtitas, quæ refrænat delectationes venereas, dividiturque in virginalem, conjugalem, & vidualem. 2. Eſt pudicitia circa venereorum ſigna, puta circa oſcula & amplexus turpes; huicque adverſatur impudicitia.

Dico III. Partes temperantiæ integrantes ſunt: 1. Verecundia, unde quis refugit turpitudinem intemperantiæ, ipſumque pudet rei illicitæ. 2. Eſt honeſtas: unde ea quæ virum temperantem decent proſequatur.

Dico

Dico IV. Temperantiæ partes potentiales, ſeu virtutes illi affines ſunt: 1. Continentia, per quam pravis libidinibus reſiſtitur, nec differt à caſtitate niſi ſecundùm minùs. 2. Manſuetudo, iram continens. 3. Clementia placans ſuperiores erga ſubditos, & pœnis infligendis modum adhibens; huic autem opponitur crudelitas, ſupra modum ſæviens. 4. Humilitas, animum cohibens ne ſupra modum efferat ſeſe, cum aliorum contemptu. Sequitur 5. Modeſtia in motu geſtuque corporis decenti conformando poſita; cui adverſatur inſolentia & petulantia. Modeſtiæ etiam officium eſt & linguam regere; tum in veſtibus quibus induimur ſervare modum. 6. Eutrapelia eſt urbanitas quædam in jocis & dicteriis modum adhibens. Excedit ſcurrilitas & ſatyrica mordacitas; deficit ruſticitas, unde quis nec honeſtos jocos ſuſtinere poſſit; nec reponere ut decet.

CAP. II. *De Fortitudine.*

F*Ortitudo* interdum robur corporis ſignificat, tum animi firmitatem, quam unaquæque virtus ſibi vindicat. Hîc autem propriè ſumitur quatenus eſt virtus aliqua ſpecialis, quam inter cardinales numerant, tribuitque animo firmitatem in ſuſcipiendis periculis, ac perferendis laboribus.

Dico autem I. Sic ab Ariſt. definitur 3. Eth. c. 6. *Eſt mediocritas inter timorem & audaciam.* Quippe animum ita continet circa ea quæ ſunt acerba & terribilia, ut per nimium timorem, aut per nimiam audaciam ab officio rectæ rationi conſentaneo non recedat; ſed potiùs medium inter utrumque conſtanter teneat, opus arduum aggrediendo. Suntque illi duo fortitu-

dinis

dinis actus proprii, nempe difficultates ſuſtinere, timorem comprimendo; tum pericula cautè aggrediendo moderari audaciam; ſicque inter utrumque firmare animum ex motivo honeſtatis, quæ reperitur in illius virtutis objecto.

Notabis enim mali gravioris imminente periculo, poſſe in nobis tantum oriri timorem, ut ab opere virtutis perficiendo abducat, impellatque ad aſſenſum rei illicitæ. Timorem hunc compeſcit fortitudo, quòd mors ipſa potiùs perferenda ſit, quàm ut ſcelus admittatur. Aliunde verò in repellendis periculis ſubinde oritur tam præceps audaciæ impetus, ut illi modum pariter adhibere neceſſe ſit per eandem fortitudinem. At

Not. 2. Res difficiles & periculoſas intrepidè aggredi, vel æquo animo ſuſtinere, non eſſe fortitudinis, ſi rectæ rationi & Divinæ legi adverſentur. Quamobrem latrones & ſicarii, quanvis ardua facinora ſuſcipiant, non ideo fortes & generoſi æſtimantur: parique dedecore ſunt infames ii qui per fas & nefas ſingulari certamine dimicant. Certè nemo ſanus dixerit rem illam eſſe laude, aut honore dignam, quæ Divinis atque humanis legibus adverſetur; neque verò iſtud probari ſolet niſi ab imprudentiſſimis, & perditiſſimæ vitæ hominibus, qui *neque Deum, neque hominem reverentur.*

Dico II. Fortitudinem non habere partes ſubjectivas, ſeu diverſas ſub ſe ſpecies; & eſſe ſpeciem ſpecialiſſimam; quia materiam hanc determinatam habet, nempe ſervare medium audaciam inter & metum. At

Dico III. Virtutes fortitudini annexæ, quæ & illam imprimis juvant, ſunt potiſſimùm iſtæ. 1. Fiducia, unde quis prompto animo atque ala-

cri res difficiles aggrediatur. 2. Patientia cum longanimitate, ut æquo animo, & conſtanter quæ dura ſunt tolerare poſſit.

Huc adde tandem Magnanimitatem puſillanimitati oppoſitam: cujus hæc præcipua ſunt munera. Primò, ea præſtare virtutum opera quæ illuſtriora ſunt, & animo generoſo conſentanea. 2. Moderari honoris appetitum quem ſuſcitat ambitio & ſuperbia. 3. In omni ſive proſperâ, ſive adverſâ fortunâ æqualem ſervare animum. Item, nihil magni facere, niſi quod verè magnum eſt, dignumque homine Chriſtiano qui ad immortalem gloriam ſolùm aſpiret. Vno verbo, ut pluris nobis ſit *timere Deum, & ſervare illius mandata*, quàm *univerſum mundum lucrari. Hoc eſt enim omnis homo*, Eccleſ. 12. ac totius Moralis Philoſophiæ *Finis.*

Ad majorem Dei gloriam.

INDEX
DISPVTATIONVM
ET
CAPITVM
LOGICÆ.

Præfatio ad Vniverſam Philoſophiam. 1

INTRODVCT. ad LOGIC. & MORAL.
De facultatibus & operationibus animæ.

CAP. I. *Facultates animæ in communi.* 15
II. *Facultates & habitus animæ rationalis.* 18
III. *Objectum actus, tum habitus, aut potentiæ.* 22
IV. *Facultatum & actuum ſpecificatio.* 25

DISPVTATIO PROOEMIALIS
De natura Logicæ.

CAP. I. *De Logicâ ſpeculativâ.* 27
II. *De Logicâ practicâ.* 31
III. *Subjectum & objectum formale artis Logicæ.* 38
IV. *De neceſſitate artis Logicæ.* 43

TRACTATVS
De operationibus Logicis, ſeu intellectualibus.

DISPVTATIO I.
De earum naturâ, numero, & ſignis in communi.

CAP. I. *Numerus & natura operat. intellect.* 48
II. *Veritas operationum intellect.* 50
III. *Signa operationum intellectualium.* 51

DISPVTATIO II.
De terminis & de oratione.

CAP. I. *Terminorum diviſiones præcipuæ.* 54
II. *De aliis terminorum generibus.* 58

III. *De Denominativis, ſeu Paronymis.* 61
IV. *De Vnivocis, ſeu Synonymis.* 64
V. *De Æquivocis, ſeu Homonymis.* 67
VI. *De Oppoſitis.* 69
VII. *Terminorum proprietates nonnullæ.* 72
VIII. *De oratione, ubi de definitione & diviſ.* 74

DISPVTATIO III.

De Enunciatione.

Cap. I. *Enunciationis natura.* 77
II. *Defenditur univerſalitas prædicati in actuali prædicatione.* 80
III. *Enunciationis diviſiones præcipuæ.* 83
IV. *Enunciationis proprietates.* 86
V. *Proprietates verbi copulativi (eſt)* 89
VI. *Enunciationis veritas, aut falſitas.* 91
VII. *Solvuntur objectiones.* 95

DISPVTATIO IV.

De Argumentatione, ſeu Diſcurſu.

Cap. I. *Quibus competat facultas diſcurſiva.* 98
II. *Argumentat natura, & diviſio.* 102
III. *Natura Syllogiſmi.* 107
IV. *Forma ſyllogiſmi.* 110
V. *Leges ſyllogiſmorum.* 115
VI. *De ſyllogiſmo demonſtrativo.* 119
VII. *De ſyllogiſmo probabili.* 126
VIII. *De ſophiſmate, ſeu ſyllogiſmo ſophiſtico.* 127

DISPVTATIO V.

De præcipuo effectu Logicarum operationum, ſeu de Scientia.

Cap. I. *Præſupponuntur aliqua de cognitionibus intellectivis, & de earum certitudine.* 130
II. *De certitudine cognitionis ſcientificæ, fidei humanæ, &c.* 135

III. De

III. *De naturâ ſcientiæ humanæ, ejuſque proprietatibus.* 139
IV. *Quomodo acquirantur ſcientiæ.* 142
V. *Scientiæ oppoſitio cum aliis cognitionum generibus.* 145
VI. *Solvuntur objectiones.* 148

INDEX

TRACTATVVM ET DISPVT. PHILOSOPHIÆ MORALIS.

Præfatio de naturâ, & partibus Philoſophiæ Moralis. 155

TRACTATVS I.

De ſummo bono, ſeu de fine ultimo, ac beatitudine hominis.

DISPVTATIO I.

De Bono.

Cap. I. *Natura, diviſio, & proprietates boni.* 159
II. *Boni appetibilitas.* 163
III. *De Malo.* 166

DISPVTATIO II.

De Fine.

Cap. I. *Natura, diviſiones, & proprietates Finis.* 168
II. *Quemadmodum res omnes agant propter finem.* 171
III. *De ultimo rerum omnium fine.* 174

DISPVTATIO III.

De Beatitudine humana.

Cap. I. *Quæ præſupponi debent de variis naturæ humanæ ſtatibus.* 177

II. *Natura beatitudinis humanæ.* 182
III. *Hominis beatitudo objectiva.* 183
IV. *Hominis beatitudo formalis.* 185
V. *Statuitur de eſſentiâ & proprietatibus formalis beatitudinis humanæ.* 191
VI. *Beatitudo corporis.* 196
VII. *De humanâ beatitudine in ſtatu puræ naturæ.* 200
VIII. *Solvuntur objectiones.* 205

TRACTATVS II.

De actu morali ſeu humano.

Præfatio de variis actus humani Principiis in communi, tum in primis de ſupernaturali. 211

DISPVTATIO I.

De voluntario.

CAP. I. *Natura Voluntarii.* 217
II. *De Involuntario.* 220

DISPVTATIO II.

De libero arbitrio.

CAP. I. *Supponuntur diverſæ ſpecies voluntarii & liberi.* 227
II. *Natura liberi arbitrii, ejuſque exiſtentia pro diverſis naturæ humanæ ſtatibus.* 230
III. *Solvuntur objectiones.* 237
IV. *Solvuntur aliæ objectiones.* 243
V. *Conditiones requiſitæ ad uſum liberi arbitrii.* 251
Summa præcedentis doctrinæ. 255

DISPVTATIO III.

De principio humanorum actuum directivo, ſeu de lege.

CAP. I. *Natura & diviſio legis.* 257
II. *De lege poſitivâ.* 260

AP-

APPENDIX. *De lege antiquâ.* 264
III. *Varia legis attributa, affectus, & proprietates.* 268

DISPVTATIO IV.

Differentiæ, ſeu diviſiones variæ actus Moralis.

Cap. I. *Actus eliciti.* 272
II. *Imperium.* 277
III. *Ius, poſſeſſio, dominium.* 279

DISPVTATIO V.

De bonitate & malitiâ humanorum actuum.

Cap. I. *Natura actus boni.* 282
II. *De aliis conditionibus ad bonitatem actus humani requiſitis.* 289
III. *De auxiliis divinæ gratiæ ad bonos actus neceſſariis.* 296
IV. *De merito bonorum actuum.* 303
V. *De actu malo ſeu peccaminoſo.* 311
VI. *De actu indifferenti.* 319
VII. *Solvuntur objectiones.* 322

TRACTATVS III.

De paſſionibus humanis.

DISPVTATIO I.

De Naturâ & proprietatibus paſſionum humanarum in communi.

Cap. I. *Natura, & ſubjectum, ſeu ſedes paſſionum.* 329
II. *Paſſionum humanarum diviſio, ac numerus.* 332
III. *Paſſionum humanarum proprietates in communi.* 334
IV. *De bonitate aut malitiâ paſſionum humanarum.* 336

DISPV-

INDEX.

DISPVTATIO II.
De amore, & odio.

Cap. I. *Amoris natura.* 339
II. *Diverſæ amoris ſpecies.* 344
III. *De Odio.* 348

DISPVTATIO III.
Reliquæ paſſiones.

Cap. I. *Deſiderium, & fuga: ſpes, & deſperatio: gaudium ſeu delectatio, & triſtitia.* 349
II. *Timor, Audacia, & Ira.* 353

TRACTATVS IV.
De virtutibus Moralibus.

DISPVTATIO I.
De Virtute Morali in communi.

Cap. I. *Natura virtutis moralis.* 358
II. *Subjectum & diviſio virtutum moralium.* 363
III. *Virtutum ſtatus diverſi, & connexio.* 366
IV. *Virtutis Moralis proprietates nonnullæ.* 369

DISPVTATIO II.
De prudentia.

Cap. I. *Prudentiæ natura.* 371
II. *Partes Prudentiæ, & vitia illi oppoſita.* 372

DISPVTATIO III.
De Iuſtitiâ.

Cap. I. *Natura Iuſtitiæ.* 374
II. *Species Iuſtitiæ.* 377
III. *Iuſtitiæ partes potentiales, ſeu illi annexæ, & affines.* 379

DISPVTATIO IV.
De Temperantiâ & Fortitudine.

Cap. I. *De Temperantiâ.* 383
II. *De Fortitudine.* 384

FINIS.

01 1454420

Digitized by Google

[illegible]le

Google

A 58.

Digitized by Google